Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

Digitalisierung von Drucken des 18. Jahrhunderts

Novum Testamentum Latinum ...

Châteillon, Sébastien

Gothae, 1715

VD18 1125789X

urn:nbn:de:gbv:3:1-648051

Visual Library

Universitäts- und Landesbibliothek
Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-648051-p0001-0

Universitäts- und Landesbibliothek
Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-648051-p0002-6

C. F. a Breitenbauch

Universitäts- und Landesbibliothek
Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-648051-p0003-1

Universitäts- und Landesbibliothek
Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-648051-p0004-7

NOVUM TESTAMENTUM LATINUM,

SEBASTIANO CASTALIONE
interprete:
ex ejusdem postrema
castigatione.
Accedunt
præfationes,
quas autor integro olim Bibliorum
operi præmisit.

GOTHÆ,
SUMTU JOAN. ANDREÆ REYHERI
AN. M DCC XV.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-648051-p0005-2

SEBASTIANUS CASTALIO
EDUARTO SEXTO
Angliæ Regi clariſs. ſalutem.

CUm ſacrarum litterarum libros a me in Latinum ſermonem converſos, in lucem emitterem, Sereniſſime Rex Angliæ, ſuaſerunt amici, ut eos tuæ Majeſtati dedicarem: idque ut facere vellem, tribus rationibus perſuaſerunt. Primùm, quod dicerent, nulli convenientius ſacras litteras offerri poſſe, quam ei, cujus regnum aſylum eſſet eis, qui propter ſacrarum litterarum ſtudium atque defenſionem vexarentur. Deinde, quod tu nuper hanc eandem transferendi libros ſacros provinciam hominibus doctis mandaviſſes, ſed unius obitu impeditus fuiſſes. Poſtremò, quod præter cæteras diſciplinas atque linguas, etiam Latinitatis, vel in primis (cujus nos hic nonnullam rationem habuimus) ſtudioſus eſſes, & ad eam rem magiſtrum eruditum haberes. His cauſ-

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-648051-p0006-8

cauſſis adductus ſum, ut tibi, Regi illuſtriſſimo, ego infimæ conditionis homo, vigilias meas offerre auderem: ſperans fore, ut quanto in altiore dignitatis faſtigio te Dei benignitas collocaſſet, tanto clementius tenues admitteres, amore CHRISTI, qui cum DEO foret æqualis, non dubitavit ad infimos ſe demittere. Quod ſi placet, & ſi hanc translationem, Rex, legere non recuſas, exponam tibi jam, quod fuerit in hoc negotio meum inſtitutum. Ego operam dedi, ut fidelis, & latina & perſpicua eſſet hæc translatio, quoad ejus fieri poſſet: ne quem deinceps orationis obſcuritas, aut horriditas, aut etiam interpretationis infidelitas ab horum librorum lectione revocaret. Sed perſpicuitatis & fidelitatis potiſſimam rationem duximus. Nam quod ad latinitatem attinet, eſt oratio nihil aliud quam rei quædam quaſi veſtis, & nos ſartores ſumus. Res quidem manet eadem, nec orationis elegantia fit melior, nec vilitate deterior: neque rem vere amat is, quem ab ea cognoſcenda retrahit inculta oratio. Quin etiam videmus Evangelii arcana nobis tradita eſſe verbis impolitis, & e media indoctorum plebe deſumptis, ne quid inde hominum eloquentiæ tribueretur. Cæterum quoniam in hoc ſtudio verſantem, neceſſe erat non ſolum verba, ſed etiam res ipſas (ſine quibus verba ſæpe intelligi non poſſunt) perpendere: ſi quid interim animadverti obſcurius,

non ſolum quod ad verba, ſed etiam quod ad rem pertineret, id conatus ſum paucis illuſtrare. Atque in verbis quidem declarandis fui aliquanto confidentior. Verum res ut parcius attingerem, in cauſſa fuit partim præſens transferendi inſtitutum, quod circa verba verſatur: partim, & quidem multo magis, ignorantia mea. Cum ſint enim hi libri de rebus divinis ſcripti, neceſſe eſt nos, quanto magis homines ſumus, tanto minorem horum intelligentiam habere. Et profectò ſi verum fateri volumus, eſt adhuc noſtrum ſeculum in profundis ignorantiæ tenebris demerſum: cujus rei certiſſimum teſtimonium ſunt tam graves, tam pertinaces, tam perniciosæ diſſenſiones: tum multi & iidem irriti conventus de hiſce controverſiis, tantusque numerus quotidie naſcentium librorum, & eorum inter ſeſe toto cœlo diſſidentium. Si enim unus Dei Spiritus, & una veritas eſt, neceſſe eſt, in quibus idem Spiritus, eademque veritas inſit, eos unum eſſe, idemque ſentire ſpiritualibus in rebus: & ſi nobis clariſſimæ veritatis orta dies eſſet, nunquam tot obſcuras librorum accenderemus lucernas. Atque equidem mihi hujus ignorantiæ cauſſam quærenti, videbatur inventu difficilis. Neque enim tribui hæc litterarum & artium ignorationi poteſt, cum noſtro ſeculo nihil fieri poſſit eruditius: & tamen tantis ſtudiis, tanta linguarum cognitione,

tot

tot artibus, per tot annos, tantum abeſt, ut multum profectum ſit, ut indies in deterius abeant res. Itaque cum attentius hanc rem conſiderarem, viſus ſum mihi hujus ignorantiæ unam veriſſimamque cauſſam inveniſſe, vitioſitatem ac impietatem. Itaque dicit Danieli angelus (*Dan. XII.*): IMPIE agent impii, nec intelligent ulli impii. Et David contra (*Pſalm. XXV.*): JOVÆ metuentibus patefit ejus arcanum. Et Eſaias (*Cap. VIII.*): PREME oraculum, obſigna diſciplinam apud diſcipulos meos. Quod ſi JOVÆ arcana in his libris occultata noſſe volumus, metuendus nobis, & colendus JOVA eſt, eique obediendum, ut decet ejus diſcipulos. Hæc vera ad divinarum rerum cognitionem via, hæc una ad hoc divinorum arcanorum ſigillum aperiendum clavis eſt: quam qui habebit, nullam aliam requiret; qui non habebit, fruſtra cæteras admovebit huic ſeræ. Quod ſi eſſet in nobis verus Dei amor, atque metus, & ſi tantum ſtudii & operæ in eo poneremus, quantum alii in comparanda pecunia, alii in litteris, alii in diſciplinis, alii in honore, alii alia in re ponunt, non ſolum abeſſet craſſa hæc (liceat mihi dicere, quæ ſentio) craſſa hæc, inquam, quæ tenet ſeculum, ignorantia: verum etiam tantæ eſſet JOVÆ cognitionis, hoc eſt, veræ pietatis plena terra, quanta nobis, ſi ſapimus, promiſſa eſt. Atque ita na-

ſceretur illud vere aureum ſeculum, quo eſſent omnes divinitus docti, fieretque, quod armipotens JOVA pollicitus eſt his verbis (*Mich. IV.*): CUDENT ex enſibus ſuis vomeres, & ex ſpiculis falces: nec gentes aliæ aliis arma inferent, nec amplius bella diſcent, degentque ſub ſuis quisque vitibus ac ficubus, exterrente nullo, quoniam JOVÆ armipotentis os loquitur. Et illud (*Eſa. XI.*): VERSABITUR cum agno lupus, accubabitque pardus hædo, copulatosque vitulum & leonem & taurum ducet puer parvulus, & vacca urſusque compaſcentur, concubantibus eorum pullis: & leo more boum palea veſcetur, & ludet ſuper aſpidis foramen lactens infans, ſuperque viperæ cavernam deliculus puer manum agitabit. Nusquam male aut nequiter fiet in meo ſacro monte: quoniam tantæ erit JOVÆ cognitionis plena terra, quantis operitur mare aquis. Item illud ad Hieroſolymam, hoc eſt, ad Chriſtianorum rempub. dictum (*Eſa. LX.*): AD TE ſeſe recipient humiliter homines, qui te afflixerint, & tuorum pedum veſtigia venerabuntur omnes tui conviciatores; teque JOVÆ urbem, Sionem Auguſti Iſraelitarum appellabunt. Pro eo, quod deſerta, inviſa, & inacceſſa fueris, efficiam ex te ſublimitatem æternam, voluptatem perennem; adeo ut cæterarum gentium lac, regumque ſugas ubera, ſciesque me IOVAM eſſe ſervatorem

torem, vindicemque tuum, Iacobeorum numen. Pro ære inducam aurum, pro ferro inducam argentum, pro lignis æs, pro lapidibus ferrum, efficiamque, ut pro tua administratione sit pax, & pro magistratibus justitia. Non jam crudelitas in tua terra, non vastitas aut calamitas in tuis finibus audietur: tuosque muros salutem, & portas laudem appellabis. Non amplius tibi Sol interdiu lumen præbebit, neque lunæ splendor illucebit, sed erit tibi IOVA lux æterna, Deusque tuus decori. Non occumbet amplius tuus Sol, tuave luna occidet: nam IOVA tibi lux erit æterna, finita tui luctus die. Tuus autem populus, justi omnes, semper terram possidebunt, a me sata stirps, manuum mearum opus, quod mihi sit honestamento. Minimus in mille, minutissimus in populosam gentem excrescet; id quod ego IOVA suo tempore accelerabo. Item illud (*Ezech. XXXVI.*): ACCERSAM vos ex gentibus, & ex omnibus collectos terris, adducam in vestram patriam; puraq; conspersos lympha, ut ab omnibus vestris fœditatibus purgemini, ab omnibus vestris vos expiabo stercoreis divis; vobisq; & cor novum & spiritum novum in pectora dabo; & dato in corpora vestra meo spiritu, faciam ut institutis meis pareatis, measque sententias conservetis; quo faciendo manebitis in terra, quam ego dedi majoribus vestris, & vos mihi popu-

lus, & vobis ego DEUS ero, vosque ab omnibus vestris impuritatibus vindicabo. Hæc est in his, multisque aliis locis, & maxime in Apocalypsi (*Cap. XX.*) promissa Christianis felicitas, ô Rex, & perfecta DEI cognitio, ac obedientia; quam equidem quo magis evolvendis sacris libris considero, eo minus hactenus præstitam video, utcunque illa oracula intelligas. Sed existunt ignavæ diffidentium voces, qui pro insano habent, si quis audeat sperare meliora nostris; quasi vero DEI sit vel decurtata manus, vel auris obtusa (*Esa. LIX.*) aut quasi ideo desperandum sit, quia nunquam ita fuit; ac non potius ideo sperandum sit, quia non fuit; & is promisit, qui neque mentitur unquam, & potest etiam mortuis vitam reddere. Equidem aut hæc futura esse fatendum est, aut jam fuisse, aut DEUS accusandus mendacii. Quod si quis fuisse dicet, quæram ex eo, quando fuerint. Si dicet, Apostolorum tempore: quæram, cur nec undiquaque perfecta fuerit, & tam cito exoleverit DEI cognitio ac pietas, quæ & æterna, & marinis undis abundantior fuerat promissa. Sin dicet, Nostro tempore: mirabimur hanc pacem, quæ ex vomeribus falcibusque nostris cudat enses, & supellectilem domosque convertat in bombardas, & propugnacula. Sed est, credo, hæc pax in litterarum proceribus & populi magistris. Unde igitur linguarum & calamorum longe nocen-

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt urn:nbn:de:gbv:3:1-648051-p0012-1 DFG

centiora bella, quam ferri? Unde tot tam graves controversiæ, quæ neque tot jam seculis, tot disputationibus componi potuerunt, & fere in sanguinem imbecilliorum erumpunt? dum nemo est, qui de suo judicio dubitet: nemo est, qui non alios damnet. Invidemus, maledicimus. Non solum malum malo, sed sæpe bonum malo pensamus: & si quis in aliquo religionis vel puncto diffidet, eum damnamus, & per omnes terrarum angulos linguæ stilique jaculo petimus, & ferro, & flamma & undis sævimus; & ex rerum natura indefensos & inopes tollimus: & nobis non licere quenquam interficere, dicimus: & tamen Pilato tradimus, & si hunc dimittat, amicum esse Cæsaris negamus; & quod est omnium indignissimum, hæc omnia Christi nos studio, & jussu, & nomine facere clamamus, & lupi feritatem agnina pelle tegimus. O seculum. Scilicet Christi studio sanguinarii erimus, qui ne aliorum sanguis effundendus esset, ipse suum effudit. Christi studio zizania extirpabimus, qui ne frumentum extirparetur, jussit usque ad messem relinqui zizania. Christi studio alios persequemur, qui jussit, etsi nobis feriatur mala dextera, obvertamus sinistram. Christi studio aliis inferemus malum, qvi nobis, [1. *Cor.* XIII.] ut pro malo bonum redderemus, præcepit. Ubi ergo illa nobis tantopere commendata charitas,

ſine qua, licet & hominum teneas & angelorum linguas, & omnia ſcias, & fide vel montes transmoveas, & omnia tua largiaris, atque adeo tuum ipſum corpus comburendum tradas, nihil es? quod ſi quis de charitate ſe jactat, conſideret, num fructus charitatis habeat, & ea præſtet, quæ charitatis eſſe tradit Paulus. Charitas benigna eſt, inquit; charitas temeraria non eſt, non tumet, non ſe gerit turpiter, non ſibi ipſi ſtudet, non eſt irritabilis, non male cogitat, non gaudet injuſtitia, ſed veritate lætatur: omnia tolerat, omnia credit, omnia ſperat, omnia ſuſtinet; charitas nunquam intercidit. Nunc quidem manet fides, ſpes, charitas: ſed harum trium maxima eſt charitas: atque in ea ſita eſt legis perfunctio. Denique charitas multitudinem tegit peccatorum, eisque medetur. Quod ſi hodie ea ita refrixit, ut in ejus loco regnet odium: & tamen promiſit Deus pium illud juſtumque ſeculum, quod ſupra commemoravi: fatendum omnino eſt, multa, atque adeo maxima in oraculis promiſſa, nondum eſſe perfecta. Cujus rei ignoratio in cauſſa eſt, ut DEI dona admodum jejuna, exilia, & macra faciamus: & vatum oracula pleraque inepte, ne dicam ridicule, interpretemur: dum quæ futura ſunt, & non niſi ab iis, qui vel divinitus, vel rei eventu ſint edocti, poſſunt intelligi, ea & ſine ſpiritu, & ſine eventu declarare conamur, metuentes videlicet, ne quid ignorare videamur.

Cum

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt urn:nbn:de:gbv:3:1-648051-p0014-2 DFG

Cum hæc ita sint, ô Rex, & cum ætas nostra in tanta adhuc ignorantiæ caligine cæcutiat, etiam atque etiam nobis cavendum esse censeo, ne quid imprudenter committamus. Quod si quæ sunt in religionis negotio controversiæ (sunt autem plurimæ) in his sequendum Judæ Machabæi & suorum factum judico, (1. *Mach. IV.*) qui de ara solidi sacrificii, cum quid statuerent, non haberent, ejus lapides in monte templi, loco opportuno, posuerunt, donec adveniret vates aliquis, qui de iis oraculum referret. Aut potius Mosis, cui disertis verbis modo (*Num. XV.*) præceptum erat, ut si quis contra legem data opera commisisset, is capite pœnas daret: & tamen eum, qui in die Sabbathi lignatus erat, interficere noluit, nisi relato super ea re nominatim oraculo. Et erat Moses fidus Dei minister, ejus spiritu non parce præditus. Ut interim nihil dicam de consilio Gamalielis, qui ostendit, si ea res ab hominibus est, dissolutum iri; sin a Deo est, non posse dissolvi, ne forte contra DEUM pugnetur. Quod si has res nobis esse notiores putamus, quam illa Mosi fuit (quando ea sunt tempora, ut nemo se errare putet) at certe non debemus iidem & accusatores esse, & judices, potiusque parendum est Paulo ita præcipienti (*Rom. XIV.*): Si quis imbecilla fide est, huic nulla cum animi dubitatione opitulamini. Tu quis es, qui alienum famulum damnes? suo Domino stat, aut cadit. Consistet autem: potest enim DEUS ipsum stabilire. Tu vero cur tuum fratrem damnas? aut tu cur tuum fratrem despicis? Nostrûm quisq; caussam pro se dicet apud Deum. Quamobrem ne jam damnemus alius alium. Nam si damnabimus, damnabimur, & eadem mensura

nobis

nobis rependetur. Præstiterit (meo quidem judicio) Romanorum legem de vindiciis sequi, quæ erat hujusmodi: Si quis, qui se hactenus pro libero gessisset, vocabatur in jus ab aliquo, qui eum servum esse assereret, interea dum causa pendebat, vindiciæ dabantur secundum libertatem; hoc est, is cujus libertati periculum creabatur, manebat in eadem conditione, qua liberi, donec in judicio planum factum ac pronunciatum esset, utrum is liber an servus foret. Et merito. Cum enim de ejus conditione dubitaretur, si forte liberum esse contigisset, & interea pendente lite serviliter habitus esset, facta foret homini libero gravis injuria. At quanto id in capitis caussa æquius est? præsertim in religione, in qua peccatur gravissime. Expectemus justi judicis sententiam; & operam demus, non ut ipsi alios damnemus, sed ut nihil committamus, quamobrem nobis metuenda sit damnatio. Obediamus justo judici, & zizania usque ad messem sinamus, ne forte frumentum (dum supra magistrum sapere volumus) extirpemus. Neque enim adhuc ultimus mundi finis est; neque nos angeli sumus, quibus hæc sit mandata provincia. Adde quod absurdum est, spirituale bellum terrestribus armis geri. Christianorum hostes sunt vitia, contra quæ virtutibus certandum est, & contrariis remediis contraria mala curanda; ut doctrina ignorantiam pellat, injuriam vincat patientia, superbiæ modestia resistat, pigritiæ opponatur diligentia, contra crudelitatem pugnet clementia, simulationem prosternat sincera, & se DEO probans religiosa mens, animusque purus, & qui uni DEO placere studeat. Hæc sunt vera Christianæ religionis, & vere

vere victricia arma ; non ut carnifici mandetur provincia Doctoris, & exteriora poculi prius, quam interiora purgentur. Atque hæc de religione duntaxat a me dici volo. Nam quod ad facinora attinet, homicidia, adulteria, furta, falsa testimonia, & hujusmodi reliqua, quæ Deus & puniri jussit, & quo pacto punienda forent, præcepit, ea in controversiam non vocantur. Neque de iis obscure præcepit Deus, & ad bonorum defensionem pertinent: nisi velimus in nostris cubilibus jugulari, ut quidem nunc sunt tempora. Neq; vero periculum est, ne si magistratus a Deo ad bonos defendendos constitutus, aliquem homicidii convictum tollat in crucem, virum bonum interficiat: neque quisquam defendit unquam homicidium, ne homicida quidem. Sed religionis & intelligentiæ sacrarum litterarum longa est alia ratio. Cum sint enim hæc obscure, & sæpe per ænigmata tradita, eo de his jam per mille amplius annos disputatur, nec dum componi res potuerit, neque componi absente omnium controversiarum diremptrice, & ignorantiæ fugatrice charitate possit, & ea de caussa innocente sanguine repleta terra est: debemus profecto (quamvis nobis omnia scire videamur) debemus inquam metuere, ne inter latrones (quos merito crucifigimus) etiam Christum immerito crucifigamus. Et si non modo Turcas & Judæos, (quorum illi Christum parum amant, hi etiam capitaliter oderunt) vivere patimur apud nos, verum etiam maledicos, superbos, invidos, avaros, impudicos, ebriosos, & cætera hominum flagitia ferimus, & cum iis vivimus, epulamur, lætamur: debemus saltem communem hunc aerem & spiritum iis concedere, qui

idem

idem Christi nomen nobiscum profitentur, & nemini nocent: eoque sunt animo, ut mori malint, quam aliud dicere aut facere, quam quod dici aut fieri debere arbitrantur. Ut interim non dicam, quod nullum hominum genus minus metuendum est. Qui enim vitam mavult amittere, quam dicere, quod non sentit (peccaret enim si faceret: & qui cogit, peccare cogit) non est, credo, metuendum, ne is pecunia possit aut alia re corrumpi. Atque equidem illud mihi persuasi, nullos esse principibus aut magistratibus obedientiores, quam eos, qui simpliciter Deum metuunt, & in eo quod sciunt, fideles sese præstant. Cæterorum quidem obedientia ficta est, neque durat diutius, quam vel metu cogitur, vel utilitate allicitur. Sed qui conscientia ad obediendum impellitur, quique docente Deo didicit magistratibus & potestatibus obediendum esse, etiam iniquis, ne dum justis: hujus veram & æternam obedientiam esse necesse est, quoniam Deus (qui ei obedientiæ caussa est) verus manet & æternus. Illud quidem (ut ad propositum redeamus) citra controversiam verum est: ad pœnitendum properat, cito qui judicat: & multos judicasse pœnituit, judicium suspendisse non pœnituit. Et qui ad clementiam propensior est, quam ad iram, is Dei naturam imitatur: qui cum sciat nos esse sontes, tamen differt sententiam diu, & expectat, dum fiat vitæ correctio. Qui enim continuo necat, nullum relinquit pœnitentiæ locum. Quod si quis his contradicere audebit, necesse erit, ut fateatur, sanguinem a se oppugnari, a nobis defendi. Utrius autem facilior futura sit caussæ dictio apud judicem Deum, si quis ignorat: audiat

Salo-

Salomonem ita dicentem (*Prov. XIV.*): Impiorum verba insidiantur sanguini: at proborum os eum defendit. Illud perspectum habeo, clementiæ, patientiæ, benignitatis, obedientiæ non posse non pœnitere quenquam. Quod si illa tutissima via est, hæc periculorum plena: insanum esse oportet, qui se sciens volensq; in pericula præcipitet. Neque vero hæc ideo dico, Rex illustrissime, quod aliquid sinistrum de te acceperimus. Cum sis enim ejus adhuc ætatis, quæ sub tutorum cura custodiatur, tuum ingenium (nobis præsertim, tanto terrarum intervallo disjunctis) cognitum esse non satis potest. Dicunt quidem, qui isthinc veniunt, eam esse tuam indolem, ac humanitatem, ut omnia de te sperent optima, quorum nos spei adeo accedimus, ut speremus & optemus etiam optimis (si fieri possit) meliora. Cum igitur videamus, nostra corpora vobis Regibus esse in manum a Deo tradita, vestros autem animos esse in manu Dei: movemur exemplis, & periculo pro virili parte obviam ire conamur, malumque nunquam nimis mature declinari posse judicamus: Itaque Deum oramus, vobis ut eam mentem injiciat, ut vos de vestris animis (qui in Dei manu sunt) tanto magis sitis soliciti, quam ii sunt de suis corporibus, qui vident suam vitam vobis in manu esse positam: quanto animi interitus gravior est, quam corporis. Cupimus, inquam, vos esse tales, quales esse jubet Deus his verbis (*Deut. XVII.*): Cum acciderit regem in regni sui solio sedere, hanc sibi legem a sacerdotibus Levitis in libro exscribito, eamque apud se habeto, & legito per omnem vitam suam, ut discat Jovam Deum suum, vereri, curetque, ut omnibus verbis hujus legis atque his insti-

institutis pareat, ne contra suos consanguineos animo insolescat, neve de disciplina ad dextram aut sinistram deflectat, ut diu vivat in regno suo tum ipse, tum ejus nati, inter Israelitas. Item Salomo de bono rege loquens, his verbis(*Prob.* XVI) : Oraculum habet in labiis rex, cujus os crimen in jure non committit. Impie agere regibus est invisum : nam justitia solium aptum est. Placent regibus justa labra, & probe loquentes amant. Regia bilis est mortis nuncius, & eam vir sapiens diluit. In serenitate vultus regis vita est, ejusque favor est quædam quasi serotina nubes. Habere sapientiam longe est præstantius, quam aurum. Est autem sapientiæ caput, Dei metus : qui nobis debet ob oculos dies noctesque versari, & ad mala frenum & ad bona calcar esse. Hæc habui in præsentia, Rex, de quibus te monerem, non equidem ut vates, non ut missus divinitus : sed ut unus de multis, qui diffidia & lites oderim, & religionē charitate magis & animi pietate, quam quæstionibus, & rebus externis exerceri cupiam. Neque vero me præterit, nihil a me dici, quod non ab aliis ante me dictum sit. Sed recta quæ sunt, ea & a multis, & tamdiu dici, donec eis pareatur, non est inutile: Accipe igitur, Rex, nostrum hunc laborem comiter & humane : & si vacat (debet autem vacare) & si placet, (debet autem placere) lege sacras literas animo pio ac religioso: & te ad regendum regnum sic præpara, tanquam mortalis, & rationem redditurus immortali Deo. Opto tibi Mosis clementiam, Davidis pietatem, & Salomonis sapientiam. Vale. Basileæ, Mense Februario, Anno millesimo quingentesimo quinquagesimo primo.

Quæ via sit recta ad intelligendas Sacras Scripturas.

Quemadmodum homo constat ex corpore & anima, ita ut sit corpus animæ domicilium : ita constant sacræ litteræ ex littera & spiritu, ita ut sit littera qvoddam quasi spiritus domicilium. Et quemadmodum hominis corpus videre, & vocem audire possunt bestiæ ; sed ejus animum aut orationem perspicere neqveunt, qvippe quæ non sint eadem anima præditæ, cujus oculis ita cernere valeant : sic sacrorum scriptorum (quæ ad verum hominem instituendum atque condendum prodita sunt) litteram videre & verba audire possunt impii : sed quis sit litteræ spiritus, & quo spectet divina mens, ii soli intelligunt, qui eo spiritu præditi sunt. Impii quidem non magis eum vident, quam bestiæ sermonem hominum, quorum tan-

tantum voces paucas, & eas vix intelligunt, exclamationes, increpationes, adhortationes, minas. Sic impii vident in sacris litteris quid narretur, quid jubeatur, aut vetetur: sed spiritum, & quasi medullam litteræ non habent. Ut enim hominis negotia solus hominis spiritus novit: sic Dei negotia nemo scit, nisi Dei spiritus, & quem spiritus docuerit. Docet autem is spiritus neminem nisi docilem: hoc est, eos, qui per fidem ad Christum justitiam nostram accedunt, humiles, demissi, & parati relicto judicio carnis, & sua voluntate, Dei voluntati obtemperare. Hæc demonstrari possunt multis oraculis, & exemplis, ex quibus nonnulla adducam, ut ostendam peccatum, humanamque sapientiam & amorem sui in causa esse, ut homines res divinas non intelligant: & quo quisque longius ab iis recedit, eo magis rerum divinarum esse peritum.

Primum & maximum oraculum est, quod Adam, antequam peccavit, habebat Dei divinarumque rerum cognitionem adeo ut bestiis nomina secundum suam cuique naturam indiderit, & ortum fœminæ ex sua dormientis costa creatæ statim cognoverit, ac de ea vaticinatus fuerit. Idem postquam peccavit, carnisque judicium & sensum secutus est, incidit in tantam ignorantiam, ut sese a Dei conspectu absconderet inter arbores: quæ certe magna cæcitas erat, velle Dei omnia videntis oculos latere. Ac quod in Adamo, idem in ejus quoque posteritate deinceps factum est, ut si qui fuerunt Deo credentes, et obedientes, hos Deus asciverit, et suam voluntatem eis patefecerit: alios non item. Exemplo sunt Henochus, qui cum secundum Dei voluntatem viveret, raptus est ad Deum: Et Noa, qui cum esset sui seculi justissimus, ostendit ei Deus suum de diluvio institutum, rem sane maximi momenti: quod idem fecit postea in Abrahamo, ut ei suam circa Sodomam et Gomorram voluntatem patefaceret, cujus rei causam ipse Deus tradit hanc: (Gen. XIIX.) Egone ut Abrahamum celem de eo quod sum facturus? cum sit Abrahamus gentis maximæ & potentissimæ futurus autor, cumque in eo omnes orbis nationes sint felicitandæ: nam certo scio, suis cum liberis, et porro suæ in posterum stirpi præcepturum esse, ut ad Iovæ normam vitam dirigentes, justitiam colant, atque jus, ut Iova Abrahamo promissa præstet. Idem scripsit David: (Ps. XXV.) Si quis homo est, inquit, qui Iovam metuat, huic ille viam demonstrabit, quam eligat, et ipse in bonis versabitur, ea ejus posteritas terram possidebit. Iovæ metuentibus patefiet ejus arcanum atque fœdus. Item illud: (Ps. CXIX.) Sapientiorem me, quam sunt hostes mei, reddidit tua disciplina, quam perpetuo habeo: plus sapio quam mei doctores universi, quod oracula tua, mea sunt meditatio. Senes intelligentia supero, quod tua mandata

teneo: ab omni via mala contineo meos pedes, ut tuis dictis paream &c. Item Salomo: (Prov. I.) Iovæ metus, inquit, caput est scientiæ: sapientiam, disciplinamque stulti contemnunt. Et idem (Sap. I.) In malitiosum animum non intrat sapientia, nec habitat in corpore peccatis obnoxio. Sanctus enim disciplinæ spiritus fugit dolum, & ab imperitis cogitationibus abigitur, et injustitiæ adventu confutatur. Et Siracides (Eccl. I.) Sapientiæ plenitudo est metuere Dominum, eaque homines fructibus suis exsaturat: suam domum omnem suis deliciis, & cellas proventibus replet, quod utrunque Dei muneris est ad felicitatem pertinens. Sapientiæ corona est Domini metus pacem germinans & salutarem incolumitatem: cujus amatores gloria abunde exhilarat. Sapientiæ radix est metuere Dominum: rami autem grandævitas. Item (Eccl. III.) Multi quidem præstantes sunt, sed modestis patefiunt arcana. Item (Eccl. XLIII.) Fecit omnia Dominus, deditque piis sapientiam. Et Esaias (Cap. IIX.) Prome oraculum: obsigna disciplinam apud discipulos meos. Et idem (Cap. XXIX.) Postquam in Israelitarum flagitia invectus est, quæ in causa erant, ut divinam doctrinam intelligere non possent, sic loquitur: nam vos Iova ea veterni aura obruit. Item in Ezechiele (Cap. XLIII.) post descriptionem templi (in quo religionis Christianæ arcana adumbrantur) sic vatem alloquitur Deus: Tu homo expone Israelitarum generi templum, &c. Et in Daniele (Cap. XII.) Expurgabuntur, dealbabuntur, & explorabuntur multi; & impie agent impii, nec intelligent ulli impii: at periti intelligent. Et in Osea (Cap. XIII.) Qui sapiens & prudens erit, &c. Item in Novo Testamento eadem traduntur. Christus externos non nisi per parabolas, hoc est, figurate & tectis verbis alloquebatur: suis autem discipulis, hoc est, credentibus, charitate præditis, obedientibus, & eum sequentibus omnia postea seorsum exponebat (Matth. XI, 7. Ioh. V.) Paulus ipse rem totam paucis verbis absoluit (1. Cor. II.) Nam quis hominum scit hominis negotia, &c. usque ad finem. Ex his aliisque multis locis apparet, Dei mentem & arcana consilia, in sacris litteris latentia solis fidelibus, piis & religiosis, Deique spiritu præditis esse nota. Est enim Deus Rex, qui sua consilia non nisi fidelibus amicis suis patefaciat, quemadmodum reges ipsos mundanos facere videmus. Itaque licet observare, ab orbe condito non nisi pios admissos esse in Dei consilium. Supra commemoravi Henochum, Noam, Abrahamum: Idem licet dicere de Isaaco, Iacobo, Iosepho, Mose, Iosua, Samuele, Davide, cæterisque vatibus et Apostolis Dei servis, quibus sive illiterati sive litterati fuerunt, voluntatem suam patefecit Deus, & mentem ad intelligendas Scripturas aperuit (Luc. XXIV.) Impii vero et

suo

ſuo judicio nitentes, etiamſi omnes litteras tenuerint, litterarum ſpiritum nunquam intellexerunt, ſed potius perſecuti ſunt, quemadmodum eis exprobrat Stephanus (Act. VII.) O duri cervici, &c.

Quod ſi quando impii vaticinati ſunt, aut de rebus divinis et ſpiritualibus locuti ſunt, quales commemorari poſſunt Balaamus, Saulus, Caiphas, Scribæ et Phariſæi, tamen ii Dei mentem et ſpiritum non vere intellexerunt, ſed ſic de rebus ſibi ignotis locuti ſunt, ut ſi quis Gallus, Germano verba præeunte, Germanice dicat ea quæ ipſemet non intelligat. Videtur hoc indicare Chriſtus, dum dicit, in Cathedra Moſis ſedent Scribæ et Phariſæi: quæ dicunt facite: dicunt enim et non faciunt. Atque idem de iisdem alibi: Sinite eos: cæci ſunt, cæcorum duces: jubetque eorum fermentum caveri, quaſi hoc dicat: Quod Moſis præcepta docent, eis obediendum eſt: ſed quod eorum præceptorum mentem et ſpiritum, qui a me profertur, non vident, ſed repudiant, cœci ſunt. Exempli gratia: Scripſit Moſes: honora tuum patrem atque matrem: hoc dum docent, obediri debet. Sed dum hoc idem præceptum ſuis ſophismatis adulterant, & natos a vera parentum honoratione, ſua falſa et avara interpretatione abſtrahunt, cæci ſunt, Deique præceptum violant. (Matth. XV.) Iidem dum docent ritus et ſacrificia ex præſcripto Moſis obeunda, ſequendi ſunt: ſed dum me, qui illorum rituum & ſacrificiorum mentem et ſpiritum aperio, rejiciunt, et litteræ inani ſcientia inflati eam tenacius retinent, litteræ veritatem atque ſenſum, et Dei voluntatem repudiant, neque legem vere intelligunt: ſi enim intelligerent, certe Chriſtum, qui finis legis eſt, non reſpuerent. Neque vero ſolum impii non intelligunt, ſed et ſiquis eſt, cui ſit aliqua data ejus cognitio, is niſi in ea dat operam, ut creſcat, amittit eam ipſam, quam habuit, cognitionem: id quod indicat Dominus, dum jubet ei qui non fœneravit eripi minam, et ei dari qui habet decem: nam habenti dabitur, & ab eo qui non habet, etiam hoc ipſum, quod habet, auferetur. Id videmus accidiſſe Saulo, qui cum Dei Spiritum haberet, eo propter ſuam inobedientiam privatus eſt, evaſitque propterea ſepties deterior, quam fuerat unquam.

Quæ cum ita ſint, ego omnes, qui animum ad ſacrarum litterarum ſtudium, cognoſcendumque Dei voluntatem applicare volunt, exhortor, ut id faciant, qua via quoque modo fieri debet. Primo ut vera eſſe credant, quæ ibi ſcripta ſunt: nam niſi credent, non intelligent, ſed ſacras litteras profanas ducent. Deinde (qui fidei fructus eſt) ut voluntatem ſuam voluntati Dei ſubjiciant, parati facere, quicquid juſſerit Deus, ſive id ſit dulce ſive amarum, ſive leve ſive grave, ſive facile ſive difficile. Eſt enim

ea natura fidei (per quam servari nos oportet, et sine qua Deo placere non possis) ut hominem non solum justificet, et ei peccatorum remissionem per Christum conciliet, sed etiam novum ei conciliando spiritum, eum potestati diaboli eripiat, & Dei servitio emancipet. Fides, inquam, corda purificat, hominemque ex injusto reddit justum, ex inobediente obedientem, ex carnali spiritualem, ex terrestri cœlestem, ex impio pium: breviter ex vetere homine & filio tenebrarum facit novam creaturam, & lucis filium, qui abjectis operibus tenebrarum induat arma lucis, & justitiæ fructificet, sicut antea fructificavit injustitiæ. Hac igitur fide & mente et voluntate si quis præditus, ad sacrarum litterarum studium accedet, is sive eruditus erit, sive ineruditus, sive pauper sive dives, sive mas sive fœmina (personarum enim rationem non habet Deus) eas vere intelliget, & cum fructu leget, fietque inde indies melior, & ibi eos cœlestis sapientiæ thesauros latere mirabitur, quos nunquam suspicatus erat. Sin aliquis voluntati suæ obedire, & humanam, hoc est, stultam sapientiam retinere, neque suis vitiis & peccatis renunciare volet, sed tantum vel credere, vel exequi, quantum ejus libidini & carni libebit, is sua prava voluntate cœcatus, sacrarum litterarum spiritum non videbit: sed ea non sequens, verum ad suam libidinem trahens, atque torquens, & inde suis peccatis præsidia et tegumenta, et patrocinia undique conquirens, nihil aliud consequetur, quam inanem litteræ cognitionem, qua inflatus reddetur indies quo peritior eo perditior, ut habet Germanicum proverbium. Hoc accidisse videmus Scribis et Pharisæis, qui cum sacras litteras profiterentur, et in earum lectione et studio essent assidui, tamen quia vitiis et voluntati et judicio suo renunciare noluerunt, ab earum mente et spiritu usque adeo aberrarunt, ut Christum earum verum divinumque interpretem, crucifixerint: atque hoc idem accidet omnibus sic animatis et sic compositis ut illi fuerunt.

Quare agite, o vos omnes, qui sacros hos libros in manus sumitis, abjicite profanos animos: Credite Deo: renunciate voluntati vestræ, et vos summisso, sequaci, obsequenti, et plane puerili, hoc est, docili animo, sic informandos Deo tradite, ut puer ludimagistro facit: atque eodem animo Deum assidue orate: nec prius desistite, quam optata fueritis consecuti: nam quisquis quærit, invenit, et qui petit, obtinet, et pulsanti aperitur. Hac una via Dei voluntatem percipietis, et secundum eam viventes, vestramque repudiantes, et contra vos ipsos pugnantes, per fidem in Iesu Christo servatore mundi collocatam pervenietis ad vitam æternam.

EVAN-

EVANGELIUM
AUTORE
MATTHÆO.

CAPUT I.

Christi genealogia, & conceptus. Josephi suspicio, & confirmatio de virgine. JESU nomen.

NUMERATIO * generis JESU CHRISTI, prognati Davide, prognati Abrahamo.

* *Christi genus.* Luc. 3,23.&c.

2 Abrahamus genuit Isaacum, Isaacus Jacobum, Jacobus Judam & ejus fratres.

3 Judas Pharem & Zaram ex Thamare. Phares Esromum, Esromus Aramum.

4 Aramus Aminadabum, Aminadabus Naassonem, Naasson Salmonem.

5 Salmon Boozum ex Rachaba, Boozus Obedem ex Rutha, Obed Jessæum.

6 Jessæus Davidem regem, David rex Salomonem, ex ea quæ fuerat Uriæ.

7 Salomo Roboamum, Roboamus Abiam. Abias Asam.

8 Asa Josaphatum, Josaphatus Joramum, Joramus Oziam.

9 Ozias Joathamum, Joathamus Achazum, Achazus Ezechiam.

10 Ezechias Manassem, Manasses Amonem, Amon Josiam.

11 Josias Joacimum, Joacimus Jechoniam, & ejus fratres in exilio Babylonico.

12 Post exilium Babylonicum, Jechonias genuit Salathielem, Salathiel Zorobabelem.

13 Zorobabel Abiudem, Abiud Eleacimum, Eleacimus Azorem.

14 Azor Sadocum, Sadocus Achimum, Achimus Eliudem.

15 Eliud Eleazarum, Eleazarus Matthanem, Matthan Jacobum.

16 Jacobus Josephum Mariæ virum, ex qua natus est JESUS nomine Christus.

17 † Igitur in universum ab Abrahamo ad Davidem genera sunt quatuordecim. A Davide item ad exilium Babylonicum, quatuordecim. Ab exilio Babylonico ad Christum, quatuordecim.

† *Generis gradus.*

18 Jesu Christi autem nativitas sic se habet: Cum esset desponsa mater ejus Maria Josepho, priusquam convenissent, comperta est uterum ferre ex Spiritu Sancto.

Luc. 1,27.34.35. & 2,5.

19 Josephus vero vir ejus, qui justus esset, nec in eam vellet exemplum edere, statuit eam clam repudiare. Deut. 24,1.

20 Hæc cum haberet in animo, ecce Domini angelus in somnis apparuit ei, & ita locutus est: Josephe Davide prognate, ne metue ascisscere Mariam uxorem tuam: nam quod in ea genitum est, ex Sancto Spiritu est.

21 Pariet autem filium, quem Jesum nomine vocabis: is enim suos ab ipsorum peccatis vindicabit. Luc. 1, 31. Act. 2, 21.

22 Hoc autem totum factum est, ut confieret quod a Domino dictum fuerat per Vatem, ita dicentem:

23 Virgo ventrem latura est, & editura filium, qui nominabitur Emmanuel: quod perinde est ac si dicas, Nobiscum Deus. Esa. 7, 14.

24 Igitur experrectus a somno Iosephus fecit ut ei præceperat Domini Angelus, ascivitque suam conjugem.

25. Nec eam cognouit, donec ea peperit filium suum primogenitum, quem Jesum nomine vocavit. Luc. 2, 7.

CAP. II.

Christi ortus. Per Magos Herodis furor: eorundem adoratio, & munera. Josephi fuga. Infantium cædes. Josephi reditus. Nazarei cognomen.

JEsu autem Bethlehemæ in Iudæa nato, tempore regis Herodis venerunt ab Oriente Magi Hierosolymam, Luc. 2, 1. 4. 6.

2 Et ubinam esset Iudæorum natus rex, quæsiuerunt: Sese enim eius vidisse stellam in Oriente, itaque eum adoratum venisse.

3 Quibus auditis, turbatus una cum tota Hierosolyma rex.

4 Convocatis omnibus Pontificibus & Scribis populi, sciscitatus est ab eis ubinam Christus nasciturus esset.

5 Cui illi responderunt: Bethlehemæ Iudææ: sic enim a vate scriptum esse:

6 Et tu Bethlehema Iudææ terra, nequaquam minima es præfecturarum Iudææ: ex te enim mihi prodibit Dux, qui meum reget Israeliticum populum. Mich. 5, 2. Ioh. 7, 42.

7 Tunc Herodes clam vocatis Magis, perquisiuit ab eis tempus quo stella apparuisset,

8 Eosque Bethlehemam dimisit ita dicens: Ite, & de puero diligenter inquirite: ac cum inveneritis, certiorem me facitote, ut ego quoque ad eum adorandum proficiscar.

9 Igitur illi, audito rege, profecti sunt: ac tum stella, quam in Oriente viderant, eos antecessit, donec venit, stetitque supra locum ubi puer erat.

10 Illi visa stella, maximo gaudio lætati sunt.

11 Et domum ingressi, puerumque cum eius matre Maria nacti, prociderunt, eumque adorarunt, & apertis suis capsis, obtulerunt ei munera aurum, thus & myrrham. Ps. 72, 10. Es. 60, 6.

12 Deinde oraculo moniti in somnis, ne ad Herodem reverterentur, per aliam viam se receperunt in patriam.

13 Digressis illis, Domini Angelus Josepho in somnis apparet. Surge, inquit, & assumpto puero, ejusque matre, fuge in Ægyptum, & illic esto, donec ego te moneam. Quæsiturus est enim pue-

puerum Herodes ad necem:
14 Igitur ille surgit, & una cum puero, ejusque matre, noctu concessit in Ægyptum:
15 Ibique fuit, usque ad Herodis obitum, ut confieret quod fuerat a Domino dictum per Vatem ita dicentem: Ex Ægypto evocavi filium meum. Oseæ 11, 1.
16 Tunc Herodes videns se a Magis illusum esse, adeo iratus est, ut miserit interfectum pueros, quotquot Bethlehemæ, & in toto ejus territorio erant, infra bimatum, pro tempore quod a Magis perquisierat:
17 Tunc accidit id quod a Ieremia vate ita dictum fuerat:
18 Auditur apud Ramam vox, lamentatio comploratioque & multus questus. Rachel est suos natos deplorans insolabiliter, quia perierunt. Ierem. 31, 15.
19 Defuncto autem Herode, Domini angelus Josepho in somnis apparet in Ægypto & eum sic alloquitur:
20 Surge, & una cum puero, ejusque matre proficiscere in Israeliticam terram: mortui sunt enim qui pueri vitam petebant.
21 Ita ille surgit & assumpto puero ejusque matre contendit in terram Israeliticam.
22 Sed audiens Archelaum in Iudæa Herodi patri suo in regnum successisse timuit illo ire & oraculo secundum quietem admonitus, contulit se in agrum Galileæ.
23 Iuitque commoratum in oppidum quoddam Nazaretha dictum: ut id fieret quod a Vatibus prædictum erat Nazaræum vocatum iri.

CAP. III.

Sedes, victus, doctrina Johannis: cum eo Christi colloquium, & baptismus. Vox cœlestis.

QUodam autem tempore venit Johannes Baptista, qui in Judææ solitudine prædicaret, Marc. 1, 4. Luc. 3, 3.
2 Ac diceret: Corrigite vos: instat enim cœleste regnum.
3 Is est enim, qui dictus est ab Esaia vate dicente: Vox clamantis in solitudine: Parate viam Domini, rectas facite semitas ejus. Esa. 40, 3.
4 Habebat autem Joannes ex camelinis pilis indumentum, lateribus pelliceo cingulo circundatis. Cibus ejus erant locustæ, & mel sylvestre. Marc. 1, 6.
5 Tunc ad eum proficiscebatur Hierosolyma, omnisque Judæa & Jordanis ora, Marc. 1, 3. Luc. 3, 7.
6 Ab eoque baptizabantur in Iordane, confitentes peccata sua. Marc. 1, 5.
7 Quum vidisset autem multos Pharisæorum & Sadducæorum ad suum baptisma venientes, dixit eis: Progenies viperina, quis vos summonuit futuram iram fugere? Luc. 3, 7.
8 Edite ergo fructus emendata vita dignos. Luc. 3, 8.
9 Neve animum inducite sic apud vos dicere: Patrem habemus Abrahamum. Dico enim vobis, posse Deum ex his saxis suscitare natos Abrahamo. Joh. 8, 39. Act. 13, 26.
10 Iam vero securis arborum radici admota est. Itaque arbor omnis fructum bonum non edens,

edens excidenda est, & in ignem injicienda. Joh. 15, 6.

11 Ego quidem baptizo vos aqua ad vitæ emendationem: sed post me venit, qui quidem adeo me præstantior est, ut ego non sim dignus qui ejus calceamenta portem. Is vos Sancto Spiritu & igne baptizabit.

Ioh. 1, 26. Act. 1, 5. & 2, 4.

12 Is in manu suum habens ventilabrum, aream suam expurgabit, frumentumque suum comportabit in horreum: paleam autem igni cremabit inextincto.

Luc. 3, 17. Infr. 13, 30.

13 Tunc adiit ex Galilæa Ioannem Iesus ad Iordanem, ut ab eo baptizaretur. Marc. 1, 9. Luc. 3, 21.

14 Sed eum prohibebat Ioannes, dicens: Mihi ut a te baptizer opus est, & tu venis ad me?

15 Cui respondens Iesus: Sine modo, inquit, sic enim decet nos omni justitia perfungi: tunc ille eum sinit.

16 Et Iesus simul ac baptizatus est, ascendit ab aqua: & ecce apertis ei cœlis vidit Ioannes Dei Spiritū descendentē quasi colūbam & in eum venientē. Ioh. 1, 33.

17 Et ecce vox e cœlis, dicens: Hic est meus charissimus filius, qui mihi acceptus est.

Es. 42, 1. Ps. 2, 7. Matth. 17, 5. Luc. 9, 35. 2. Pet. 1, 17.

CAP. IV.

Jejunium, tentatio, victoria Christi de Satana. Angeli ad Christum: ejusdem recessus, concio, delectus Petri, Andreæ, Jacobi, Johannis. Miracula.

TUnc Iesus a spiritu subductus est in solitudinē, ut tentaretur a Diabolo: Marc. 1, 12. Luc. 4, 1.

2 Dumque quadraginta dies, & totidem noctes jejunasset, tandem esuriit.

3 Igitur aggreditur eum tentator: Si Dei filius es, inquit, jube ut hi lapides panes fiant.

4 Cui ita respondit ille: Scriptum est, Non solo pane vivit homo, sed omni verbo per os Dei prodeunte.

Deut. 8, 3. Sap. 16, 26. Luc. 4, 4.

5 Tunc adducit eum diabolus in sanctam urbem, & in templi pinnis constitutum.

6 Sic alloquitur: Si Dei filius es, jace te deorsum: Scriptum est enim: Angelis suis de te mandabit, ut te manibus tollant, ne pedem ad lapides offendas.

Ps. 90, (91,) 11.

7 At Iesus: Rursum scriptum est: (inquit illi) Ne tentato Dominum Deum tuum. Deut. 6, 16.

8 Rursus adducit eum Diabolus in præaltum montem, eique omnia regna mundi, & eorum gloriam ostendit.

9 Et, hæc omnia tibi dabo, inquit, si procubueris, & me adoraveris.

10 Hic Iesus: Abi e conspectu meo, Satana, inquit ei: Scriptum est enim: Dominum Deum tuum adorato, eumque solum colito. Deut. 6, 13. & 10, 20.

11 Tunc omittit eum Diabolus, & ecce advenerunt angeli, qui ei ministrarunt.

12 Audiens autem Iesus captum esse Ioannem, petiit Galilæam. Marc. 1, 14. Luc. 3, 19. & 4, 14. Ioh. 4, 43.

13 Et relicta Nazaretha Capernaum

naum profectus, ibi commoratus est (ea est maritima in finibus Zabuloniis & Nephthalensibus)
Luc. 4, 16. 30. 31.
14 Ut fieret quod erat ab Esaia vate dictum in hunc modum:
15 Zabulonia Nephthalensisque terra mare versus, trans Iordanem, Galilæa Gentium. Es. 9, 1. 2.
16 Populus in tenebris degens vidit lucem magnam, & manentibus in terra noctis regione lux orta est.
17 Ex eo cœpit Iesus prædicare & dicere: Corrigite vos: instat enim regnum cœlorum.
Marc. 1, 15. Luc. 4, 14.
18 Ambulans autem Iesus apud lacum Galilææ cum vidisset fratres duos, Simonem cognomine Petrum & Andream ejus fratrem, rete jacientes in lacum, (erant enim piscatores)
Marc. 1, 16. Luc. 5, 2. Ioh. 1, 42.
19 Dixit eis: Sequimini me, & faciam vos hominum piscatores.
20 Atque illi continuo relictis retibus eum secuti sunt.
21 Inde progressus, vidit alios duos fratres, Iacobum Zebedæi filium, & Ioannem ejus fratremin navi cum suo patre Zebedæo sarcientes sua retia eosque vocavit.
22 Atque illi protinus relicta navi, patreque suo, secuti sunt eum. Matth. 19, 27. Luc. 5, 11.
23 Obibat autem totam Galilæam Iesus, docens in eorum Synagogis, & publicans Evangelium regni, omnesque morbos, & languores vulgo sanans.
Marc. 1, 23. Luc. 4, 31.
24 Itaque tanta ejus fama totam Syriam pervasit, ut afferrentur ei quicunque male affecti diversis morbis & cruciatibus tenebantur, dæmoniaci, furiosi, lunatici, membris capti, quos ille sanabat.
25 Eumque secuta est ingens hominum turba a Galilæa & Decapoli, & Iudæa, & ora Transjordanina.

CAP. V.

Viventis pii beatitates. Apostolorum dignitas: munus culpáve: de lege Christi partes: ejusdem falsi doctores ac boni. Antiquorum & Christi collatus: de homicidio, rixa, reconciliatione, adulterio, repudio: de juramento, patientia, lite, benignitate, studioque in hostes: perfectio nostra.

VIdens autem tantam hominum multitudinem, conscendit in montem. Cumque sedisset, adierunt eum ejus discipuli.
2 Et ille eos hujusmodi oratione docere aggressus est:
3 Beati pauperes spiritu: nam eorum est cœleste regnum.
Luc. 6, 20.
4 Beati qui lugent: nam ii consolandi sunt. Esa. 61, 2.
5 Beati mites: nam ii terram possidebunt. Ps. 37, 11.
6 Beati qui esuriunt, sitiuntque justitiam: nam ii saturabuntur.
Es. 55, 1. & 65, 13. Luc. 6, 21.
7 Beati misericordes: nam eis tribuetur misericordia. Jac. 2, 13.
8 Beati corde puri: nam ii Deum videbunt. Ps. 24, 4.
9 Beati pacifici: nam ii Dei filii vocabuntur. 1. Ioh. 3, 2.
10 Beati qui justitiæ causa infestantur: nam eorum est cœleste regnum. 2. Tim. 2, 12.
11 Be-

11 Beati estis quandocunque vobis conviciabuntur homines, & vos insectabuntur, & in vos omnia maledicta conjicient, mentientes propter me.
Luc. 6, 22. 1. Pet. 4, 14.

12 Gaudete & lætamini: nam multa vobis in cœlo merces est: sic enim insectati sunt Vates majores vestros. Luc. 6, 23.

13 Vos estis sal terræ. Quod si sal infatuatum fuerit, quo salietur? ad nullam rem jam idoneum est, nisi ut foras projiciatur, & ab hominibus conculcetur. Marc. 9, 50. Luc. 14, 34.

14 Vos estis lux mundi. Non potest urbs latere in monte sita.
Phil. 2, 15.

15 Nec accenditur lucerna, ut sub modio, sed ut in candelabro ponatur; atque ita omnibus qui domi sunt illuceat.
Marc. 4, 21. Luc. 8, 16.

16 Sic luceat vestra lux apud homines, ut vestra recte facta videntes, collaudent vestrum Patrem, qui est in cœlis.
1. Pet. 2, 12.

17 Ne putate venisse me, ut legem aut vates abrogem, non ut abrogem veni, sed ut perficiam

18 Hoc enim vobis confirmo, citius periturum cœlum atque terram quam aut unum i, aut unus apex pereat ex lege, quin fiant omnia. Luc. 16, 17

19 Igitur qui contra vel minimum horum præceptorum fecerit, licet ita doceat homines, tamen minimus numerabitur in regno cœlesti. Qui vero & præstiterit, & docuerit, is magnus numerabitur in regno cœlesti. Jac. 2, 10.

20 Hoc enim vobis dico, nisi justitia Scribis & Pharisæis excellueritis, non estis in cœleste regnum ingressuri.

21 Audivistis antiquis dictum esse: Ne occidito: quod qui occiderit, eum teneri judicio.
Exod. 20, 13. Deut. 5, 17.

22 Ego vero dico vobis: Quisquis immerito fratri suo irascitur, tenebitur judicio; & qui fratrem suum Balatronem vocaverit, tenebitur consessu: & qui Fatuum vocaverit, tenebitur ignis gehenna. 1. Joh. 3, 25.

23 Itaque si oblaturus tuum munus ad aram, ibi recordatus fueris tuum fratrem habere quod de te queratur,

24 Relinque illic tuum munus ad aram, & prius i, reconciliare tuo fratri, atque ita demum i oblatum munus tuum.

25 Compone cum adversario tuo mature, dum es in via cum eo, ne te tradat adversarius judici, & judex ministro, atque ita in custodiam deris. Luc. 12, 58.

26 Profecto (inquam ego tibi) non exibis inde, quin ultimum solveris quadrantem.

27 Audivistis antiquis esse dictum: Ne adulterato.
Exod. 20, 14. Deut. 5, 18.

28 Ego vero vobis dico, quisquis fœminam sic aspicit, ut eam concupiscat, jam eam animo adulteravit.

29 Quod si tibi vel oculus tuus dexter officit, erue eum, & abjice. Præstat enim tibi unum membrorum tuorum perdi, quam

quam totum corpus tuum in gehennam dejici.

30 Et si tibi vel dextera tua manus officit, amputa eam, & abjice. Præstat enim tibi unum membrorum tuorum perdi, quam totum corpus tuum in gehennam dejici.

31 Dictum est item: Qui uxorem suam repudiabit, det ei instrumentum divortii.

Deut. 24, 1. Matth. 19, 7.

32 Ego vero vobis dico, qui uxorem suam repudiat (excepta stupri causa) in causa est ut ea adulteret: & qui repudiatam ducit, adulterat.

33 Rursus audivistis dictum veteribus; Ne pejerato, sed Domino quæ juraveris reddito.

Deut. 23, 23. Lev. 19, 12. Exod. 20, 7.

34 At ego vobis dico, omnino non esse jurandum: neque per cœlum, quoniam DEI solium est; Jac. 5, 12.

35 Neque per terram, quia ejus pedum subsellium est: neque per Hierosolyma, quoniam urbs magni regis est.

36 Neque per tuum caput juraveris quoniam non possis vel unum crinem album nigrumve facere:

37 Sed esto sermo vester, etiam, etiam non, non. Quod præter hoc est, id a Malo est.

38 Audistis ut dictum sit: Oculum pro oculo, dentem pro dente. Exod. 21, 24.

39 Ego vero vobis dico, non esse resistendum injuriæ; quin si quis tibi colaphum in dexteram malam impegerit, obverte ei etiam alteram Luc. 6, 29, 1. Cor. 6, 7.

40 Et si quis tecum litigare, & tunicam tuam velit auferre, concede ei etiam togam.

41 Et si quis te cogere velit ad unum milliare, comitare eum vel duo.

42 A te petenti dato, & si quis velit a te mutuari, ne recusato.

43 Audivistis dictum: Proximum tuum amato, & inimicum tuum oderis. Lev. 19, 18.

44 At ego vobis dico: Amate inimicos vestros, bene precamini iis, qui vobis imprecantur: benefacite vestris malevolis, & orate pro lædentibus & insectantibus vos,

Eph. 5, 1. 2. Rom. 12, 14.

45 Ut filii sitis vestri Patris, qui in cœlis est, qui Solem suum oriri faciat in malos juxta ac bonos, & justos injustosque compluat.

46 Nam si eos demum amatis, qui vos amant, quam mercedem habituri estis? an non vel publicani idem faciunt? Luc. 6, 32.

47 Et si vestros duntaxat fratres salutatis, quid egregium facitis? nonne vel Publicani similiter faciunt?

48 Eritis igitur perfecti vos, quemadmodum Pater vester, qui in cœlis est, perfectus est.

Lev. 19, 2. Eph. 5, 1.

CAP. VI.

Eleemosyna, oratio, quibus ignoscetur, jejunium, thesaurus, adversi Domini: cura, quæ mala, quæ bona.

CAvete ne benignitatem in hominum conspectu exerceatis per ostentationem: alioqui

qui præmium non estis habituri apud Patrem vestrum, qui in cœlis est.

2 Igitur quandocunque benigne facis, noli præ te tuba clangere, ut simulatores faciunt in synagogis atque vicis, ut collaudentur ab hominibus. Hoc vobis confirmo, eos jam habere suam mercedem. Rom. 12, 8.

3 At te benigne faciente nesciat tua sinistra quid faciat dextera.

4 Ut sit tua liberalitas in occulto, & tuus Pater, qui occulta videt, tibi palam reddet. Luc. 14, 14.

5 Item quum supplicas, ne esto simulatorum similis, qui qvum supplicant, amant in conventibus esse, & platearum angiportis, ut sint hominibus conspicui. Hoc vobis confirmo, eos habere suam mercedem.

6 At tu supplicaturus ingredere conclave tuum, & clausa janua tua, supplica tuo Patri in occulto: & Pater tuus, qui occulta videt, tibi palam reddet.

7 Supplicantes autem ne garrite ut Ethnici, qui se putant ob loquacitatem suam exaudiendos.

8 Ne este igitur eorum similes. Scit enim pater vester, quibus egeatis, antequam eum rogetis.

9 Sic igitur supplicate vos: Pater noster qui es in cœlis, Sancte colatur nomen tuum. Luc. 11, 2.

10 Veniat regnum tuum. Fiat voluntas tua ut in cœlo, sic & in terra.

11 Victum nostrum alimentarium da nobis hodie.

12 Et remitte nobis debita nostra, ut & nos remittimus debitoribus nostris.

13 Neve nos in tentationem inducito, sed a malo tuere: quoniam tuum est regnum, & potentia & gloria in sempiternum. Amen.

14 Si enim remiseritis aliis hominibus sua delicta, remittet & vobis Pater vester cœlestis. Eccl. 28, 2. Marc. 11, 25.

15 Sin minus remiseritis aliis sua delicta, ne Pater quidem vester remittet vestra delicta.

16 Qvum autem jejunatis, ne este tetrici, quales simulatores, qui vultus suos deformant, ut aliis appareat eos jejunare. Hoc vobis confirmo, eos suum abstulisse præmium.

17 At tu jejunans ungito tibi caput, & vultum lavato.

18 Ne perspicuum sit aliis hominibus jejunare te: sed Patri tuo, qui occultus est: & Pater tuus, qui occulta cernit, tibi palam reddet.

19 Ne congerite vobis opes in terris, ubi & ærugo, tineaque corrumpit, & fures perfodiunt & furantur; Luc. 12, 33.

20 Sed vobis opes in cœlo congerite, ubi nec ærugo aut tinea corrumpit, nec fures perfodiunt, aut furantur.

21 Nam ubi vestræ erunt opes, ibidem erit & cor vestrum.

22 Lucerna corporis est oculus. Quod si fuerit oculus tuus simplex, totum corpus tuum erit lucidum. Luc. 11, 34.

23 Sin fuerit oculus tuus nequam, totum corpus tuum erit tenebrosum. Si igitur quod in te lumen est, tenebræ sunt, quantæ erunt ipsæ tenebræ?

24 Ne-

24 Nemo potest duobus servire dominis: aut enim hunc oderit, illum amabit: aut hunc tuebitur, illum contemnet. Non potestis Deo servire & opibus. Luc. 16, 13.

25 Hanc ob rem (inquam ego vobis) ne este de vestra vita solliciti, quid esuri bibiturive: neque de corpore, quid vestituri sitis. Quasi vero non & vita pluris sit, quam alimonia, & corpus quam vestitus. Phil. 4, 6.

26 Aspicite volucres aereas, ut neque serant neque metant, nec in cellas congerant, tamen vester cœlestis Pater eas alit. Quasi vero non vos multo sitis eis præstantiores. Job. 38, 41. Ps. 147, 9.

27 Quis autem vestrum sua solicitudine potest unum cubitum addere suæ staturæ?

28 Item de vestitu quid solicitamini? Discite ut terrestria crescant lilia, neque laborando, neque nendo.

29 Atqui hoc vobis dico, ne Salomonem quidem cum omni splendore ita vestitum fuisse, ut horum quodlibet.

30 Quod si terrestrem herbam (quæ hodie est & cras in clibanum conjicitur) Deus sic vestit, nonne multo magis vos, O parum fidentes!

31 Ne este igitur soliciti, dicentes: Quid edemus? aut quid bibemus? aut quid induemus?

32 Ista enim omnia requirunt gentes. Scit enim vester cœlestis Pater, vos istis omnibus egere.

33 Sed quærite primum regnum justitiamq; Dei, & ista omnia vobis addentur. 3. Reg. 3, 6. Luc. 12, 33.

34 Ne este igitur in crastinum soliciti: nam crastinus dies sua curabit: satis est suum cuique diei malum.

CAP. VII.

Temerarius judex. Rei sanctæ precium. Consolatio. Legis caput. Vitæ lethique janua. Falsi vatis notæ. Arbor diversa. Fictæ pietas: hujus pœna. Legis cultor ac derisor. Christi autoritas.

NE judicate, & non judicabimini. Luc. 6, 37. 38. Rom. 2, 1. 1. Cor. 4, 3. Marc. 4, 24.

2 Nam quo judicio judicabitis, eodem judicabimini: & qua mensura mensi fueritis, eadem vobis remetietur.

3 Quid autem festucam cernis in oculo tui fratris, & trabem in oculo tuo non animadvertis? Luc. 6, 41.

4 Aut audebis dicere tuo fratri: Sine eximam ex oculo tuo festucam, qvum sit in oculo tuo trabs?

5 Simulator, exime prius ex oculo tuo trabem, & ita demum cernes ad eximendam ex tui fratris oculo festucam.

6 Ne date rem sacram canibus, neve margaritas vestros porcis apponite: ne hi eos pedibus conculcent illi versi lacerent vos.

7 Petite, & dabitur vobis: quærite & invenietis: pulsate, & vobis aperietur. Inf. 21, 22. Marc. 11, 24. Luc. 11, 9. Joh. 14, 13. & 16, 14. Jac. 1, 6.

8 Quisquis enim petit, obtinet: & quisquis quærit, invenit: & pulsanti aperitur.

9 Jam quis est vestrum homo, qui petenti filio suo panem, det lapidem?

10 Aut piscem petenti, det anguem?

11 Quod si vos, qui mali estis, tamen scitis bona dare vestris liberis, quanto magis Pater vester qui in cœlis est, dabit bona poscentibus se?

12 Quicquid igitur vultis ut vobis faciant alii, idem vos etiam eis facite: nam ea lex est, atque vates. Luc. 6, 31. Tob. 4, 16.

13 Intrate per angustam portam: nam lata est porta, & ampla via, quæ ducit ad interitum, multique sunt qui per eam ingrediuntur. Luc. 13, 24.

14 Sed angusta porta & arcta via est, quæ ducit ad vitam, paucique sunt qui eam inveniant.

15 Cavete autem falsos vates, qui quidem veniunt ad vos in vestimentis ovium, qvum intus sint lupi rapaces.

Mich. 3, 5. 2. Tim. 3, 5.

16 Eos ex suis fructibus cognoscetis. Scilic. colligitur ex spinis uva? aut ex tribulis ficus? Luc. 6, 44.

17 Ita omnis arbor bona fructus bonos edit: tetra autem arbor fructus malos edit.

18 Non potest arbor bona fructus malos facere: nec arbor tetra fructus ferre bonos.

19 Omnis arbor bonum fructum non ferens, excinditur, & in ignem conjicitur.

Joh. 15. 2, 6.

20 Igitur ex suis illos fructibus cognoscetis.

21 Non quisquis mihi dicet, Domine, Domine, intrabit in cœleste regnum sed qui fecerit quod vult meus Pater, qui est in cœlis. Rom. 2, 13. Jac. 1, 22.

22 Multi mihi dicent in illa die: Domine, Domine, nonne tuo nomine vaticinati sumus? & tuo nomine dæmonia expulimus? & tuo nomine multa prodigiose fecimus? Luc. 13, 26. 27.

23 Quibus ego tum aperte dicam: Nunquam cognovi vos: facessite a me malefici. Ps. 6, 9.

24 Igitur quisquis hæc mea dicta & audit, & exequitur, eum cum viro prudenti comparo, qui domum suam in rupe construit. Luc. 6, 47.

25 Quæ domus delapso imbre, venientibus fluviis, spirantibus ventis & in eam irruentibus, non tamen cadit, quippe fundata in rupe.

26 Quisquis vero hæc mea dicta audit, nec exequitur, similiter facit, ac si quis stultus homo domum suam in arena construat.

27 Quæ domus, delapsa pluvia, venientibus fluviis, spirantibusque ventis, & in eam impingentibus corruat, & ingentem ruinam det.

28 Postquam hanc orationem finivit Jesus stupebat illa hominum turba ad ejus doctrinam: Marc. 1, 22. Luc. 4, 32.

29 Quippe qvum doceret eos, ut potestate præditus, non ut Scribæ.

CAP. VIII.

Leprosi sanitas, & instructio. Centurio pro puero: fideles & infideles, ignorati. Petri socrus, miracula. Christi tenuitas. Vana solicitudo. Christus in tempestates. Dæmones in sues. Dimissus Jesus.

DEgressum autem eum de monte, secuta est ingens hominum turba.

2 Tum

2 Tum venit leprosus, qui eum veneratus dixit: Domine, si vis, potes me mundare.
Marc. 1, 40. Luc. 5. 12.

3 Et Jesus illum porrecta manu tetigit, dicens: Volo mundus esto. Ac statim mundata est illius lepra.

4 Et Jesus: Vide, inquit, ne cui dicas, sed i ostensum te sacerdoti, & munus offer, quod præcepit Moses, ut esset eis testimonio.
Lev. 14, 3. 4. 10.

5 Ingressum autem Jesum Capernaum, convenit Centurio quidam, & hujusmodi verbis oravit. Luc. 7, 1.

6 Domine, puer meus jacet domi sideratus, graviterque cruciatur.

7 Cui Jesus: Ego eum sanatum ibo, inquit.

8 At Centurio respondens: Domine, non sum dignus, inquit, cujus tu tectum subeas: sed tantum jube verbo, & sanabitur puer meus. Luc. 15, 19. 21.

9 Nam ego quoque qui sub alterius sum potestate, si quem eorum, quibus præsum, militum ire jubeo, it: si alium venire, venit: si servum meum aliquid facere, facit.

10 Hoc audito, miratus Jesus, ita dixit sequentibus: Hoc vobis confirmo me ne in Israelitis quidem tantam invenisse fidem.

11 Et sane sic habetote, multos ab oriente & occidente venturos, qui cum Abrahamo, Isaaco, & Jacobo accumbant in regno cœlesti:

12 Qvum interea filii regni in imas ejicientur tenebras, ubi fletus stridorque dentium futurus est. Infra 22, 13 Luc. 13, 28.

13 Tum Centurionem alloquens Jesus: Abi, inquit, & ut confidisti, sic tibi accidat. Itaque sanatus est illius puer eadem illa hora: reversusque domum suam Centurio, eadem illa hora puerum offendit valentem.

14 Ingressus autem Jesus domum Petri videns ejus socrum jacentem ac febricitantem.
Marc. 1, 29. Luc. 4. 38.

15 Ejus manum tetigit, atque illam reliquit febris: illa vero surgere, & eis ministrare.

16 Ubi autem advesperavit, adducti sunt ei dæmoniaci multi: isque verbo spiritus ejecit, & omnes male affectos sanavit,
Marc. 1, 32. Luc. 4, 40.

17 Ut fieret quod fuerat ab Esaia vate dictum, his verbis: Is nostros infirmitates morbosque suscepit atque tulit.
Esa. 53. 4. 1. Pet. 2, 24.

18 Videns autem Jesus ingentem circum sese turbam hominum, jussit L. discipulos G. trajicere.

19 Et aggressus eum quidam Scriba, inquit ei: Magister, sequar te quocunque ibis. Luc. 9, 57.

20 Cui Jesus: Vulpes latebras habent, & aereæ volucres nidos: at homine natus non habet ubi caput reclinet.

21 Alius item ejus discipulorum dixit ei: Domine, permitte mihi prius ire sepultum patrem meum.

22 At Jesus: sequere me (inquit ei) & mortuos sine suos sepelire mortuos.

23 In-

23 Ingressum autem eum in navem secuti sunt ejus discipuli:

Marc. 4. 35. Luc. 8, 22.

24 Et ecce, tanta tempestas extitit in lacu, ut fluctibus obrueretur navis: ipse autem dormiebat.

25 Igitur eum aggressi ejus discipuli excitant: Domine, inquiunt, serva nos, perimus.

26 At ille: Cur timidi estis? (inquit eis) O parum fidentes. Deinde surrexit, & ventos ac lacum increpuit: unde tanta tranquillitas extitit, ut admirati homines ita dicerent:

27 Qualis est hic, ut ei & venti & lacus obediant?

28 Deinde ubi in Gergesenorum agrum trajecit, occurrerunt ei duo dæmoniaci ex monimentis prodeuntes, adeo feri, ut illac transire nemo posset.

Marc. 5, 1. Luc. 8, 26.

29 Atque ii sic tum clamarunt: Quid tibi nobiscum rei est, Iesus Dei fili? Huccine venisti ante tempus vexatum nos?

30 Qvum esset autem procul ab eis numerosus porcorum grex pascentium.

31 Dæmones eum ita rogant: Si nos ejicis, permitte nobis in porcorum gregem immigrare.

32 Quibus ille: Ite, inquit. Atque illi egressi, in porcorum gregem immigrarunt, & ecce ruit universus porcorum grex per præceps in lacum, suntque in aqua mortui.

33 Pastores autem fugerunt: & in oppidum profecti, cum alia omnia, tum de dæmoniacis nunciarunt.

34 Tum tota civitas exire obviam Iesu, eoque viso, rogarunt ut a suis finibus discederet.

CAP. IX.

Paralyticus. Christus in noxis. Matthæus electus, publicani JEsu convivæ. Medicus cui: miseratio quanta, ad Joannis discipulos responsio, profluvium muliebre, puella rediviva. Cæci duo, mutus dæmone vexatus, messorum inopia.

IGitur navem ingressus trajecit & in oppidum suum venit.

2 Tum ei allatus est jacens in lecto sideratus. Et Iesus videns illorum fidem, dixit sideratio: Confide, nate, remittuntur tibi peccata tua.

Marc. 2, 3. Luc. 5, 24.

3 Hic Scribarum quidam secum cogitare eum impie loqui.

4 Quorum cogitationes videns Iesus, ita dixit: Cur vos prave cogitatis cum vestris animis?

5 Utrum enim facilius est dicere: Remittuntur tibi peccata, an dicere: Surge, & ambula?

6 Atque ut sciatis potestatem habere homine natum in terris peccata remittendi: Surge (inquit tum sideratio) tolle tuum lectum, & abi domum tuam.

7 Atque ille surrexit, domumque suam discessit.

8 Id quod videns hominum turba mirata, Deum collaudavit, qui tantam hominibus potestatem dedisset.

9 Illinc digrediens Iesus, conspicatus hominem ad publicanorum mensam sedentem, nomine Matthæum, dicit ei: Se-

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt urn:nbn:de:gbv:3:1-648051-p0036-4 DFG

Sequere me. Atque ille surrexit, & eum secutus est.

Marc. 2, 14. Luc. 5, 27.

10 Eo autem domi accumbente, qvum frequentes publicani & improbi venissent, & cum Iesu ejusque discipulis discumberent,

11 Pharisæi id videntes quæsierunt ex ejus discipulis, cur cum publicanis & improbis cibum caperet eorum magister.

12 Quo audito, Iesus dixit eis: Non egent valentes medico, sed male affecti.

13 Ite nunc, & discite quid sit: Pietatem malo quam sacrificium. Non enim veni vocatum insontes, sed sontes ab bonam frugem. Os. 6, 6. Infra 12, 7.

1. Tim. 1, 15.

14 Tunc Ioannis discipuli eum hujusmodi verbis aggressi sunt: Cur qvum nos & Pharisæi multum jejunemus, discipuli tui non jejunant?

Marc. 2, 18. Luc. 5, 33.

15 Quibus IEsus: Possuntne mœrere qui celebrant nuptias, quandiu cum eis sponsus adest? Sed veniet tempus, cum eis sponsus auferetur: tum demum jejunabunt.

16 Neque vero quisquam adhibet rudis panni pittacium veteri vestimento: Auferret enim id supplementum partem vestis, atque ita deterior ruptura fieret.

17 Neque recondi solet vinum novum in veteres utres: alioquin rumperentur utres, & vinum effunderetur, & utres perirent. Sed vinum novum in recentibus conditur utribus, atque ita ambo conservantur.

18 Hæc eo illis loquente, venit quidam de magistratu, qui ei honore præstito, ita dixit: Filia mea modo obiit: sed veni ei imposito manum tuam, & revivisset.

Marc. 5, 22. Luc. 8, 41.

19 Tum Iesus surrexit, & eum secutus est una cum suis discipulis.

20 Hic quædam mulier, quæ sangvinis profluvio duodecimum laborabat annum, eum aggressa a tergo, ejus togæ oram tetigit.

21 Sic enim secum ipsa cogitabat: Si vel ejus togam tetigero, salva sum.

22 Iesus autem conversus, ea visa, dixit: Confide filia, tua te fiducia servavit. Itaque sanata est mulier eadem illa hora.

23 Ut venit autem IEsus in ædes illius, qui magistratum gerebat, viditque tibicines, & turbam tumultuantem,

24 Dixit eis: Discedite, non enim mortua est puella, sed dormit. Illi vero eum deridere.

25 Deinde ejecta turba, prehendit puellæ manum, atque illa surrexit.

26 Emanauitque ejus rei fama in totam illam regionem.

27 Inde digredientem Iesum secuti sunt duo cæci, clamantes in hunc modum, Miserere nostri Davidide.

28 Deinde ingressum in ædes adiere cæci. Et Iesus: Creditis, inquit eis, posse me istud facere? Etiam Domine, inquiunt.

29 Tunc

29 Tunc ille eorum tetigit oculos, dicens: Ut vestra est fiducia, ita vobis accidat.

30 Itaque aperti sunt eorum oculi. Comminatus est autem eis Iesus in hunc modum: Videte ne quis hoc resciscat.

31 At illi digressi, eum per totam illam regionē divulgarunt.

32 Illis autem digredientibus allatus est ei homo mutus dæmoniacus. Luc. 11, 14.

33 Unde ejecto dæmonio locutus est mutus: Id quod homines vulgo mirati sunt, negantes unquam talia apud Israelitas visa fuisse.

34 At Pharisæi dicebant, eum per dæmoniorum principem ejicere dæmonia.

Inf. 12, 24. Marc. 3, 22. Luc. 11, 15.

35 Obibat autem Jesus urbes omnes atque vicos, docens in eorum synagogis, & prædicans Evangelium regni, omnemque morbum & languorem vulgo sanans. Marc. 6, 6. Luc. 13, 22.

36 Visa autem hominum multitudine, misertus est eorum, quod palantes errarent, tanquam pastore carentes oves.

Num. 27, 17. Marc. 6, 34.

37 Tunc suos discipulos sic alloquitur: Messis quidem multa est, sed operarii pauci.

Luc. 10, 2. Ioh. 4, 35.

38 Orate igitur messis dominum, ut operarios emittat in messem suam.

CAP. X.

Apostolorum potestas, numerus, legatio, nuditas, mandata, discrimina, prudentia, probitas, erumnæ, consolatio, orbis dissidia, beati, piorum fuga, & præsidium. Christus quid præstet: munificentiæ pondus.

ITaque advocatis duodecim discipulis suis, dedit eis contra spiritus impuros potestatem, ut eos expellerent, & omnes morbos omnesque languores sanarent. Marc. 3, 13. seqq. Luc. 9, 1.

2 Duodecim autem Apostolorum nomina sunt hæc: primus, Simon cognomine Petrus & Andreas ejus frater. Jacobus Zebedæi filius, & Joannes ejus frater.

3 Philippus & Bartholomæus. Thomas & Matthæus publicanus. Iacobus Alphæi, & Lebbæus cognominatus Taddæus.

4 Simon Cananita, & Judas Iscariota, is qui eum prodidit.

5 Hos duodecim dimisit Iesus, eis ita præcipiens: Ad exteras gentes iter ne habueritis, neve in ullam Samaritanorum urbem intraveritis.

6 Sed ite potius ad perditas Israeliticæ domus oves. Act. 13, 46.

7 Euntes autem prædicate, dicentes instare cœleste regnum.

Luc. 9, 2. c. 10, 9.

8 Ægros curate: leprosos purgate: suscitate mortuos: dæmonia ejicite: gratis accepistis, gratis date.

9 Ne habete aurum, nec argentum, nec æs in crumenis vestris:

Marc. 6, 8. Luc. 9, 3. & 22, 35.

10 Neve peram ad iter, neve binas tunicas, neve calceos, neve baculum: Dignus est enim operarius alimento suo.

1. Tim. 5, 18 Luc. 10, 7. 8.

11 In quamcunque autem urbem aut vicum intraveritis, exquirite,

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt urn:nbn:de:gbv:3:1-648051-p0038-5 DFG

quirite, ecquis sit in eo dignitate præditus: atque illic manete, donec discedatis.

12 Intrantes autem domum, salutate eam, dicentes: Salveat hæc domus.

13 Et si quidem erat digna domus, eveniat ei vestra salus. Sin non erit digna, revertatur ad vos vestra salus.

14 Quod si quis vos non admiserit, neque vestra dicta audiverit, vos exeuntes ex ea domo aut urbe, excutite pedum vestrorum puluerem. Marc. 6, 11. Luc. 9, 5. Act. 13, 51. & 18, 6.

15 Hoc a me certo habete, tolerabilius actum iri cum Sodomitanorum Gomorranorumque gente in die judicii, quam cum illa urbe.

16 En ego vos dimitto tanquam oves inter lupos. Estote ergo & astuti ut serpentes, & sinceri ut columbæ. Luc. 10, 3. Rom. 16, 19.

17 Cavete autem homines; sistent enim vos in concilia inque suis synagogis verberabunt.

18 Quin ad principes quoque regesque ducemini propter me, ut eis exterisque gentibus sitis testimonio. Marc. 13 11. Luc. 12, 11.

19 Qvum autem sistent vos, nolite curare, quomodo, aut quid loquamini: suggeretur enim vobis eadem hora quid loquamini

20. Non enim vos eritis qui loquemini: sed Patris vestri spiritus in vobis loquens.

21 Tradet autem fratrem frater in mortem, & pater filium; consurgentque nati in parentes, & eos occident.

22 Eritisque omnibus invisi propter nomen meum. Qui autem pertulerit ad extremum, is servabitur. Marc. 13, 13. Luc. 21, 19.

23 Qvum autem vos insectabuntur in aliqua urbe, fugite in aliam. Hoc vobis confirmo; non vos ante perlustraveritis urbes Israeliticas, quam veniat homine natus.

24 Non est discipulus supra magistrum, neque servus supra dominum suum Luc. 6, 40. Joh. 13, 16. & 15, 20.

25 Bene agitur cum discipulo, si eadem conditione est qua ejus magister: & cum servo, si eadem qua dominus. Si Patrem familias Beelzebulem vocarunt, quanto magis ejus domesticos? Inf. 12 24.

26 Ne igitur eos timueritis. Nihil enim tam tectum est quod non sit detegendum, aut tam occultum, quod non sit cognoscendum Marc. 4, 22. Luc. 8, 17. & 12, 2.

27 Quod vobis in tenebris dico, dicete in luce: & quod in aurem auditis, prædicate in tectis.

28 Et ne formidate eos qui corpus interficiunt, sed animam interficere nequeunt. Quin magis eum formidate, qui potest & animam & corpus in gehennam perdere.

29 Qvum duo passerculi asse veneant, tamen nullus eorum cadit humi sine Patre vestro.

30 At vestrum etiam capilli capitis omnes numerati sunt. 2. Reg. 14, 11. Act. 27, 34.

31 Ne

31 Ne formidaveritis igitur: longe passeribus antecellitis vos.

32 Quisquis ergo me agnoverit apud homines, eum ego quoque dignoscam apud Patrem meum, qui in cœlis est. Marc. 8, 38. Luc. 9, 26. & 12, 8. 2. Tim. 2, 12.

33 Qui vero me negaverit apud homines eum ego quoque negabo apud Patrem meum, qui in cœlis est.

34 Nolite arbitrari me venisse conciliatum pacem, sed bellum. Luc. 12, 51.

35 Veni enim ad dissociandum filium a patre suo, & filiam a matre, & nurum a socru.

36 Ita ut homines inimicos habituri sint suos domesticos. Mich. 7, 6.

37 Qui patrem aut matrem amat supra me, non est me dignus: & qui filium aut filiam amat supra me, non est me dignus: Luc. 14, 26.

38 Et qui non sumit suam crucem, & me sequitur, non est me dignus.

Inf. 16, 24. Luc. 9, 23. & 14, 27.

39 Animam suam qui invenerit, perdet, & qui animam suam mea causa perdiderit, inveniet. Inf. 16, 25. Marc. 8, 35.

40 Qui vos accipit, me accipit, & qui me accipit, eum accipit, qui me misit. Luc. 10, 16.

41 Qui vatem nomine vatis accipit, vatis mercedem accipiet: & qui justum justi nomine accipit, justi mercedem accipiet. 1. Joh. 3, 10.

42 Et qui horum minimo vel poculum aquæ frigidæ bibendum dederit, nomine discipuli, scitote eum non frustratum iri mercede sua. Marc. 9, 41.

CAP. XI.

Ad Joannem Christi responsum: Baptistæ laus, isto quis prior. Increpati Judæi, omnia dira in oppida. Christi ad patrem preces, afflictorum solamen. Christi jugum.

POstquam desiit JEsus suis præcipere duodecim discipulis, digressus est illinc, ut in illorum urbibus doceret ac prædicaret.

2 Ioannes autem, qvum audivisset in vinculis opera Christi, misit suorum discipulorum duos, qui ei ita dicerent: Luc. 7, 18.

3 Tune is es qui venturus est? an alius nobis est expectandus?

4 Quibus Iesus respondit in hunc modum: Ite renunciatum Ioanni, quæ auditis & videtis.

5 Cæci vident, & claudi ambulant; leprosi purgantur, & surdi audiunt; mortui resurgunt, & pauperes Evangelium docentur. Es. 35, 5. & 61, 1.

6 Et felix est qui in me non offenderit.

7 Eis autem abeuntibus, cœpit Iesus hominum turbæ sic de Ioanne dicere: Ad quid spectandum egressi estis in solitudinem? arundinem vento agitatam? Luc. 7, 24.

8 Veruntamen ad quid videndum exiistis? hominem mollibus indutum vestibus? At qui molles gestant, sunt in regum domibus.

9 Sed ad quem tandem videndum exiistis? Vatem? etiam (inquam vobis) & plusquam Vatem.

10 Hic

10 Hic est enim, de quo scriptum est: Ego tibi meum nuncium præmissurus sum, qui tibi viam præparet. Mal. 3, 1. Marc. 1, 2.

11 Scitote enim, nullum in fœminarum natis majorem extitisse Ioanne Baptista, & tamen qvi est in regno cœlesti minimus major est eo.

12 A tempore autem Ioannis Baptistæ, hactenus cœleste regnum expugnatur, idqve rapiunt violenti.

13 Omnes enim vates atque lex ad Ioannem usqve vaticinati sunt: Luc. 16, 16.

14 Et si eum vultis accipere, is est Elias ille venturus. Mal. 4, 5. Luc. 1, 17.

15 Qvi aures habet ad audiendum, audiat. Apoc. 2, 7.

16 Cui vero assimilabo hanc nationem? Perinde est, ac qvum versantes in foro pueri clamant ad æquales suos in hunc modum: Luc. 7, 31.

17 Fistulavimus vobis neque saltastis: ejulavimus vobis, neque planxistis.

18 Venit enim Ioannes, qui neque comedit, neqve bibit, & eum dicunt dæmonium habere.

19 Venit homine natus, qui & comedit & bibit, & eum dicunt hominem esse voracem, vinosum, publicanorum & improborum amicum: estque suis aliena sapientia.

20 Deinde cœpit in civitates invehi, quæ, cum in eis tot fuissent ejus edita miracula, tamen non rediissent ad frugem. Luc. 10, 13.

21 Væ tibi Chorazim, væ tibi Bethsaidan: nam si Tyri & Sidone edita forent, quæ in vobis edita sunt miracula, jampridem in centonibus & pulvere vitam correxissent.

22 Itaque sic habetote, cum Tyro & Sidone mitius actum iri in die judicii, quam vobiscum.

23 Et tu Capernaum, quæ ad cœlum usque elata es, ad inferos deprimeris: nam si Sodomis eadem, quæ in te, edita fuissent miracula, mansissent ad hodiernum diem. Thren. 4, 6.

24 Itaque scitote, tolerabiliorem fore Sodomitanæ nationis conditionem in die judicii, qvam tuam.

25 Aliquando Iesus in hunc modum locutus est: Ago tibi gratias, Pater, cœli terræqve Domine, qui hæc sapientes peritosque celaveris, & infantibus patefeceris: Luc. 10, 21.

26 Idqve, o Pater, qvoniam sic tibi placitum est.

27 Omnia mihi tradita sunt a Patre meo, neque qvisqvam Filium cognoscit, nisi Pater: neque Patrem quisquam cognoscit, nisi Filius, & cui voluerit Filius patefacere. Ioan. 3, 35. 36. & 6, 46. & 13, 3.

28 Venite ad me omnes laborantes, & onusti, & ego recreabo vos:

29 Subite jugum meum, & a me discite, qui mitis sum & animo summissus: & inuenietis animis vestris reqviem. Ierem. 6, 16 Zach. 9, 9.

30 Meum enim & jugum commodum, & onus leve est 1. Ioh. 5, 3.

CAP. XII.

Causa de spicis pro discipulis in Judæos, miseratio. JEsu majestas. Iudæi confutati, contracta manus. In Christum conjuratio. Vaticinium de Christi ingenio. In IEsum calumniæ dilutæ. Peccatum inexpiabile. Pharisæi increpati. Iudicii severitas. Qui petant signa. Spiritus oberrans. IEsu consanguinei.

QVodam tempore ibat IEsus sabbathis per sata: ejus autem discipuli qvum esurirēt, cœperunt spicas vellere, atq; vesci. Marc.2,23.Luc.6,3. Deut.23,25.

2 Quo viso, Pharisæi dixerunt ei: En faciunt tui discipuli, quod in sabbatho facere non licet.

3 Quibus ille: Non legistis, inquit, quid fecerit David, qvum aliquando esuriret ipse & ejus comites? 1. Sam. 21, 6.

4 Ut ingressus sit Dei domum, & appositities panes comederit, quibus nec ei licebat, nec ejus comitibus vesci, sed solis sacerdotibus? Exod. 25, 30.

5 An non legistis in lege sabbathis in fano sacerdotes sabbathum profanare? & tamen insontes sunt. Num.28,9.

6 Atqui scitote, hic majorem esse fano.

7 Quod si sciretis quid sit, Pietatem malo, quam sacrificium, non damnaretis insontes. Os. 6, 6. Supr. 9, 13.

8 Est enim sabbathi quoque dominus homine natus.

9 Inde profectus venit in eorum synagogam.

10 Ubi qvum homo esset manum habens tabidam, illi ex eo, an sabbathis sanare liceret, quæsierunt, ut eum criminarentur. Marc. 3, 2. Luc. 6, 6.

11 Quibus ille: Quis homo vestrum est, inquit, qui si vel unam ovem habeat, quæ sabbathis in foveam decidat, non eam prehendat, & attollat?

12 Quantum autem ovi præstat homo? Ergo licet sabbathis benefacere.

13 Deinde dicit homini: Porrige manum tuam: atque ille porrexit, eaque tam sana reddita est, quam erat altera.

14 Pharisæi vero egressi, consilium de eo perimendo ceperunt.

15 Quo cognito, IEsus illinc discessit, sequente eum ingenti hominum multitudine: quos omnes sanavit.

16 Eisque interminatus est ne se palam facerent.

17 Ut fieret illud ab Esaia vate dictum, his verbis:

18 Ecce meus servus, quem elegi, dilectus meus, animo meo charissimus: Eum spiritu meo donabo, isque jus dicet gentibus: Esa. 42, 1.

19 Non rixabitur, nec clamabit, nec ejus vocem quisquam per plateas audiet.

20 Quassatam arundinem non perfringet, neque fumigans ellychnium extinguet, eousque ut jus perducat ad victoriam.

21 Atque in ejus nomine spem gentes habebunt.

22 Tunc allatus est ei dæmoniacus, cæcus & mutus, quem ille sanavit, ita ut cæcus & mutus loqueretur, ac videret. Luc. 11, 14.

23 Qua re attonitum omne hominum vulgus sic dictitare: Num hic est Davidides?

24 Et Pharisæi eis auditis, dicere, eum non nisi per Beelzebulem dæmoniorum principem ejicere dæmonia.

Sup. 9, 34. Mar. 3, 22. Luc. 11, 15.

25 Quorum cogitationes intelligens Iesus, dixit eis: Omne regnum ab sese dissidens, desolatur: & omnis civitas aut familia secum ipsa dissidens, non stat.

26 Quod si Satanas Satanam expellit, ipse sibi adversatur. Qui fieri potest igitur, ut stet ejus regnum?

27 Quod si ego per Beelzebulem ejicio dæmonia, vestri generis homines per quem ejiciant? Itaque ii erunt vestri judices.

28 Sin ego per Dei Spiritum ejicio dæmonia, sequitur, vobis divinum advenisse regnum.

29 Qui possit enim quis in alicujus potentis domum ingredi, ejusque supellectilem diripere, nisi prius potentem illum vinciat, ut tum demum ejus diripiat domum?

30 Qui a me non est, contra me est: & qui mecum non congerit, dissipat.

31 Itaque sic habetote: omne peccatum ac maledictum ignoscetur hominibus, at maledictum adversus Spiritum non ignoscetur.

Marc. 3, 28. Luc. 12, 10. 1 Ioh. 5, 16.

32 Et si quis quid dixerit contra homine natum, ignoscetur ei: at si quis contra Sanctum Spiritum dixerit, non ignoscetur ei, nec in hoc seculo, nec in futuro.

33 Aut facite arborem bonam, & ejus fructum bonum: aut facite arborem tetram, & ejus fructum tetrum: ex fructu enim arbor cognoscitur.

34 Viperina proles, quomodo possetis bene loqui, quum sitis mali? Nam ex animi redundantia loquitur os. Luc. 6, 44.

35 Bonus homo ex bono animi promptuario bona depromit: item malus homo ex malo promptuario mala depromit.

Luc. 6, 45.

36 Scitote autem, quodcunque otiosum verbum locuti fuerint homines, reddituros esse ejus rationem in die judicii.

37 Ex tuis enim dictis absolveris, & ex tuis dictis damnaberis.

38 Tum Scribarum & Pharisæorum quidam sic locuti sunt: Magister, vellemus a te signum videre. Inf. 16, 1. Marc. 8, 11. Luc. 11, 16. 29. 1. Cor. 1, 22.

39 Quibus ille respondens: Prava adulterinaque natio signum quærit, & signum ei non dabitur, nisi signum Ionæ vatis.

40 Ut enim fuit Ionas in ventre ceti tres dies, & totidem noctes: sic erit homine natus in terræ meditullio tres dies & totidem noctes. Ion. 2, 1. 2.

41 Homines Ninivitæ surgent in judicio cum hac natione, eamque condemnabunt, quod ad Ionæ præconium redierint ad frugem, quum hic sit plus quiddam quam Ionas. Ion. 3, 5. Luc. 11, 32.

42 Regina Austri surget in judicio cum hac natione, eamque condemnabit, quod ab ultimis usque terris venerit ad audien-

dum Solomonis sapientiam, qvum hic sit quiddam Solomone præstantius. 1.Reg.10,1.2.Par.9,1.

43 Qvum autem spiritus impurus ex homine migravit, peragrat siticulosa loca, reqvietem quærens: quam ubi non invenit,

Luc. 11, 24.

44 Statuit domum suam, unde migraverat, repetere. Postquam eo venit, ubi eam vacantem, versam, ornatamque nancisciturʼ,

45 Vadit ascitum sibi septem alios spiritus pejores se, eoque ingressi ibi degunt, fitqve posterior illius hominis conditio priore deterior. Sic erit & huic malæ nationi.

2. Pet.2,20.21. Heb.6, 4.& 10,16.

46 Adhuc eo vulgus alloquente, aderant foris ejus mater & fratres eum volentes alloqui.

Marc. 3,31. Luc. 8, 19. 20.

47 Et quidam ei ita dixit: Adsunt foris tua mater & fratres, te volentes alloqui.

48 At ille ei, qui id ei dixerat, ita respondit: Quæ est mea mater, & qui sunt mei fratres?

49 Tum porrecta ad discipulos suos manu: Ecce mea mater, inquit, fratresque mei.

50 Qvisqvis enim voluntatem exequitur mei Patris, qui est in cœlis, is meus frater, & soror, & mater est.

CAP. XIII.

Parabolæ sati seminis, Zizaniorum, sinapis, fermenti, thesauri, mercatoris, retis. Christi populares.

QUodam autem die egressus domo Iesus sedit apud lacum. Marc. 4, 1. Luc. 8 4.

2 Tantaqve ad eum convenit hominum multitudo, ut ipse conscensa navi sederet, & astante ad littus omni multitudine,

3 Eos multis per similitudines alloqveretur in hunc modum: Aliqvando profectus est qvidam sator ad serendum:

4 Atque eo serente, alia ceciderunt ad viam, sed venerunt volucres, quæ ea comederunt.

5 Alia ceciderunt in saxetum, ubi qvum non multum terræ haberent, celeriter exortasunt, qvod profunda terra carerent.

6 Deinde orto sole, æstuantia defectu radicis aruerunt.

7 Alia ceciderunt in spinas, eaque crescentibus spinis suffocata sunt.

8 Alia in bonam delapsa terram fructum extulerunt partim cum centesimo, partim cum sexagesimo, partim cum trigesimo.

9 Qui aures habet ad audiendum, audiat.

10 Tum eum his verbis convenerunt ejus discipuli: Cur eos per similitudines alloqueris?

11 Qvibus ille respondit ita: Qvoniam vobis regni cœlestis arcana nosse datum est: at illis non datum est.

Inf.16,17. 1.Cor.2, 10. 1. Ioh.2,27.

12 Qui enim habet, huic dabitur, isque abundabit: qui vero non habet, huic etiam quod habet auferetur. Infr. 25,29. Marc. 4,25.

13 Propterea per similitudines eos alloquor, qvoniam videntes non vident, & audientes non audiunt nec intelligunt.

14 In eisque comprobatur illud Esaiæ oraculum quod sic habet: Audietis quidem, sed non intel-

telligetis: & ita videbitis, ut non perſpiciatis. Eſ. 6, 9. Marc. 4, 12. Luc. 8, 10. Ioan. 12, 40. Act. 28, 26. Rom. 11, 8.

15 Obtorpuit enim animus hujus populi, & auribus obtuſe audiunt, & claudunt oculum, ne & oculis videant, & auribus audiant, & animo intelligant, redeantque ad frugem, atque ita ego eis medear.

16 Veſtri vero beati ſunt oculi, qui videant: & aures quæ audiant.

17 Scitote enim, multos vates & juſtos cupiiſſe videre quæ cernitis vos, neque tamen vidiſſe: & audire qvæ auditis vos, nec tamen audiviſſe. Luc. 10, 24.

18 Vos igitur audite de ſatore ſimilitudinem.

19 Qvum quis regium ſermonem audit, nec intelligit ſupervenit Malus, qui ſatum in ejus animo rapit. Hic eſt qui ſecundum viam ſatus eſt.

20 Qui autem in ſaxetum ſatus eſt, is eſt, qui ſermonem audiens, protinus accipit cum lætitia. Eſ. 58, 2. Ioh. 5, 35.

21 Sed radicem in ſeſe non habet, eſtque temporarius: ac exorta propter ſermonem calamitate, ac vexatione, ſtatim deſciſcit.

22 Qui autem in ſpinas ſatus eſt, is eſt qui ſermonem audit, quem ſermonem hujus vitæ ſollicitudo, & divitiarum fraus ita ſuffocat, ut ſit infructuoſus.

23 Qui vero in bonam terram ſatus eſt, is eſt qui ſermonem & audit, & intelligit, qui ſane fructum fert: redditque alius centuplum, alius ſexagecuplum, alius trigecuplum.

24 Aliam ſimilitudinem eis propoſuit his verbis: Similiter accidit in cœleſti regno, ut in homine qui bonum ſemen ſevit in fundo ſuo.

25 Sed dormientibus hominibus, ivit ejus inimicus ſatum malas herbas inter frumentum, ac diſceſſit.

26 Deinde ubi germinavit herba, ediditque fructum, tunc apparuerunt etiam malæ herbæ.

27 Igitur ſervi patremfamilias ſic convenerunt: Here, nonne bonum ſemen in fundo tuo ſeminaſti? unde igitur habet malas herbas?

28 Qvibus ille: Inimicus homo id fecit, inqvit. Et ſervi: Vis igitur ut eas lectum eamus?

29 Non, inquit ille, ne forte malas legentes herbas, frumentum una cum eis eradicetis.

30 Sinite ambo creſcere uſque ad meſſem. Meſſis tempore mandabo meſſoribus, ut primum malas herbas legant, & in manipulos colligant comburendas: frumentum autem in meum comportent horreum. Supr. 3, 12.

31 Aliam ſimilitudinem illis propoſuit, his verbis: Simile eſt cœleſte regnum grano ſinapis, quod capit homo, & in fundo ſuo ſerit. Marc. 4, 30. Luc. 13, 18.

32 Quod qvum vel minimum ſit omnium ſeminum, ubi adolevit, eſt olerum maximum, arboreſcitque, ita ut in ejus ramis nidificatum veniant aereæ volucres.

33 Aliam ſimilitudinem locutus eſt eis: Simile eſt cœleſte reg-

regnum fermento, quod capit mulier, & in farinæ ſata tria abdit, donec tota fermententur.
Luc. 13, 20.

34 Hæc omnia plebi elocutus eſt Ieſus per ſimilitudines, nec eos ſine ſimilitudine alloquebatur, Marc. 4, 33.

35 Ut fieret quod ab Eſaia vate prædictum fuerat, his verbis: Aperiam in ſimilitudine os meum, effabor quæ ab orbe condito abdita ſunt. Pſ. 78, 2.

36 Deinde relicta hominum multitudine, venit domum Ieſus, quem ſui diſcipuli convenerunt hujuſmodi verbis: Ediſſere nobis ſimilitudinem de fundi mali herbis.

37 Quibus ille reſpondit in hunc modum: Qui bonum ſemen ſerit, homine natus eſt.

38 Fundus eſt mundus: Bonum ſemen, ſunt regni filii: Malæ herbæ, ſunt Mali filii:
Gen. 3, 15. Ioh. 8, 44.

39 Inimicus earum ſator, eſt diabolus: Meſſis eſt finis ævi: Meſſores Angeli ſunt.
Apoc. 14, 15. Ioel. 3, 13.

40 Ut igitur colliguntur herbæ malæ, & igni cremantur, ſic erit in hujus ævi fine.

41 Mittet homine natus ſuos Angelos, qui ex ejus regno omnia detrimenta maleficoſque colligent,

42 Et in ignis fornacem conjicient, ubi ploratus erit, dentiumque ſtridor. Sap. 8, 12.

43 Tunc juſti Solis ritu relucebunt in regno ſui Patris. Qui habet aures ad audiendum, audiat. Sup. 3, 7. Dan. 12, 3. 1. Cor. 15, 41. 42.

44 Item ſimile eſt cœleſte regnum abdito theſauro in agro, quem nactus aliquis homo occulit, & præ lætitia it venditum ſuas omnes facultates, eumque fundum emit.

45 Item perinde eſt cœleſte regnum, ac ſi quis mercator homo bonos quærat uniones,

46 Et unum nactus precioſum unionem, eat venditum ſuas omnes facultates, eumq; cōparet.

47 Item ſimile eſt cœleſte regnum iacto in mare everriculo, & cujuſque modi res colligenti.

48 Quod repletum ſubducunt in littus, & ſedentes quæ bona ſunt congerunt in vaſa, mala autem foras jaciunt.

49 Sic erit in ævi fine. Prodibunt Angeli, qui malos ſeparabunt a juſtis: Infr. 25, 32.

50 Et in ignis fornacem conjicient, ubi ploratus erit, ſtridorque dentium. Supr. v. 42.

51 Intelligitis hæc omnia? inquit eis Ieſus. Etiam Domine, inquiunt illi.

52 Et ille: Itaque (inquit eis) omnis eruditus regni cœleſtis res edoctus, ſimilis eſt homini patrifamilias, qui ex promptuario ſuo & recentia depromit & vetera.

53 Poſtquam finem fecit Ieſus his ſimilitudinibus, diſceſſit illinc.

54 Et in ſuam profectus patriam, docebat conterraneos ſuos in ſynagoga eorum, ita ut attoniti ſic dicerent: Unde huic ea ſapientia, atque vires?
Marc. 6, 1. Luc. 4, 16.

55 Nonne hic eſt fabri filius? nonne ejus mater ea eſt, quæ Ma-

Maria vocatur? ejusque fratres Iacobus & Ioses, & Simon & Iudas? Ioan. 6,42. Supr. 12, 46.

56 Et ejus sorores nonne sunt omnes apud nos? Unde igitur huic hæc omnia?

57 Itaque in eo offendebantur. At Iesus: Non est, inquit illis, vates inglorius nisi in sua patria, atque domo.

Marc. 6,4. Luc. 4,24. Ioan. 4,44.

58 Itaque non multa illic edidit miracula, propter eorum incredulitatem.

CAP. XIV.

Baptistæ obtruncatio, ac sepultura. IEsu secessus, panes quinque, duoque pisces. Per undas Iesus. discrimen. Christus infirmos, ac morbos.

1 id tempus audiens Herodes, quartæ partis rex, quæ de Jesu dicebantur,

Marc. 6, 14. Luc. 9, 7.

2 Dixit suis, eum esse Ioannem Baptistam, qvi revixisset, ideoque eam miraculorum efficaciam haberet.

3 Ceperat enim Ioannem Herodes, & vinctum dederat in custodiam, propter Herodiadem Philippi sui fratris uxorem,

Marc. 6, 17. Luc. 3, 19.

4 Quod Herodi dixisset Ioannes, ei non licere eam habere.

5 Qvumque vellet eum occidere metuebat vulgus, quod illum pro vate habebant.

Sup. 21, 26. Luc. 20, 6.

6 Celebrandis autem Herodis natalibus saltavit Herodiadis filia in medio, adeoque placuit Herodi,

7 Ut ei cum jurejurando promitteret daturum esse, quicquid ea postulasset.

8 Illa vero subornata a matre sua dixit: Da mihi hic in patina caput Ioannis Baptistæ.

9 Doluit rex: sed propter jusjurandum & convivas jussit ei dari.

10 Misitque decollatum Ioannem in carcere:

11 Allatumqve est ejus caput in patina, & puellæ traditum, quæ id matri suæ tulit.

12 Ejus autem discipuli ejus corpus sublatum iverunt, ac sepelierunt, & rem Iesu nunciatum iverunt.

13 Eo audito, Iesus discessit illinc in navi in desertum locum seorsum: quo audito, secutum est eum pedibus vulgus hominum ex urbibus. Marc. 6, 32. Luc. 9, 10. Ioan. 6, 2. seqq.

14 Et Iesus egressus, animadvertens tantam hominum multitudinem, misertus est eorum, sanavitqve eorum ægrotos.

15 Sub vesperam autem aggressi sunt eum ejus discipuli, hujusmodi verbis: Desertus est locus, & hora jam præteriit: dimitte hanc hominum turbam, ut in vicos eant emptum sibi cibaria.

Marc. 6, 35. Luc. 9, 12. Ioan. 6, 5.

16 Quibus Iesus: Non est opus ut abeant, inquit, præbete vos eis qvod comedant.

17 At illi: Non habemus hic nisi qvinqve panes, & duos pisces.

18 Et ille: Afferte huc, inquit, eos mihi.

19 Deinde jussa hominum multitudine per gramina dis-

cumbere, sumptis qvinque panibus duobusque piscibus, in cœlum intuens laudes egit, fractosque panes tradidit discipulis, discipuli porro multitudini:

Infr. 15, 36. & 26, 26.

20 Atque illi comederunt omnes ad satietatem, sublataque sunt reliquiarum fragmentorum duodecim canistra plena.

21 Qvi comederunt autem, erant virorum circiter quinque millia, præter fœminas & parvulos.

22 Deinde statim coegit Iesus suos discipulos navim conscendere, & ante se trajicere, dum ipse hominum multitudinem dimittit.

23 Multitudine dimissa, montem conscendit seorsum, precandi gratia. Vespere autem qvum solus illic esset,

Marc. 6, 46. Joan. 6, 16.

24 Iam navis erat in medio lacu, & fluctibus vexabatur: quippe contrario vento.

25 Quarta autem noctis vigilia venit ad eos Iesus, per lacum ambulans:

26 Qvem in lacu ambulantem conspicati ejus discipuli, turbati sunt, spectrum esse dicentes, & præ timore exclamarunt.

27 Hic protinus eos alloquens Iesus: Bono este animo, inquit, ego sum, ne metuite.

28 Et Petrus respondens: Domine, inquit, si tu es, jube me ad te venire per aqvam.

29 Et ille: Veni. Tum degressus de navi Petrus, ingreditur per aquam, ut Iesum adiret.

30 Sed ventum cernens vehementem, timuit, & summergi incipiens, sic exclamavit: Domine, serva me.

31 Tum IEsus continuo porrecta manu eum prehendit: & O parum fidens, inquit ei, cur dubitasti?

32 Deinde eis navem ingressis, placatus est ventus.

33 Qvi vero erant in navi, ei honorem præbitum venerunt, dicentes: Vere Dei filius es.

34 Ita trajecto lacu, venerunt in Gennezarethanum agrum.

Marc. 6, 53.

35 Eo cognito, incolæ significarunt per omnem finitimam regionem, ut ei adducerentur quibuscunqve male erat,

36 Eumqve orabant, ut vel ejus togæ laciniam tangerent: ac qvotqvot tetigerunt, sanati sunt.

CAP. XV.

Pro suis Christus, de lotione manuum objurgantur iniqui. Quæ vitient. Chananæ repulsa: favor. Miracula multa. Septem panes, piscicuique.

TUm Hierosolymitani Scribæ & Pharisæi Iesum his verbis conveniunt: Marc. 7, 1.

2 Cur faciunt tui discipuli contra veterum institutum? quippe qui non lavant manus, qvum cibum capiunt?

3 Qvibus ille respondit in hunc modum: Cur & vos instituto vestro contra Dei præceptum facitis?

4 Deus enim sic præcepit: Honora patrem atque matrem: & qui patri matrive maledixerit, morte plectatur. Exod. 20, 12. & 21, 17. Lev. 20, 9. Deut. 5, 16. Prov. 20, 20. Eph. 6, 2.

5 At

5 At vos dicitis: Si quis suo patri matrive dixerit, sua donaria illi profutura,

6 Nihil opus esse ut patrem matremve honoret. Atque ita vestro instituto Dei præceptum rescidistis.

7 Simulatores: Recte vaticinatus est de vobis Esaias dicens: Esa. 29, 13.

8 Hic populus me & ore accedit, & labiis honorat, sed eorum animus procul abest a me.

9 Frustra autem me venerantur, humanorum præceptorum doctrinam docentes.

10 Deinde advocata hominum multitudine: Audite, inquit eis, & intelligite.

11 Non quod in os intrat, coinquinat hominem, sed quod ex ore prodit, id coinquinat hominem.

12 Tunc eum aggressi ejus discipuli, dixerunt ei: Ecquid scis Pharisæos, audito isto dicto, esse offensos.

13 At ille respondens: Omnis planta, inquit, quam meus cœlestis Pater non plantavit, extirpabitur. Ioh. 15. 2.

14 Sinite eos: duces sunt cæci cæcorum. Cæcus autem cæcum si ducat, ambo in foveam cadent. Infr. 23, 16. Luc. 6, 39.

15 Hic Petrus eum allocutus est in hunc modum: Explica nobis istam similitudinem. Marc. 7. 17.

16 Et Iesus: Adeone etiam vos tardi estis? inquit,

17 An nondum intelligitis, quicquid in os intrat, id in ventrem ferri & in latrinam ejici?

18 At quæ ex ore egrediuntur, ex corde prodeunt, atque ea hominem polluunt. Iac. 3, 6.

19 Ex corde enim prodeunt malæ cogitationes, cædes, adulteria, stupra, furta, falsa testimonia, maledicta. Gen 6, 5. & 8, 21. Marc. 7, 21.

20 Hæc sunt quæ polluunt hominem, sed illotis manibus cibum capere, non polluit hominem.

21 Inde profectus Iesus, contulit se in Tyrios Sidoniosque tractus. Marc. 7, 24.

22 Et ecce mulier Chananæa ab illis profecta finibus, clamabat ad eum, his verbis: Miserere mei Davidide: filia mea male a dæmonio vexatur.

23 Sed qvum ille nihil ei respondisset, aggressi eum ejus discipuli sic rogare: Absolve eam: clamat enim pone nos.

24 At ille respondens: Non sum missus, inquit, nisi ad oves perditas Israeliticæ domus. Sup. 10, 5. 6. Act. 13, 46. Rom. 15, 8.

25 Cumque illa venisset, & ei præbens honorem, diceret: Domine, succurre mihi,

26 Ille sic respondit: Non convenit sumere liberorum panem, & objicere catellis.

25 Et illa: Ita est, Domine: & tamen catelli quoque comedunt de micis, quæ decidunt de mensa dominorum suorum.

28 Tum Iesus respondens: O mulier, inquit ei, magna est fides tua: obtineto quod vis. Ita sanata est ejus filia eadem illa hora.

29 Illinc digressus Iesus, venit

nit ad lacum Galilææ, & conscenso monte, consedit ibi:
Marc. 7, 31.

30 Ad eumque venit ingens hominum multitudo, qui secum habebant claudos, cæcos, mutos, mutilos, & alios multos, quos ad Iesu pedes abjecerunt, atque ille eos sanavit.
Esa. 35, 5

31 Ita ut vulgo, videntes mutos loquentes, mutilos sanos, claudos ambulantes, cæcos videntes, mirarentur, Israelitarumque Deum collaudarent.

32 Iesus autem advocatis discipulis suis, dixit: Miseret me hujus hominum multitudinis, qui jam triduum apud me hærentes, non habent quod comedant: & eos dimittere jejunos nolo, ne defethiscantur in via.
Marc. 8, 1.

33 Cui discipuli: Unde nobis in solitudine tot panes, inquiunt, ut satietur tanta multitudo?

34 Et Iesus: Quot panes habetis? inquit eis. Septem, inquiunt, & paucos pisciculos.

35 Tum ille jussit multitudinem humi discumbere;

36 Sumptosque septem panes & pisces, actis laudibus fregit suisque discipulis tradidit, & discipuli multitudini.

37 Omnesque comederunt ad satietatem: suntque sublatæ frustorum reliquiæ plenis septem sportis.

38 Qui comederunt autem erant virorum quatuor millia præter fœminas & pueros.

39 Deinde dimissa hominum multitudine, conscensa navi, venit in fines Magdalenos.

CAP. XVI.

Pharisæorum quæstiones, objurgatio, fermentum, Apostolorum infirmitas. Quis Christi naturam doceat. Ecclesiæ fundamentum, robur, claves. Imperatum de Christo silentium. Prædicta mors. Petri temeritas. Crux fidelium. Quanti beatitudo.

TUm eum aggressi Pharisæi & Sadducæi tentandi gratia rogant, ut sibi signum de cœlo ostendat. Marc. 8, 11. Luc. 12, 54.
Sup. 12, 38.

2 Quibus ille respondens: Sub vesperum, inquit, dicitis: Serenum erit, rubet enim cœlum.

3 Et mane: Hodie tempestas erit: nam triste rubet cœlum. Simulatores, cœli faciem scitis dignoscere; temporum signa non potestis?

4 Prava adulterinaque natio signum quærit: nec ullum ei signum dabitur, nisi signum Ionæ vatis. Deinde relictis illis discessit.
Sup. 12, 39. Ioan. 2, 1.

5 Qvum trajecissent autem ejus discipuli, obliti fuerant panes sumere. Marc. 8, 14. Luc. 12, 1.

6 Et Iesus dixit eis: Videte ut Pharisæorum Sadducæorumque fermentum caveatis.

7 Illi vero secum ipsi cogitabant, illud eo pertinere, quod non sumpsissent panes.

8 Id quod intelligens Iesus, dixit eis: Quid apud vos cogitatis, parum fidentes? non sumpsisse panes?

9 An nondum intelligitis, neque meministis quinque panes

nes illorum quinque millium? & quot canistra receperitis.

Sup. 14, 17. Ioan. 6, 9.

10 Neque septem panes quatuor millium, & quot receperitis sportas? Supr. 15, 34.

11 Qui fit, ut non intelligatis, me non vobis de pane dixisse, cavendum esse fermentum Pharisaicum, ac Sadducaicum?

12 Tum illi intellexerunt, non eum hoc dixisse, cavendum esse panis fermentum, sed Pharisæorum, Sadducæorumque doctrinam.

13 Qvum venisset autem Iesus in tractum Cæsareæ Philippi, interrogavit suos discipulos, his verbis: Quem me dicunt homines esse, homine natum?

Marc. 8, 27. Luc. 9, 18.

14 Cui illi: Hi Ioannem Baptistam, illi Eliam, alii Ieremiam, aut Vatum aliquem.

15 Et ille: Vos vero, inquit eis, quem me esse dicitis?

16 Cui Simon Petrus ita respondit: Tu es Christus Dei viventis filius. Ioan. 6, 69. & 11, 27.

Act. 8, 37. & 9, 20.

17 Et Iesus ei respondens: Beatus es, inquit, Simon Ionaide, quoniam non patefecit istud tibi caro & sanguis, sed Pater meus, qui in cælis est.

1. Cor. 2, 10.

18 Ego quoque tibi dico: Tu es Petrus, & super hac petra construam meam Ecclesiam, quam orci portæ non superabunt, Ioan. 1, 42.

19 Tibique cœlestis regni claves dabo, ac quicquid in terra ligaveris, erit ligatum in cœlis: & quicquid in terra solveris, erit solutum in cœlis.

Ioan. 20, 21. seqq. Infr. 18, 18.

20 Tunc præcepit suis discipulis, ut nemini dicerent se esse Iesum Christum.

Marc. 8, 30. Luc. 9, 21.

21 Deinceps cœpit Iesus demonstrare suis discipulis, sibi eundum esse Hierosolymam, & multa a Senatoribus & Pontificibus Scribisque patienda, seque occidendum, & tertio die revicturum.

22 Hic Petrus eum prehensum, cœpit objurgare, dicens: Parce tibi, Domine, non accidet istud tibi.

23 At ille versus: Abi pone me, Satana, inquit Petro, impedimento mihi es, quippe qui non divina, sed humana sapias.

24 Deinde dixit Iesus discipulis suis: Si quis me vult sequi, renunciet ipse sibi, tollatque crucem suam, & me sequatur.

Sup. 10, 38. Marc. 8, 31. Luc. 9, 23. & 14, 27.

25 Nam, qui animam suam servare voluerit, eam perdet: qui vero animam suam mea causa perdiderit, eam inveniet.

Sup. 10, 39. Marc. 8, 35. Luc. 9, 24. & 17, 33. Ioh. 12, 25.

26 Quid enim proderit homini, si vel totum mundum lucretur, & animæ suæ jacturam faciat? aut quid dabit homo, quo animam suam æquiparet?

Marc. 8, 26. Luc. 9, 25.

27 Est enim venturus homine natus in sui Patris gloria, cum suis Angelis: ac tum pro suis quemque factis remunerabitur.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt urn:nbn:de:gbv:3:1-648051-p0051-7 DFG

bitur. Ps.61,(62.) 12,13. Rom.2,6.

28 Hoc vobis certo dico, esse quosdam eorum, qui hic adsunt, qui non prius mortem gustabunt, qvam videant homine natum venientem in regno suo.

Marc. 9, 1. Luc. 9, 27.

CAP. XVII.

Christi transformatio. Moses, & Elias. Petri futilitas. Vox cœlestis. Ioannes. Elias. Lunaticus. Apostolorum diffidentia. Fidei, precum, jejunii virtus. Supplicium prædictum. Christi tributum, ac Petri.

SExto post die autem adhibet Iesus Petrum & Iacobum, ejusque fratrem Ioannem, & in arduum montem seducit.

Marc. 9, 2. Luc. 9, 28.

2 Ac coram eis transfiguratus est, ejusque & facies Solis modo resplenduit, & vestimenta tam candida facta sunt, quam est lux.

3 Et ecce conspecti sunt eis Moses & Elias cum eo colloqventes.

4 Tum Petrus Iesum alloquens: Domine, inquit, bonum est hic esse nos. Si vis, faciamus hic tria tabernacula: tibi unum, Mosi unum, & Eliæ unum.

5 Adhuc eo loquente, ecce lucida nubes illos obumbravit, & ex nube vox extitit, ita dicens: Hic est meus charissimus filius, qui mihi acceptus est: hunc audite. Sup.3,17 Marc.1 11.

Iohan. 1, 34. 2. Pet. 1,17.

6 Hoc audito, magnopere territi discipuli, cecidere proni.

7 At Iesus eos aggressus, tetigit; Surgite, inquit, neve metuite.

Dan.8,18 & 9,21.& 10,10.18.

8 Tum illi, sublatis oculis, neminem viderunt, nisi solum Iesum.

9 Descendentibus autem eis de monte, præcepit Iesus, ne cui visum illud dicerent, donec homine natus a mortuis resurrexisset.

10 Tum discipuli sic eum interrogant: Quid ergo dicunt Scribæ, Eliam oportere venire prius? Marc. 9, 21. Mal. 4, 5. Sup. 11,14.

11 Qvibus respondens Iesus: Venturus est quidem prius Elias, & instauraturus omnia;

12 Sed scitote Eliam jam venisse, quem illi non cognoverunt, sed ei quæ voluere fecerunt. Sic & homine natus ab eis passurus est.

13 Tunc intellexerunt discipuli, eum id sibi de Ioanne Baptista dixisse.

14 Ut autem pervenerunt ad hominum multitudinem, aggressus eum quidam homo congenulans, Marc. 9, 14. Luc. 9, 37.

15 Sic dixit: Domine miserere mei filii, qui lunaticus est, & male habet. Nam sæpe in ignem, sæpe cadit in aquam.

16 Et quidem eum tuis discipulis adduxi: sed eum non potuerunt sanare.

17 Et Iesus respondens: O incredula inqvit, pravaqve natio: qvousqve vobiscum ero? qvousqve vos feram? Adducite huc eum mihi.

18 Deinde illum increpuit Iesus, exiitque ex eo dæmonium, & sanatus est puer eadem illa hora.

19. Tum

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt urn:nbn:de:gbv:3:1-648051-p0052-3 DFG

19 Tum aggressi Iesum discipuli seorsum, qvæsiverunt cur ipsi non potuissent illud expellere.

20 Propter incredulitatem vestram, inqvit eis. Hoc enim vobis confirmo, si tantum fidei habueritis, qvantum est granum sinapis, si dixeritis huic monti: Migra istinc illuc, migrabit, nihilque non poteritis. Matth. 21, 21. Marc. 1, 23. Luc. 17, 6.

21 Cæterum hoc genus non exit, nisi per preces & jejunium.

22 Versantibus autem eis in Galilæa, dixit eis Iesus: Tradendus est homine natus in hominum manus, Supr. 16 21. Infr. 20, 18. Marc. 9, 31. Luc. 9, 44.

23 Qui eum interficient, isque tertio die resurget. Id illis valde doluit.

24 Qvum venissent autem Capernaum, hujusmodi verbis adorti sunt Petrum, qui didrachma exigebant: Non pendit magister vester didrachma? Marc. 9, 33.

25 Etiam, inquit ille. Deinde ubi domum ingressus est, prævenit eum Iesus his verbis: Quid tibi videtur, Simon? reges orbis a quibus tributa, aut censum exigunt? a suisne? an ab alienis?

26 Ab alienis, inquit ei Petrus. Et Iesus: Ergo sui sunt liberi, inquit ei.

27 Sed eos ne offendamus, i ad lacum, & hamum jacito: & qui primus extrahetur piscis, eum tollito, & aperto ejus ore staterem invenies: eum capito, & illis pro me, teque dato.

CAP. XVIII.

Mansuetudo quanta, offensi humiles. Scandala. Christi munus. Pastoris comparatio. Lædentium castigatio. Discipulorum autoritas. Concordia. Christus ubi. Condonata injuria. Rex rationes reposcens. Inclementum pœna.

ILla hora discipuli Iesum convenerunt quærentes, quis futurus esset in regno cœlesti maximus. Marc. 9, 33. Luc. 9 46.

2 Et Iesus advocatum puerum collocavit inter eos,

3 Et: Hoc vobis, inquit, confirmo, nisi mutati fueritis, & pueris similes redditi, non intrabitis in cœleste regnum. Infr. 19, 14. 1. Cor. 14, 20.

4 Quisquis ergo seipsum summiserit, ut est hic puer, is erit in cœlesti maximus.

5 Et quisquis hujusmodi puerum meo nomine accipit, me accipit. Supr. 10, 42.

6 Quisquis vero vel minimorum mihi fidem habentium incommodaverit, præstaret ei, suspensa de ejus collo asinaria mola, in maris æquor demergi. Marc. 9, 42. Luc. 17, 1.

7 Sunt quidem calamitosæ mundo incommodationes, tametsi incommodationes accidere necesse est: sed væ homini, per quem accidit incommodatio. 1. Cor. 11, 19.

8 Quod si tibi tua manus aut pes incommodat, abscinde eum & abjice. Satius est tibi claudum, aut mancum in vitam ingredi, quam duas manus aut pedes habentem, in sempiter-

piternum ignem conjici. Sup. 5, 30. Marc. 9, 43.

9 Et si tibi tuus oculus officit, erue eum, & abjice, satius est tibi unoculum in vitam ingredi, quam duos oculos habentem, in ignis gehennam conjici.

10 Videte ne vel minimum horum contemnatis. Scitote enim eorum angelos in cœlis semper aspicere faciem Patris mei, qui in cœlis est. Ps. 34, 8.

11 Venit enim homine natus servatum perdita. Luc. 19, 10.

12 Quid vobis videtur? Si cui homini centum sint oves, & earum una deerraverit: nonne relictis nonaginta novem in montibus, it quæsitum errantem? Luc. 15, 4.

13 Et si eum invenire contigerit, hoc vobis pro certo dico, eum illa magis gaudere, quam nonaginta novem non palatis.

14 Sic voluntatis non est vestri Patris, qui est in cœlis, ut pereat vel minimus horum.

15 Quod si in te peccaverit frater tuus, i reprehensum eum, ita ut tecum ipse solus adsit. Si te audiverit, lucratus es fratrem tuum. Lev. 19, 17. Eccl. 19, 13. Luc. 17, 3. Iac. 5, 19.

16 Sin minus audiverit, adhibe una tecum insuper unum aut alterum, ut ex ore duorum triumve testium, de re omni statuatur. Deut. 19, 15. Joh. 8, 17. 2. Cor. 13, 1. Heb. 10, 28.

17 Quod si eos non audierit, dicito Ecclesiæ. Quod si ne Ecclesiam quidem audierit, esto tibi perinde ac extraneus & publicanus. 1. Cor. 6, 9. 2. Thes. 3, 14.

18 Sic certo habetote, quæcunque in terra ligaveritis, ligata fore in cœlo: & quæcunque in terra solveritis, in cœlo soluta fore. Joh. 20, 23.

19 Item certo scitote, si duo vestrum in terra consenserint, quamcunque rem petierint, impetraturos a Patre meo, qui in cœlis est. 1. Ioh. 3, 21. & 5, 14.

20 Ubi sunt enim duo tresve meo nomine congregati, illic ego sum inter eos.

21 Tunc aggressus eum Petrus: Domine, inquit, quoties peccanti in me fratri meo ignoscere debeo? Ad septies ne? Luc. 17, 4.

22 Cui Iesus: Non dicam tibi ad septies, sed ad septuagies septies.

23 Itaque similiter accidit in regno cœlesti, ac in homine rege, qui voluit rationes conferre cum suis.

24 Qvum cœpisset autem conferre, adductus est ei quidam decies mille talentorum debitor,

25 Qui qvum solvendo non esset, jussit eum dominus ejus, uxoremque & liberos, & omnes ejus facultates vendi atque ita solvi.

26 Sed servus procubuit, & ei præbens honorem, dixit: Domine, expecta me diutius, & omnia tibi solvam.

27 Ita illius servi misertus dominus eum dimisit, eique debitum condonavit.

28 At servus ille digressus quendam nactus conservorum suorum, qui debebat ei centum dena-

denarios, comprehendit, & ei collum obtorquet: Solve mihi, inquit, quod debes.

29 Qvumque ejus conservus procubuisset, & eum oraret, ut se diutius expectaret, sese omnia ei soluturum,

30 Noluit, sed eum in custodiam datum ivit, donec solvisset debitum.

31 Quam rem videntes ejus conservi, ægerrime tulerunt, dominoque suo rem omnem declaratum iverunt.

32 Tunc eum dominus ejus accersitum sic alloquitur: Serve nequam, ego tibi totum nomen illud, rogatus a te, condonavi:

33 Nonne debebas tu vicissim tui conservi misereri, ut & ego tui misertus eram?

34 Itaque iratus ejus dominus, tradidit eum tortoribus, donec solvisset quicquid sibi debebatur.

35 Sic meus quoque cœlestis Pater vobis faciet, nisi alii aliis ex animo delicta condonaveritis. Supr. 6, 14.

CAP. XIX.

Conjugium, repudium, adulterium. Duplex eunuchus. Quorum sit cœlum. Quis bonus. Opum pericula. Piorum præmia. In ecclesia anceps eventus.

POstquam hanc orationem finivit Iesus, ex Galilæa profectus, venit in Iudææ fines trans Iordanem. Marc. 10, 1.

2 Eumque secuta est ingens hominum multitudo, quos illic sanavit.

3 Pharisæi vero eum, tentandi gratia, convenerunt, quærentes an liceret viro uxorem suam qualibet de causa repudiare.

4 Quibus ille respondit in hunc modum: Non legistis, qui principio fecit L. hominem G. eos marem & fœminam fecisse, Gen. 1, 28. & 5, 2. Mal. 2, 15.

5 Atque ita pronunciatum esse? Propterea relinquet vir patrem atque matrem, & adhærebit uxori suæ, fietque ex duobus unum corpus. Gen. 2, 24. 1. Cor. 6, 16. Eph. 5, 31.

6 Itaque non jam sunt duo, sed unum corpus. Proinde quod Deus conjunxit, homo non disjungat.

7 Et illi: Cur ergo præcepit Moses divortii tabulam dari, uxoremque repudiari? Deut. 24, 1. Supr. 5, 31.

8 Quibus ille: Moses utique propter vestram pervicaciam vobis uxores vestras repudiare permisit. Verum principio non fuerat ita factitatum.

9 Atque hoc scitote, quisquis uxorem suam repudiaverit (nisi ob stuprum) & aliam duxerit, eum adulterare. Et qui repudiatam duxerit, eum adulterare. Supr. 5, 32. Marc. 10, 11. Luc. 16, 18. 1. Cor. 7, 11.

10 Hic discipuli: Si ea est (inquiunt ei) viri cum uxore conditio, non expedit connubia conjungere.

11 Quibus ille: Non omnes hanc rem præstare possunt, sed quibus datum est. 1. Cor. 7, 2. 7. 9. 17. & 9, 5. 15.

12 Sunt enim quidam castrati, qui sic ab utero matris nati sunt.

Sunt

Sunt & castrati, qui ab hominibus castrati sunt. Item, sunt castrati, qui seipsos propter regnum cœleste castrarunt. Qui præstare potest, præstato.

13 Tunc adducti sunt ei pueri, ut manus eis imponeret, & oraret. Ac discipulis illos objurgantibus,

14 Iesus ita dixit: Sinite pueros, nec eos ad me venire prohibete: nam talium est cœleste regnum. Marc. 10, 13. Luc. 18, 15. Supr. 18. 3.

15 Deinde qvum illis manus imposuisset, digressus est illinc.

16 Tunc qvidam eum convenit, his verbis: Magister bone, quid boni faciam, ut vitam adipiscar æternam?

Marc. 10. 17. Luc. 18, 18.

17 Cui ille: Qvid me dicis bonum? Nullus est bonus, nisi unus Deus: qvod si vis in vitam ingredi, exequere præcepta.

18 Quænam? inquit ille. Et Iesus: Illa, inquit Ne occidito. Ne adulterato. Ne furator. Falsum testimonium ne dicito.

Exod. 20, 13.

19 Honora patrem atque matrem: & Alterum ut teipsum diligito. Supr. 15, 4. Eph. 6, 2.

20 Et adolescens: Omnia ista (inquit ei) executus sum a pueritia. Quid mihi restat?

21 Et Iesus: Si vis esse perfectus, (inquit ei) i venditum facultates tuas, inque pauperes erogato, habiturus in cœlo thesaurum: deinde adesto, & me sequere. Luc. 12, 33.

22 His verbis auditis adolescens abiit dolens: quippe qui multas facultates haberet.

23 At Iesus suos discipulos alloquens: Hoc vobis, inquit, confirmo, divitem difficulter in cœleste regnum ingredi.

Marc. 10, 24. 1. Tim. 6, 9. 10.

24 Iterumque hoc vobis dico, facilius esse rudentem per foramen acus trajici, qvam divitem in regnum Dei intrare.

25 Hoc audito, admodum stupefacti ejus discipuli, dicere: Qvis ergo servari potest?

26 Quos intuitus Iesus, dixit eis: Ab hominibus hoc fieri non potest: at a Deo fieri possunt omnia. Zach. 8, 6. Luc. 1, 37.

27 Tum Petrus ita loqvitur: En nos reliqvimus omnia teqve secuti sumus: qvid ergo hinc assequemur? Marc. 10, 28. Luc. 18, 28.

28 Et Iesus: Hoc vobis confirmo (inquit eis) vos, qui me secuti estis in renovata vita, qvum sedebit homine natus in suo glorioso tribunali, sessuros esse vos quoqve in duodecim tribunalibus, judicantes duodecim tribus Israelitarum. Luc. 22, 30.

29 Et qvisqvis domos, aut fratres aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut liberos, aut agros mei nominis causa reliquerit, is centuplum adipiscetur, & vitam obtinebit sempiternam.

30 Sed multi primi erunt ultimi & ultimi primi. Marc. 10, 31. Luc. 13, 30. Inf. 20, 16.

CAP. XX.

In vinea operariorum præmia. Mors Christi prædicta, & reditus in vitam. Quis Christo primus, quis postremus. Quorsum Christus. Cæci duo.

Perin-

PErinde enim accidit in cœlesti regno ac in homine patrefamilias, qui exiit primo mane ad conducendos operarios in vineam suam,

2 Pactusque operariis singulos denarios in diem, dimisit eos in vineam suam.

3 Deinde circa tertiam horam egressus, vidit alios in foro stantes ociosos:

4 Et, ite (inquit eis) vos quoque in vineam meam: & quod æqvum erit, dabo vobis.

5 Atque illi iverunt. Itemque circa septimam & nonam egressus horam, fecit similiter.

6 Circa undecimam autem horam egressus, offendit alios stantes ociosos, &, Quid hic statis (inquit eis) totum diem ociosi?

7 Cui illi: Quia nemo nos conduxit, inquiunt. Et ille: Ite & vos (inquit) in vineam meam, & quod erit æqvum accipietis.

8 Sub vesperam autem jubet vineæ dominus procuratori suo, ut vocet operarios, eisque ab ultimis exorsus ad primos mercedem solvat.

9 Ita qvum venissent qui circa undecimam horam venerant, acceperunt & ipsi singulos denarios.

10 Item primi qvum venissent, arbitrati se plus accepturos, acceperunt & ipsi singulos denarios.

11 Quibus acceptis, fremebant contra patremfamilias,

12 Dicentes: Hi postremi unam horam operati sunt, & tu eos nobis pares fecisti, qui diei onus ardoremque pertulimus.

13 At ille respondens dixit eorum uni: Amice, non facio tibi injuriam. Nonne mecum denario convenisti?

14 Aufer tuum, & abi. Volo autem huic ultimo dare quantum tibi.

15 An mihi non licet meis uti meo arbitratu? An ideo tuus oculus malus est, qvoniam ego bonus sum?

16 Ita erunt & ultimi primi, & primi ultimi: Multi enim sunt vocati, sed pauci electi.

Sup. 19, 30. Marc. 10, 31. Luc. 13, 30.

17 Ascendens autem Iesus Hierosolyma, assumpsit duodecim discipulos seorsum in via, eisqve dixit: Supr. 16, 21. Marc. 10, 32. Luc. 18, 31.

18 En ascendimus Hierosolyma, & homine natus Pontificibus Scribisque tradetur, qui eum capite damnatum,

19 Tradent externis illudendum, & verberandum, & crucifigendum, isque die tertio resurget. Ioh. 18, 32.

20 Tunc eum aggressa mater filiorum Zebedæi cum suis filiis, honore præbito, petebat aliqvid ab eo. Marc. 10, 35.

21 Cui ille: Quid vis? inquit. Et illa: Iube (inquit ei) ut hi duo mei filii tibi alter dexter, alter sinister assideant in regno tuo.

22 At Iesus respondens: Nescitis quid petatis. Potestis idem bibere poculum, quod ego bibiturus sum? & eodem baptismate, quo ego baptizandus sum,

baptizari? Possumus, inquiunt illi. Ioh. 18, 11.

23 Et ille: Meum quidem poculum bibetis, inquit, meoqve baptismate baptizabimini. Sed ut mihi dextera lævaque assideatur, non est meum dare, nisi quibus id paratum est a Patre meo.

24 Hoc audito, reliqui decem indignati sunt ob duos fratres. Marc. 10, 41. Luc. 22,

25 At IEsus advocatis eis, dixit: Scitis, gentium principes in eas dominari, & magnos viros in eas potestatem obtinere:

26 Inter vos non sic agetur: qvin qui volet in vobis maximus fieri, sit vester famulus.

27 Et qui volet in vobis esse primus, esto servus vester.

28 Sicut homine natus non venit ut sibi ministretur, sed ut ministret ipse, animamque suam in multorum liberationem impendat. Phil. 2, 7.

29 Eis autem Hierichunte discedentibus, qvum eum sequeretur freqvens hominum multitudo, Marc. 10, 46. Luc. 18, 35.

30 Cæci duo secundum viam sedentes ubi audiverunt præterire Iesum, sic exclamarunt: Miserere nostri, Domine Davidide.

31 Qvumque vulgo objurgarentur, ut tacerent, eo clamabant altius, dicentes: Miserere nostri, Domine Davidide.

32 Tum Iesus restitit & eos vocavit: Quid vulti, inquit, ut vobis faciam?

33 Cui illi: Domine, inqviunt, ut nostri aperiantur oculi.

34 IEsus vero misericordia motus, eorum tetigit oculos, statimque illi oculis viderunt, & eum secuti sunt.

CAP. XXI.

Christus obvans asina. Profanatum templum. Ficus arida. Fidei vis, ac precum. Seniorum confutatio. Gemini fratres ad vineam. Vineæ parabola secunda. Repudiatus lapis. Gentium gratiæ: in Christum insidiæ.

POstquam autem Hierosolymis propinquarunt, & Bethhage ad olivarum montem venerunt, misit Iesus duos discipulos, Marc. 11, 1. Luc. 19, 29.

2 Dicens eis: Ite in vicum, qui contra vos est, & protinus invenietis asinam ligatam, & pullum cum ea: solvitote, & mihi adducitote.

3 Qvod si quis vobis aliqvid dixerit, dicetis, Dominum eis egere, & statim dimittet eos.

4 Hoc autem totum factum est, ut id accideret quod a vate dictum fuerat, his verbis:

5 Dicite puellæ Sioni: Ecce rex tuus tibi venit mansvetus, insidens asinæ, & asello jumenti pullo. Es. 62, 11. Zach. 9, 9. Ioh. 12, 5.

6 Igitur profecti discipuli, fecerunt, sicut eis mandaverat Iesus:

7 Asinamque & pullum adduxerunt, & eis vestimenta sua imposuerunt, & eum super ea collocarunt.

8 Maxima autem hominum multitudo sui vestimentis viam consternere: alii abscissos ex arboribus ramos per viam sternere:

9 Vul-

9 Vulgus autem, partim præcedens, partim subseqvens sic acclamare: Hosanna Davidide, bene sit ei qui venit in nomine Domini, Hosanna in supremis.
Ps. 118, 24. 25.

10 Eo autem ingresso Hierosolyma, commota est tota civitas dicens: Quis est hic?

11 Vulgus autem dicebat: Iesus est Jesus vates a Nazaretha Galilææ.

12 Et Jesus in Dei templu ingressus, ejecit omnes in templo vendentes, & ementes, & nummulariorum mensas sellasqve vendentium columbas evertit.
Marc. 11, 15. Luc. 19, 45. Joh. 2, 13.

13 Scriptum est, inquit eis: Domus mea domus supplicationis vocabitur: at vos ex ea fecistis speluncam latronum.
Deut. 14, 25. Es. 56, 7. Ier. 7, 11. Marc. 11, 17. Luc. 19, 46.

14 Qvumque eum cæci & claudi in templo adiissent, sanavit eos.

15 Pontifices & Scribæ videntes quam mira fecisset, & pueros in fano, Hosanna Davidide, acclamantes, indignati sunt,

16 Dixeruntque ei: Audis quid hi dicant? Etiam, inqvit eis Jesus. Nunquamne legistis: Per os infantium ac lactentium laudem condis? Ps. 8, 3.

17 Deinde relictis illis, profectus ab urbe [illegible] Bethaniam, ibique diversat [illegible].

18 Mane autem urbem repetens, esuriit: Marc. 11, 13.

19 Et animadversa quadam apud viam ficu, venit ad eam: qvumqve nihil in ea, nisi folia duntaxat, invenisset, dixit ei: Ne posthac ex te fructus oriatur unquam. statimqve ficus aruit.

20 Qvo viso, admirati discipuli, dicere: Ut subito aruit ficus?

21 Quibus respondit Jesus: Hoc vobis confirmo: si fidem habebitis, neque dubitabitis, non solum hoc de ficu facietis: verum etiam si huic monti justeris ut amoveatur, & in mare projiciatur, fiet. Supr. 17, 20.

22 Ac qvicqvid precibus fidenter petieritis, obtinebitis.

23 Qvum venisset autem in fanum, Pontifices & populi Senatores cum docentem convenerunt, [illegible] verbis: Qua potestate ista facis: & quis tibi potestatem istam dedit?
Marc. 11, 27. Luc. 20, 1.

24 Quibus respondens Iesus: Rogabo vos ego vicissim quiddam, quod si mihi dixeritis, ego quoque vobis dicam, qua potestate hæc faciam.

25 Baptismus Joannis unde erat? a cœlone, an ab hominibus? At illi sic apud sese ratiocinati: Si dixerimus a cœlo, dicet nobis: Cur ergo ei non credidistis?

26 Sin dixerimus ab hominibus, vulgus metuimus: omnes enim [illegible] pro vate habent.
Supr. 14, 5. Marc. 6, 20.

27 Itaque Iesu sic responderunt: Nescimus. Et ille: Nec ego vobis dico, inquit, qua hæc potestate faciam.

28 Quid vobis autem videtur? Habebat homo quidam duos

natos, quorum priorem aggressus est his verbis: Nate, abi ad faciendum opus hodierni vinea mea.

29 Cui ille respondens: Nolo, inquit: post tamen mutata sententia ivit.

30 Alterum item iisdem verbis aggressus est: Atque ille: Faciam domine, inquit respondens, neque tamen ivit.

31 Uter paruit voluntati patris? Prior, inquiunt ei. Et Iesus: Credite mihi, publicani & meretrices antecedunt vos in regnum Dei. Luc. 7, 29. 30.

32 Venit enim ad vos Ioannes justitiæ via, cui vos tamen non credidistis, qvum publicani & meretrices crediderint: quod vos qvum videritis, non mutastis tandem sententiam, ut ei crederetis. Luc. 3, 11. 13.

33 Aliud exemplum audite: Fuit quidam paterfamilias, qui vineam consevit, & septo circundedit, in eaque torcular defixit, & turrim extruxit, eamque agricolis elocavit, deinde peregre profectus est.

Es. 5, 1. Ier. 2, 21. Marc. 12, 1. Luc. 20, 9.

34 Postea instante tempore fructuum, misit servos suos ad agricolas, ad ejus fructus percipiendos.

35 At agricolæ comprehensos ejus servos partim pulsarunt, partim interfecerunt, partim lapidaverunt.

36 Ille rursus alios plures prioribus misit, sed illi eis idem fecerunt.

37 Postremo misit ad eos filium suum, ita cogitans: Reverebuntur filium meum.

38 Agricolæ vero viso filio sic inter sese dicere: Hic est hæres, agite, interficiamus eum & ejus hæreditatem occupemus.

Infr. 26, 3. & 27, 2. Joh. 11, 53.

39 Itaque eum ceperunt, & ejectum extra vineam peremerunt.

40 Qvum ergo venerit vineæ dominus, quid faciet illis agricolis.

41 Cui illi: Malos male perdet, inquiunt, & vineam aliis elocabit agricolis, qui ei fructus pendent suis temporibus.

42 Et Iesus: Nunquamne legistis (inquit eis) in literis? Quem lapidem improbaverant structores, is adhibitus est ad caput anguli, id quod a Domino profectum est, & nobis mirum videtur.

Ps. 118, 22. Es. 28, 16. Act. 4, 11. Rom. 9, 33. 1. Pet. 2, 7.

43 Quam ob rem scitote auferendum a vobis Dei regnum, & genti dandum fructus editurae.

44 Ac qui in eum lapidem ceciderit, confringetur, & in quem lapis inciderit, eum conteret.

Es. 8, 14. Luc. 20, 18.

45 Igitur Pontifices & Pharisæi, auditis ejus exemplis, intellexerunt eum de ipsis dicere.

46 Sed eum volentes comprehendere, timuere vulgus, quod eum pro vate habebat.

Cap.

CAP. XXII.

Regiæ nuptiæ. Sordidus convivæ. Electi. Judæorum insidiæ, captiones. Tributa. Sadducæorum rejectio. Præceptorum summa. Pharisæorum ignorantia.

AT Iesus eos iterum his verbis per similitudines allocutus est: Luc. 14, 16. Apoc. 19, 7. 9.

2 In regno cœlesti similiter accidit, atque in rege quodam, qui filii sui nuptias facturus,

3 Dimisit servos suos, qui invitatos ad nuptias vocarent: sed illi noluerunt venire.

4 Itaque alios item servos misit, dicens: Dicite invitatis, me meum parasse prandium: meos juvencos & altilia esse mactata: & omnia parata, veniant ad nuptias: Prov. 9, 2.

5 At illi neglexerunt, & discesserunt: alius in suum prædium, alius ad mercaturam suam.

6 Cæteri comprehensos ejus servos cum ignominia peremerunt.

7 Quo audito iratus rex, missis eo suis copiis, homicidas illos perdidit, eorumque urbem cremavit.

8 Deinde suis servis ita dixit: Nuptiæ quidem paratæ sunt: sed invitati non erant digni.

9 Quamobrem, abite in trivia, & quoscunque inveneritis, vocate ad nuptias.

10 Ita profecti in vias illi servi, congregarunt quotquot invenerunt, tum malos, tum bonos, ita ut complerentur nuptiæ convivis.

11 Ingressus autem rex ad convivas spectandos, animadvertit ibi quendam non nuptiali vestitu indutum.

2. Cor. 5, 3. Eph. 4, 24.

12 Et, Amice, inquit ei, qui fit, ut huc intraveris sine vestimento nuptiali? Qvumque ille obmutuisset,

13 Iussit rex famulis, ut eum pedibus manibusque constrin- in penitissimas compin- g tenebras, ubi futurus esset ploratus stridorque dentium.

Sup. 8, 12. & 13, 42. Inf. 25, 30.

14 Multi enim sunt vocati, sed pauci electi.

Supr. 20, 16.

15 Tunc Pharisæi consilium captur biverunt de eo in verbis illaqueando,

Marc. 12, 13. Luc. 20, 20.

16 Eique discipulos suos cum Herodianis miserunt, qui dicerent: Magister, scimus te veracem esse, divinamque vitæ viam vere docere, neque quenquam curare, quippe qui non spectes hominum personam.

17 Dic ergo nobis quid censeas, liceatne pendere tributum Cæsari, nec ne.

18 At Iesus cognita eorum malitia, dixit: Quid me tentatis, simulatores?

19 Ostendite mihi numum tributarium. Illi ei denarium attulerunt.

20 Et ille: Cujus est imago hæc (inquit eis) & inscriptio?

21 Cui illi: Cæsaris (inquiunt.) Tunc ille: Soluite igitur (inquit eis) quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ Dei Deo.

Rom. 13, 7.

22 Hoc audito, admirati illi eo relicto discesserunt.

23 Illo die convenerunt Sadducæi, qui negant esse resurrectionem, eumque in hunc modum interrogarunt:

Marc. 12, 18. Luc. 20, 27. 23, 8.

24 Magister, inquit Moses, ut si quis mortuus fuerit, ducat ejus uxorem, fratrique suo prolem suscitet. Deut. 25, 5.

25 Fuerunt autem apud nos fratres septem, quorum primus uxore ducta obiit: & prole carens reliquit uxorem suam fratri suo.

26 Itidem & alter, & tertius usque ad septem.

27 Postremo omnium mortua est etiam mulier.

28 Igitur in resurrectione, cujus ex septem erit uxor, qvum omnes eam habuerint?

29 At Iesus respondens illis: Erratis, inquit, non intelligentes literas, neque Dei potestatem.

30 Siquidem in resurrectione nec viri ducunt uxores, nec fœminæ nubunt: sed divinorum angelorum similes sunt in cœlo.

31 De resurrectione autem mortuorum non legistis, quod vobis a Deo his verbis dictum est?

32 Ego sum Deus Abrahami, Deus Isaaci, & Deus Jacobi. Non est Deus mortuorum Deus, sed viventium.

Exod. 3, 6. Heb. 11, 16.

33 Hoc audito, stupebant vulgo ejus doctrinam.

34 Pharisæi vero audientes ab eo confutatos Sadducæos, coiverunt eodem.

Marc. 12, 28. Luc. 10, 25.

35 Eumque quidam eorum legisperitus, tentandi gratia, sic interrogavit:

36 Magister, quodnam præceptum est in lege maximum? Cui Iesus:

37 Dominum Deum tuum toto corde, toto animo, tota mente amato: Deut. 6, 5. Luc. 10, 27.

38 Hoc est primum & maximum præceptum.

39 Alterum autem est huic simile: Alterum ut teipsum amato. Lev. 19, 18. Marc. 12, 31. 1. Tim. 1, 5.

40 Ab his duobus præceptis tota lex, vatesque pendent.

41 Congregatis autem Pharisæis, interrogavit eos Iesus in hunc modum:

Marc. 12, 35. Luc. 20, 41.

42 Quid censetis de Christo? cujus prognatum fore? Davidis, inquiunt ei.

43 Et ille: Qui fit ergo (inquit eis) ut eum David afflatu divino Dominum vocet, ita dicens:

44 Ait Dominus Domino meo, sede ad meam dexteram, donec tuos hostes effecero scabellum pedum tuorum.

Ps. 109. (110.) 1. Act. 2, 3. 4.

45 Quod si eum David Dominum vocat, qui fit ut sit ejus prognatus?

46 Itaque nemo ei quicquam respondere potuit, nec eum ab illo die quisquam deinceps interrogare ausus est.

Cap.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt urn:nbn:de:gbv:3:1-648051-p0062-8 DFG

CAP. XXIII.

Verus doctor, sceleratus. Pharisæi in præceptis, fimbriis, mensis, consilio, foro, titulis. Magister qui. Studium mutuum. Pater quis, ac doctor. Elatio: Humilitas. Hypocritæ increpati. Hierosol. Pertinax.

TUnc Jesus plebem discipulosque suos sic allocutus est:

2 In Mosis sede sedent Scribæ & Pharisæi. 2. Esd. 8, 4.

3. Quicquid igitur vobis dixerint exequendum, exequimini, & facite: sed eorum facta nolite imitari. Dicunt enim, nec faciunt.

4 Quippe qui colligent onera gravia, & portatu difficilia, aliorumque humeris imponant, qvum ea ipsi ne digito quidem movere velint. Luc. 11, 46. Act. 15, 10. Gal. 6, 13.

5 Omnia autem opera sua faciunt, ut spectentur ab hominibus: utuntur autem latis magnisque vestimentorum limbis atque laciniis, Num. 15, 38. Deut. 6, 8. & 22, 12.

6 Amantque primas in cœnis accubationes & primas in synagogis sessiones, Marc. 12, 38. Luc. 11, & 20, 4

7 Et in foris salutationes, & ab hominibus vocitari Rabbi.

8 At vos nolite vocari Rabbi: unus est enim rector vester Christus: vos vero omnes estis fratres. Jac. 3, 1.

9 Neve patrem vobis in terris vocate: unus est enim vester Pater, qui est in cœlis. Malach. 1, 6.

10 Neque doctores vocemini: unus est enim vester doctor Christus.

11 Quin vestrum maximus vester sit famulus.

12 Quisquis vero seipsum extulerit, deprimetur: & quisquis seipsum depresserit, extolletur. Iob. 22, 29. Prov. 29, 23. Luc. 14, 11. & 18, 14. Iac. 4, 6. 1. Pet. 5, 5.

13 Væ vobis autem Scribæ & Pharisæi simulatores, qui cœleste regnum aliis præcluditis, utpote qui nec intretis ipsi, nec intrare conantes sinatis intrare. Luc. 11, 52.

14 Væ vobis Scribæ & Pharisæi simulatores, qui viduarum domos comedistis, idque longarum precum prætextu: itaque eo graviores dabitis pœnas. Marc. 12, 40. Luc. 20, 47.

15 Væ vobis Scribæ & Pharisæi simulatores, qui & mare & terram peragratis, ut unum ascisciatis adventitium: quod ubi factum est, efficitis eum duplo gehenna digniorem, quam estis vos.

16 Væ vobis duces cæci: qui dicitis: Si quis per templum juret, nihil esse: sin quis per templi aurum juret, eum teneri. Supr. 5, 33. 34. c. 15, 14.

17 Stulti & cæci: utrum enim majus est, aurum, an ædes, quæ aurum consecrat?

18 Item, si quis per aram juraverit, id nihil esse: at si quis per donarium, quod in ea est, juraverit, eum teneri.

19 Stulti & cæci, utrum enim majus est? donarium, an ara quæ donarium consecrat? Ex. 29, 37.

20 Ita-

20 Itaque qui per aram jurat, is & per eam jurat, & per quicquid est super ea.

21 Et qui per templum jurat, is & per id jurat, & per ejus incolam. 3 Reg. 8, 13. 2 Par. 6, 2.

22 Et qui per cœlum jurat, is & per Dei solium jurat, & per eum qui sedet in eo. Supr. 5, 34.

23 Væ vobis Scribæ & Pharisæi simulatores, qui mentam & anethum & cuminum decumatis, omissis quæ sunt in lege graviora, scilicet jure & pietate atque fide. Oportebat & hæc facere, & illa non omittere. Luc. 11, 42.

24 Duces cæci, qui culicem percolatis, & camelum deglutitis.

25 Væ vobis Scribæ & Pharisæi simulatores, qui poculi scutellæque partem exteriorem purgatis, qvum ea intus rapina intemperantiaque referta sint. Supr. 15, 20. Marc. 7, 4. Luc. 11, 39.

26 Pharisæe cæce, purga prius interiora poculi, & scutellæ, ut eorum exteriora quoque pura sint.

27 Væ vobis Scribæ & Pharisæi simulatores, qui similes estis incrustatis sepulchris: quæ foris quidem pulchra videntur, sed intus ossibus mortuorum, & omni fœditate plena sunt. Luc. 11, 44.

28 Sic & vos foris quidem aliis justi esse videmini, sed intus simulationis estis, scelerisque pleni.

29 Væ vobis Scribæ & Pharisæi simulatores, qui vatum sepulchra extruitis, & justorum monimenta ornatis, Luc. 11, 47.

30 Dicitisque: Si majorum nostrorum temporibus fuissemus, non fuissemus eorum in vatum sangvine socii.

31 Itaque ipsi de vobis testamini, vos eorum esse posteros, qui vates interfecerunt.

32 Et vos majorum vestrorum mensuram complete.

33 Serpentes, viperina progenies, poteritisne gehennæ supplicium effugere? Supr. 3, 7.

34 Itaque ego ad vos missurus sum vates, & sapientes & literatos, quos partim interficietis, ac in crucem tolletis, partim verberabitis in vestris synagogis, ac ex alia in aliam urbem persequemini, Luc. 11, 49. Act. 5, 40. & 22, 19. 2. Cor. 11, 24. 25.

35 Ut in vos expetat omnis innocens sangvis in terris effusus ab insontis Abelis sangvine, usque ad Zachariæ sangvinem, Barachiæ filii, quem vos inter ædem & aram necastis. Gen. 4, 8. 2. Par. 24, 21. 22. Heb. 11, 4.

36 Itaque certo scitote, horum omnium pœnas daturam esse nationem hanc.

37 Hierosolyma, Hierosolyma, quæ vates occidis & ad te missos lapidas qvoties volui tuos congregare natos, quomodo gallina suos pullos sub alas congregat & noluistis? Luc. 13, 34. 4. Esd. 1, 29. 30.

38 Scitote vestram domum vobis desertam relictum iri.

39 Sic enim habetote, vos non esse me visuros deinceps, donec dicatis: Bene sit venienti in nomine Domini. Supr. 21, 9. Ps. 118, 26.

Cap.

CAP. XXIV.

Templi solo æquatio. Cædes. Fidelium angustiæ. Pseudobates. Consilium afflictis. Orbis judicium. Christi reditus. Veritatis firmitas. Cui nota judicii momenta. Servus diligens ac nequam.

QVum autem egressus Iesus discederet ex templo, venerunt ejus discipuli ostensum ei templi structuram.

Marc. 13, 1. Luc. 21, 5.

2. At Iesus: Videtisne hæc omnia, inquit eis. Hoc vobis confirmo, fore ut hic nullus lapis super lapidem relinquatur, quin diruatur. Luc. 19, 44.

3 Sedentem autem eum in monte Olivarum, aggressi sunt discipuli seorsum his verbis: Dic nobis, quando hæc futura sint, & quod signum sit adventus tui, interitusque mundi.

4 Quibus Iesus ita respondit: Videte ne quis vos fallat.

Marc. 13, 5. Eph. 5, 6. Col. 2, 18. 2. Thes. 2, 3.

5 Multi enim venient in meo nomine, qui se Christos esse dicent, multosque decipient.

6 Futurum est autem, ut bella bellorumque rumores audiatis: Videte ne perturbemini: oportet enim omnia fieri, sed nondum finis erit.

Ierem. 4, 27. & 5, 10. 18.

7 Consurget enim gens contra gentem, & regnum contra regnum, eruntque fames & pestes, & terræ motus certis locis:

8 Quæ omnia principium erunt dolorum.

9 Tunc in calamitatem trademini, & occidemini, & cunctis gentibus invisi propter nomen meum. Sup. 10, 17. Marc. 13, 9. Luc. 21, 12. Ioan. 15, 20. & 16, 2.

10 Ac tum quidem deficient multi, & alius alium prodent atque oderint.

11 Existentque multi falsi vates, qui multos decipient.

12 Et quia tot erunt scelera, refrigescet multorum charitas.

13 Qui autem ad finem perseveravit, is servabitur.

14 Prædicabitur autem hoc Evangelium regni per totum orbem, quod sit cunctis gentibus testimonio, ac tum veniet finis.

15 Qvum autem calamitosum nefas (quod a Daniele vate prædictum est) stare videritis in loco sacro, qui legit, intelligat:

Marc. 13, 14. Luc. 21, 20. Dan. 9, 27. & 12, 11.

16 Tunc qui erunt in Iudæa, fugiant in montes.

17 Qui erit in tecto, ne descendat ad auferendum aliquid ex domo sua.

18 Et qui erit ruri, ne retro revertatur ad tollenda sua vestimenta.

19 Hei ventrem ferentibus, & lactantibus in illo tempore.

20 Optate vero, ut non accidat vestra fuga in hyeme, nec in Sabbatho. Act. 1, 12.

21 Erit enim tunc tanta calamitas, quanta nec hactenus ab orbe condito fuit, nec futura est.

Dan. 12, 1.

22 Quod nisi decurtaretur illud tempus, nemo prorsus evaderet, sed propter electos decurtabitur illud tempus.

23 Tunc si quis vobis dixerit: Ecce hic Christus, aut hic, ne creditote.
Marc. 13, 21. Luc. 17, 23. & 21, 8.

24 Existent enim falsi Christi, falsique vates, qui tanta portenta ac prodigia edent, ut decipiantur (si fieri posset) etiam electi.

25 En prædixi vobis.

26 Si igitur vobis dicetur, in sylvis adesse, ne exitote: si in penetralibus, ne creditote.

27 Ut enim fulgur ab oriente profectum, apparet ad occidentem, sic erit adventus homine nati.

28 Nam ubicunque erit cadaver, eo congregabuntur aquilæ.
Iob. 39, 33. Luc. 17, 37.

29 Protinus autem post illius temporis calamitatem, sol obscurabitur, neque luna suum splendorem emittet, & stellæ de cœlo cadent, cœlique potestates concutientur.
Esa. 13, 10. Ezech. 32, 7. Ioel. 2. 31. & 3, 15. Marc. 13, 24. Luc. 21, 25. Act. 2, 20.

30 Ac tum apparebit in cœlo signum homine nati: Tum vero plangent omnes terrarum nationes, videbuntque homine natum venientem in cœlestibus nubibus, cum multa potentia atque gloria. Apoc. 1, 7.

31 Qui suos nuncios mittet cum vocalissima tuba, qui ejus electos a quatuor ventis, ab extremo cœli ad alterum extremum congregabunt. Supr. 13, 41. 1. Cor. 15, 52. 1. Thess. 4, 16.

32 A ficu autem discite similitudinem: Qvum jam ejus rami tenerescunt, & enascuntur folia, cognoscitis instare æstatem.

33 Sic vos quoque, qvum hæc omnia videbitis, scitote instare pro foribus. Iac. 5, 9.

34 Hoc vobis confirmo, non prius hanc ætatem præterituram esse, quam fiant hæc omnia.
Marc. 13, 30. 31. Luc. 21, 32. 33.

35 Etiam si cœlum & terra intereant, mea dicta non interibunt. Supr. 5, 19.

36 Cæterum illam diem atque horam nullus scit, ne cœlestes quidem Angeli, sed meus Pater solus.

37 Ut autem accidit tempore Noë, sic etiam erit adventus homine nati. Gen. 6, 3. 4. 5. & 7, 15. Luc. 17, 26. 1. Pet. 3. 21.

38 Ut enim tempore, quod fuit ante diluvium, comedebatur, potabatur, contrahebantur invicem matrimonia, usque ad diem, quo Noë in arcam ingressus est,

39 Nec ante cognitum est, quam venit diluvium, quod omnes sustulit: sic etiam erit adventus homine nati.

40 Tunc ex duobus, qui ruri erunt, alter assumetur, alter relinquetur.
Luc. 17. 35. 36. 1. Thess. 4. 17.

41 Ex duabus in pistrino molentibus, altera assumetur, altera relinquetur.

42 Vigilate igitur, quandoquidem nescitis, qua hora vester herus venturus sit. Marc. 13, 33. 35.

43 Illud autem scitis, si sciret paterfamilias qua vigilia fur venturus esset, vigilaturum esse, neque domum suam perfodi pas-

passurum. Luc.12,39. 1.Thess.5,2. 2.Pet.3,10. Apoc.3,3. & 16,15.

44 Quapropter vos quoque estote parati: nam qua hora non arbitrabimini, venturus est homine natus.

45 Quod si quis est fidelis servus, atque prudens, quem herus præfecerit suæ familiæ, ut ei alimoniam suo tempore præbeat: Luc.12,42.

46 Beatus est ille servus, quem qvum venerit ejus herus, offenderit suum officium facientem.

47 Profecto (inquam vobis) eum suis omnibus præponet facultatibus.

48 Quod si malus ille servus cum suo animo cogitans, herum suum diu adventum differre,

49 Cœperit pulsare conservos, epularique & potare cum vinolentis:

50 Veniet illius servi dominus inexpectato ei die, ignotaque hora,

51 Et eum dissecabit, ac ad simulatorum conditionem rediget, ubi ploratus erit, stridorque dentium. Sup.8,12. & 13,42. Inf.25,30.

CAP. XXV.

Virgines obviæ sponso. Vigilantia. Attributa talenta. Urbis judicium. Beati, miserique.

TUnc similiter accidet in regno cœlesti, atque in decem virginibus, quæ sumptis suis lucernis profectæ sunt obviam sponso.

2 Erant autem earum quinque stultæ, & totidem prudentes.

3 Quæ quidem stultæ, sumptis suis lucernis, non sumpsere secum oleum:

4 At prudentes oleum cum lucernis sumserunt in suis vasis.

5 Tardante autem sponso, dormitarunt omnes, dormieruntque.

6 Deinde media nocte clamor extitit: Adventat sponsus, prodite ei obviam.

7 Tunc surrexerunt omnes illæ virgines, suasque lucernas adornarunt.

8 At fatuæ prudentibus dixerunt: Impertite nobis de oleo vestro: nam lucernæ nostræ extingvuntur.

9 Sed prudentes eis ita responderunt: Quid si non satis sit nobis & vobis? quin ite potius ad venditores, & vobis emite.

10 Euntibus autem illis ad emendum, venit sponsus, cum quo quæ paratæ erant ingressæ sunt ad nuptias, clausæque sunt fores. Luc.13,25.

11 Postea veniunt & reliquæ virgines; & Domine, Domine, inqviunt aperi nobis.

12 At ille: Profecto non novi vos, inquit respondens. Supr.7,23.

13 Quamobrem vigilate, quandoquidem diem aut horam nescitis, qua sit venturus homine natus. Sup.24,42. Marc.13,33.35. Luc.21,36. 1.Cor.16,13. 1.Pet.5,8. Apoc.16,15.

14 Quemadmodum homo quidam peregre profecturus, vocavit servos suos, eisque facultates suas tradidit: Luc.19,12.

15 Et uni quinque talenta dedit, alteri duo; alteri unum pro

sua

sua cuique facultate : deinde continuo peregre profectus est.

16 Igitur qui quinque talenta acceperat, ivit ea negotiatum, & alia quinque talenta peperit.

17 Similiter & qui duo, lucratus est ipse quoque altera duo.

18 Qui vero unum acceperat, ivit cavatum terram, dominique sui pecuniam abdidit.

19 Multo post tempore venit servorum illorum dominus, & cum eis rationes confert.

20 Igitur qui quinque talenta acceperat, accessit, & altera quinque obtulit, dicens: Domine, tu mihi quinque talenta tradidisti, en ego altera quinque per ea lucratus sum:

21 Et Dominus: Recte (inquit ei) serve bone & fidelis: ego te, qui in paucis fidelis fueris, multis præficiam: ingredere in domini tui voluptatem.

Supr. 24, 47. Luc. 22, 29. 30.

22 Item qui duo talenta acceperat, accessit: & Domine, inquit, tu mihi duo talenta tradidisti, per quæ ego altera duo lucratus sum.

23 Et Dominus: Recte (inquit ei) serve bone & fidelis, quoniam tu in paucis fidus fuisti, ego te in multis præficiam: ingredere in domini tui voluptatem.

24 Qui vero unum talentum acceperat, accessit & ipse: &, Domine, inquit, sciebam te hominem esse severum, qui & metas ubi non seminasti: & inde colligas, ubi non impendisti:

25 Id veritus, ivi obrutum humi tuum talentum: en habes iterum.

26 At dominus ei respondens: Nequam, inquit, & ignave serve, qvum scires me & metere ubi non seminavi, & inde colligere ubi non impendi,

27 Debuisti meam pecuniam committere mensariis: ita ego qvum venissem, meum cum fœnore recepissem.

28 Quamobrem auferte ei talentum, & ei date, qui habet talenta decem.

29 Nam omni habenti dabitur, ita ut abundet, ab eo vero qui non habet, etiam quod habet auferetur.

Sup. 13, 12. Marc. 4, 25. Luc. 8, 18. & 19, 26.

30 Inutilem vero servum conjicite in imas tenebras, ubi sit ploratus, stridorque dentium.

Sup. 8, 12. & 13, 42. & 22, 13.

31 Qvum autem venerit homine natus cum sua gloria, nec non omnes sancti Angeli cum eo, tum sedebit in suo glorioso tribunali, Zach. 14, 5. Supr. 16, 27. 1. Thess. 4, 16. 2. Thess. 1, 7. Iud. v. 14. Apoc. 1, 7.

32 Coramque eo congregabuntur gentes omnes, isque eos alios ab aliis separabit, quemadmodum separat pastor oves ab hœdis. Ezech. 20, 37. & 34, 17. 20. Rom. 14, 10. 2. Cor. 5, 10.

33 Statuetque oves ad dexteram suam, hœdos autem ad lævam.

34 Deinde dicet Rex eis, qui erunt ad ejus dexteram: Adeste beati Patris mei, possidete paratum vobis regnum ab orbe condito.

35 Nam qvum esurirem, dedistis

stis mihi comedere: qvum sitirem, bibere: me qvum hospes essem, accepistis:

Es. 58, 7. Ezech. 18, 7. Eccl. 7, 38. Iac. 1, 27.

36 Qvum nudus, vestivistis: qvum æger, visitastis: qvum in custodia, visistis.

37 Tum justi sic ei respondebunt: Domine, quando te vidimus esurientem, ut paverimus? aut sitientem, ut potum dederimus?

38 Quando autem te vidimus hospitem, ut acceperimus? aut nudum, ut vestierimus?

39 Quando autem te vidimus ægrum, aut vinctum, ut inviserimus?

40 Quibus respondens Rex: Certo scitote, inquiet, quatenus vel minimo horum meorum fratrum fecistis, vos mihi fecisse.

Prov. 19, 17. Heb. 16, 10.

41 Deinde dicet sinistris: Facessite a me, execrabiles, in ignem sempiternum, Diabolo ejusque angelis paratum. Ps. 6, 9.

Sup. 7, 23. Luc. 13 27.

42 Qui mihi nec esurienti cibum, nec sitienti potionem dederitis:

43 Nec hospitem acceperitis, nec ægrum & vinctum visitaveritis.

44 Tum illi quoque sic ei respondebunt: Domine, quando te vidimus esurientem, aut sitientem, aut hospitem, aut nudum, aut ægrum, aut vinctum: neque subvenimus?

45 Quibus ille sic respondebit: Profecto (inquam vobis) quatenus vel minimo horum non fecistis, mihi non fecistis.

46 Ita abibunt hi in pœnam sempiternam, justi vero in vitam sempiternam.

Dan. 12, 2. (47.) Ioh. 5, 29.

CAP. XXVI.

In Jesum concilium. Apud Simonem ungventum. Judas proditor. Pascha, Cœna Christi. Petrus audax. Jesus orans. Discipulorum sopor. Petrus vulnerat. Vulnerantis pœna. Discipulorum fuga. Jesus tractus ad Caiapham. Petri abnegatio, perjurium, pœnitentia.

POsteaquam hanc omnem orationem absolvit Iesus, sic allocutus est suos discipulos:

Marc. 14 1. Luc. 22, 1.

2 Scitis post biduum actum iri Pascha, qvum quidem homine natus tradatur ad crucifigendum.

3 Tunc coiverunt Pontifices, & Scribæ, & Senatores populi, in atrium Pontificis, qui dicebatur Caiaphas, Ioh. 11, 47.

4 Et consultarunt de Iesu fraudulenter capiendo, ac interficiendo.

5 Sed id festo die faciendum esse negabant, ne tumultus fieret in populo.

6 Qvum esset autem Iesus Bethaniæ in ædibus Simonis leprosi: Marc. 14, 3. Ioh. 11. 2. & 12, 3.

7 Accessit ad eum mulier, alabastrum habens ungventi preciosi, quo ejus accumbentis caput perfudit.

8 Quo viso, ejus discipuli indignati dicere: Quorsum hæc profusio?

9 Qvum posset ungventum hoc

hoc vænire multo, & in pauperes erogari.

10 Id quod animadvertens Iesus, dixit eis: Quid negotium facessitis mulieri? qvum erga me functa sit officio.

11. Semper enim pauperes habebitis vobiscum, at me non semper habebitis.

Deut. 15, 11. Ioh. 12, 8. Supr. 18, 20. Infr. 28, 20.

12 Nam quod hæc unguentum hoc in corpus meum contulit, id ad me sepeliendum fecit.

13 Pro certo habetote fore, ut ubicunque publicabitur Evangelium hoc per totum orbem, dicatur id quoque, quod ea fecit, ad ejus memoriam.

14 Deinde unus ex duodecim, nomine Iudas Iscariota, Pontifices aggressus, quæsiit ex eis:

Marc. 14. 10. Luc. 22, 4.

15 Ecquid sibi dare vellent, ut eum illis proderet. Cui illi triginta pacti sunt nummos argenteos. Zach. 11, 12.

16 Itaque deinceps quærebat opportunitatem eum prodendi.

17 Primo autem Azymalium die, discipuli Iesum convenerunt, quærentes, ubinam vellet ut ei Pascha epulandum pararent. Marc. 14, 12. Luc. 22, 7.

18 Quibus ille præcepit, ut in urbem irent ad quendam, eique sic dicerent: Magister dicit suum instare tempus, quo sit apud te acturus Pascha cum suis discipulis.

19 Igitur fecerunt discipuli, ut eis mandaverat Iesus, & Pascha præpararunt.

20 Vespere autem qvum accumberet cum duodecim,

21 Epulantibus eis dixit: Certo scitote fore, ut unus vestrum me prodat. Marc. 14, 18. Luc. 22, 14. Ioh. 13, 21.

22 Hic illi vehementer dolentes, cœperunt ei dicere: Ego ne is sum Domine?

23 Et ille respondens: Qui mecum manum, inquit, in catino intinxerit, is me prodet.

Marc. 14, 20.

24 Vadit quidem homine natus, quomodo de eo scriptum est: Sed væ homini illi, per quem homine natus prodendus est: Satius fuisset homini illi non nasci.

25 Et Iudas, ejus proditor, sic est locutus: Isne ego sum, Rabbi? Cui ille: Tu dixisti.

26 Epulantibus autem eis Iesus panem cepit, actisque laudibus, fregit, deditque discipulis: &, Accipite, inquit, comedite: hoc est corpus meum. Marc. 14, 22. Luc. 22, 19. 1. Cor. 11, 24

27 Deinde capto poculo, actisque laudibus, dedit eis, dicens: Bibite ex eo omnes:

28 Hic est enim sangvis meus novi fœderis pro multis effundendus ad veniam peccatorum.

Supr. 20, 28. Rom. 5, 15.

29 Sic autem habetote, non me dehinc bibiturum esse hoc fructu viteo, usque ad illam diem, qua eum bibam vobiscum novum in regno Patris mei.

30 Deinde dictis laudibus, profecti sunt ad montem Olivarum.

31 Tum Iesus: Vos omnes (inquit

quit eis) me deseretis hac nocte: Scriptum est enim: Percutiam pastorem, & dispergentur oves gregis. Marc. 14, 27. Ioh. 16, 32. & 18, 8. Zach. 13, 7.

32 Sed postquam resurrexero, præcedam vos in Galilæam. Marc. 14, 28. & 16, 7.

33 At Petrus ei respondens: Etiam si te deseruerint omnes, ego tamen nunquam deseram.

34 Et Iesus: Hoc tibi confirmo, inquit ei, fore, ut hac ipsa nocte, priusquam gallus cantet, tu me ter neges. Marc. 14, 30. Luc. 22, 34. Ioh. 13, 38.

35 At Petrus: Etiam si mihi tecum moriendum sit: non te negabo. Similiterque etiam omnes discipuli dixerunt.

36 Tum venit cum eis Iesus in locum nomine Gethsemane, & discipulos sic alloquitur: Sedete hic, dum ego illuc ad precandum eo. Marc. 14, 32. Luc. 22, 39. Ioh. 18, 1.

37 Tum assumpto Petro & duobus Zebedæi filiis, dolere cœpit, atque angi. Supr. 4, 21. Ioh. 12, 27.

38 Deinde dicit eis Iesus: In tanto sum animi dolore, ut emoriar. Manete hic, & vigilate mecum.

39 Deinde paululum progressus pronus procidit: & hunc in modum supplicat: Mi Pater, si fieri potest, fac ut effugiam hoc poculum: Quanquam, non ut ego volo, sed ut tu. Ioh. 12, 27. Hebr. 5, 7. 8.

40 Deinde venit ad discipulos, quos nactus dormientes, dicit Petro: Adeo non potuistis unam horam vigilare mecum?

41 Vigilate & orate, ne intretis in tentationem. Spiritus quidem promptus est, sed caro infirma.

42 Rursus iterato supplicatum ivit his verbis: Mi Pater, si non potest hoc a me declinari poculum, quo minus id bibam, fiat quod tu vis.

43 Deinde ubi venit, offendit eos rursum dormientes: erant enim eorum oculi gravati.

44 Igitur relictis eis, rursus ivit oratum tertio iisdem verbis.

45 Deinde venit ad suos discipulos: &, Dormite dehinc, inquit eis, ac requiescite: En adest hora, qua homine natus tradatur in manus improborum.

46 Surgite, eamus: en adest meus proditor.

47 Adhuc eo loquente, ecce aderat Iudas, unus ex duodecim, & una cum eo ingens multitudo, cum gladiis & fustibus a Pontificibus Senatoribusque populi. Marc. 14, 43. Luc. 22, 47. Ioh. 18, 3.

48 Qui eum autem prodidit, dederat eis signum, dicens: Quem osculatus fuero, is est, eum comprehendite.

49 Igitur Iesum protinus aggressus, dixit: Ave Rabbi, eumque deosculatus est.

50 Et Iesus: Amice (inquit ei) quorsum ades? Tum illi Iesum aggressi, manus in eum injecerunt, eumque comprehenderunt.

51 Ecce autem unus comitum Iesu gladium suum admota ma-

nu strinxit, & Pontificis servum percussit, eique auriculam amputavit. Ioh. 18, 10.

52 Tum Iesus: Refer (inquit ei) gladium tuum in locum suum. Omnes enim qui gladio utuntur, gladio peribunt.
Gen. 9, 6. Apoc. 13, 10.

53 An existimas non posse me jam exorare Patrem meum, ut mihi plusquam duodecim angelorum legiones præbeat?

54 Sed quo pacto confierent, quæ fieri oportere proditum est literis? Es. 53, 7. 8. 10.

55 Ea hora dixit Iesus illi multitudini: Vos quasi ad latronem profecti estis cum gladiis & fustibus ad me capiendum. Quotidie apud vos degebam, docens in fano, neque comprehendistis.

56 Hoc vero totum factum est, ut vatum scripta comprobarentur: Tunc discipuli omnes, eo relicto, fugerunt. Thr. 4, 20.

57 Illi autem comprehensum Iesum, abduxerunt ad Caiapham Pontificem, quo Scribæ Senatoresque convenerant.
Marc. 14, 53. Luc. 22, 54. Ioh. 18, 12. 24.

58 Petrus vero eum procul secutus est, usque ad Pontificis atrium, & introgressus resedit cum ministris, ut exitum videret.

59 Pontifices autem & Senatores, totusque consessus quærebant falsum testimonium contra Iesum, ut eum occiderent,
Marc. 14, 55.

60 Nec inveniebant: cumque accessissent falsi testes, tamen non inveniebant. Tandem accesserunt duo falsi testes,

61 Qui dixerunt, eum dixisse, posse se Dei templum diruere, & triduo instaurare.
Ioh. 2, 19.

62 Tum Pontifex surrexit, & dixit: Nihilne respondes? quid testantur hi contra te?

63 Cumque sileret Iesus, Pontifex eum his verbis affatus est: Obtestor te per Deum immortalem, ut nobis dicas, an tu sis Christus Dei filius.

64 Cui Iesus: Est ut dixisti, inquit. Cæterum scitote futurum esse, ut homine natum videatis sedentem ad dexteram potestatis, & in nubibus venientem cœlestibus.
Ps. 110, 1. Sup. 16, 27. & 24, 30. & 25, 31. Rom. 14, 10. 1. Thess. 4, 14. seq. Apoc. 1, 7.

65 Tum Pontifex vestimenta sua lacerare, eum impie locutum esse, dicens: Quid jam nobis opus est testibus? en nunc audivistis ejus impiam vocem.

66 Quid censetis? Illi vero morte dignum esse respondere.

67 Tum ei faciem conspuere, & colaphos impingere: Alii alapis ferire, Es. 50, 6. Inf. 27, 30.

68 Dicentes: Divina nobis Christe, quis sit qui te percussit.

69 Interea Petrum foris in atrio sedentem, aggressa est his verbis ancilla quædam: Tu quoque eras cum Iesu Galilæo.
Marc. 14, 66. Luc. 22, 55. Ioh. 18, 25.

70 At ille coram omnibus negavit scire se quid illa diceret.

71 Deinde egressum eum in vestibulum conspicata alia, dixit eis

eis qui illic aderant: Hic quoque erat cum Iesu Nazareno.

72 Ille vero rursum jurejurando negavit, se novisse hominem.

73 Paulo post qui aderant aggrediuntur Petrum: Profecto, inquiunt, tu quoque ex eis es: nam tua te locutio manifestum reddit. Luc.22,59.

74 Tum ille se diris agere, & jurare cœpit, se non novisse hominem: statimque gallus cantavit.

75 Et Petrus Iesu dictum recordatus, qui sibi dixisset, fore, ut priusquam gallus cantaret, ter eum negaret: foras egressus est, & acerbe flevit.

Supr. v. 34. Luc. 22, 61.

CAP. XXVII.

Judæ mors. Ager emptus. Christi silentium. Barrabas. Mulieris insomnium. Pilati lotio. Judæorum in semet diræ. IEsu cruciatus. Cruci suffixus, potatus. Vestes Christi, titulus, Latrones, probra, Tenebræ. Iesus ad Patrem, ejus mors. Portenta, Milites. Humatio Iesu, sepulchrum obsignatum, custoditum.

MAne autem consilium inierunt omnes Pontifices & Senatores populi contra Iesum de eo interficiendo, Marc.15,1. Luc. 22, 66. & 23, 1. Ioh. 18, 28.

2 Eumque vinctum abduxerunt, & Pontio Pilato Prætori tradiderunt.

3 Tum Iudas ejus proditor, videns eum esse damnatum, Pœnitens reddit triginta numos argenteos Pontificibus & Senatoribus,

4 Sese peccavisse dicens, qui sangvinem prodidisset innocentem. At illi: Quid ad nos? inqviunt, tu videris.

5 Ille vero, abjectis in templo numis, discessit, & se laqueo præfocatum ivit. Act. 1,18.

6 Pontifices autem, sumptis numis, dixerunt eos non licere in templi fiscum referre, quippe qvum precium esset sanguinis.

7 Itaque capto consilio, emerunt eis agrum figuli, ad peregrinorum sepulturam.

8 Ideoque vocatus est ager ille, ager sangvinis ad hunc diem. Act. 1,19.

9 Tum accidit quod a Ieremia vate dictum fuerat, his verbis: Itaque sumpserunt triginta argenteos, precium æstimati, qvem licitati emerunt ab Israelitis, Zach.11, 12.

10 Eosque impenderunt in agrum figuli, quemadmodum mihi præcepit Dominus.

11 Iesus autem stetit ante Prætorem, eumque sic Prætor interrogavit: Es ne tu Rex Iudæorum? Cui Iesus: Est ut dicis, inquit. Marc. 15, 2. Luc. 23, 3. Ioh. 18, 33. 37. 1. Tim. 6, 13.

12 Qvumque a Pontificibus & Senatoribus accusaretur, nihil respondit.

13 Tunc Pilatus dixit ei: Non audis quæ contra te testentur?

14 At ille ei ad nullum prorsus verbum respondit, adeo ut valde miraretur Prætor.

15 Per festum autem solebat Prætor unum vinctum plebi remittere, quem vellent. Marc. 15, 6. Luc. 23, 17. Ioh. 18, 39.

16 Habebant tum quendam vinctum illustrem, nomine Barrabam.

17 Igitur qvum convenissent dixit eis Pilatus: Utrum vultis vobis remittam? Barrabam, an Iesum cognomento Christum?

18 Sciebat enim eum per invidiam ab eis esse traditum.

19 Sedente autem eo pro tribunali, sic ei significandum curavit ejus uxor: Nihil tibi rei sit cum innocente isto. Multa enim hodie secundum quietem passa sum, propter eum.

20 Pontifices vero & Senatores plebi persuaserunt, ut Barrabam peterent, Iesumque perderent. Marc. 15, 11. Luc. 23, 18. Ioh. 18, 40.

21 Itaque qvum Prætor ex eis quæsivisset, utrum duorum vellent, ut eis remitteret, dixerunt, Barrabam. Act. 3, 14.

22 Et Pilatus: Quid ergo inquit eis, faciam de Iesu, nomine Christo? Cui omnes: Crucifigatur, inquiunt.

23 Et Prætor: Quid enim mali fecit? At illi vehementius clamare: Crucifigatur.

24 Igitur videns Pilatus se non solum nihil proficere, sed etiam majorem tumultum fieri, sumpta aqua manus coram plebe lavit, dicens: Ego insons hujus innocentis sanguinis sum, vos videritis.

25 Et universus populus sic respondit: Ejus sanguinem luamus nos, nostrique nati.

26 Tunc ille Barrabam remisit eis, Iesum autem vorberavit, & crucifigendum tradidit. Ioh. 19, 1.

27 Tum prætoriani milites Iesum in prætorium ducunt, & ad eum totam cohortem congregant, Marc. 15, 16.

28 Eumque spoliatum induunt chlamyde coccinea,

29 Et contextam ex spinis coronam imponunt ejus capiti, & arundinem in ejus dexteram, atque ita ante eum congenulantes illudunt ei dicentes: Salve Rex Iudæorum.

30 Eumque conspuunt, & sumpta arundine, ei caput contundunt.

Esa. 50, 6. Supr. 26, 67.

31 Deinde postquam ei illuserunt, spoliant eum chlamyde, ipsiusque vestibus induunt, & in crucem tollendum abducunt.

32 Exeuntes autem nacti sunt hominem Cyrenæum, nomine Simonem, quem coegerunt Iesu ferre crucem.

Marc. 15, 21. Luc. 23, 26.

33 Deinde ubi venerunt in locum nomine Golgatha, qui Calvariæ locus appellatur,

Marc. 15, 22. Luc. 23, 33. Ioh. 19, 17.

34 Dederunt ei bibere acetum cum felle mixtum, quod ille qvum gustasset, noluit bibere.

Ps. 69, 23.

35 Eo autem crucifixo, ejus vestimenta, sorte jacta, dispertiverunt, ut comprobaretur dictum illud vatis: Mea inter sese vestimenta partiti, super veste mea sortem jecerunt.

Ps. 22, 19. Marc. 15, 24. Luc. 23, 34. Ioh. 19, 23.

36 Igitur sedentes eum illic observabant.

37 Po-

37 Posuerant autem supra caput ejus scriptam ejus causam: Hic est Iesus Rex Iudæorum.
Marc. 15, 26. Luc. 23, 38. Ioh. 19, 19.

38 Tum crucifiguntur cum eo latrones duo, alter ad dexteram, alter ad sinistram. Es. 53, 13.

39 Qui præteribant autem, ei maledicebant, motantes sua capita, Ps. 22, 8.

40 Et dicentes: Qui templum destruis, & triduo instauras, serva teipsum. Si Dei filius es, descende de cruce.
Supr. 26, 61. Ioh. 2, 19.

41 Similiter & Pontifices cum Scribis & Senatoribus illudentes, dicebant:

42 Alios servavit, seipsum servare non potest. Si Israelitarum Rex est, descendat de cruce, & ei credemus:

43 Deo confidit, liberet nunc eum, si ei favet quandoquidem dixit esse se Dei filium.
Ps. 22, 6. Sap. 2, 18.

44 Atque idem ei etiam latrones cum eo crucifixi exprobrabant. Luc. 23, 39.

45 A sexta autem hora extiterunt per universam terram tenebræ usque ad horam nonam.

46 Circa nonam horam exclamavit Iesus magna voce, dicens: Eli, Eli lama sabachthani, hoc est, Mi Deus, mi Deus, cur me dereliquisti? Ps. 22, 2.

47 Quo audito, quidam eorum, qui illic aderant dicebant, eum vocare Eliam.

48 Ac statim cucurrit eorum unus, sumptaque spongia, & aceto repleta affixaque arundini, dabat ei bibere. Ps. 69, 22. Marc. 15, 36. Luc. 23, 36. Ioh. 19, 29.

49 At reliqui dicere: Sine videamus, an veniat Elias servatum eum.

50 Iesus autem qvum rursum ingenti voce clamasset, emisit spiritum.

51 Et ecce templi velum in duas partes a summo ad imum fissum est & terra commota est, & saxa fissa.
Exod. 26, 31. 2. Par. 3, 14.

52 Et monimenta aperta multaque corpora sanctorum, qui obdormiverant, surrexerunt:

53 Qui ex monimentis egressi, post ejus resurrectionem ingressi sunt in sacram urbem, & multis apparuerunt.

54 Centurio vero & ejus comites Iesum servantes, viso terræ motu, & iis quæ acciderant, vehementer territi, confessi sunt eum vere Dei filium fuisse.
Marc. 15, 39. Luc. 23, 47.

55 Erant autem illic multæ mulieres procul spectantes, quæ Iesum ex Galilæa secutæ fuerant, ei ministrantes. Luc. 8, 2.

56 In quibus erat Maria Magdalena, & Maria Iacobi, & Iosis mater, & mater filiorum Zebedæi.

57 Sub vesperum autem venit dives homo ab Arimathæa, nomine Iosephus, qui & ipse fuerat a Iesu disciplina. Marc. 15, 42. Luc. 23, 50 Ioh. 19, 38.

58 Is Pilatum aggressus, petiit Iesu corpus. Tum Pilatus jussit tradi corpus.

59 Et Iosephus sumptum corpus involvit mundo linteo,

60 Et in suo novo monimento po-

posuit, quod in saxo exciderat, advolutoque ingenti lapide ad ostium monimenti, discessit,

Es.53, 9.10.

61 Qvum quidem illic esset Maria Magdalena & altera Maria, e regione sepulchri sedentes.

62 Postero die, qui est post præparationem, coiverunt Pontifices & Pharisæi ad Pilatum,

63 Et eum sic allocuti sunt: Domine, meminimus deceptorem illum dicere, qvum adhuc viveret, sese intra tres dies esse resurrecturum.

64 Quare jube muniri sepulchrum usque ad diem tertium, ne forte ejus discipuli eum surreptum eant dicantque populo, eum ex mortuis surrexisse, atque ita novus oriatur error priore deterior.

65 Qvibus Pilatus: Habetis custodiam, inquit, ite id munitum vestro modo.

66 Ita illi sepulchrum munitum iverunt & lapidem, præter adhibitam custodiam, sigillarunt.

CAP. XXIIX.

Angelus ad sepulchrum. Custodum pavor. Angelus ad mulieres, iisdem Jesus obvius. Obærati custodes. IEsus in Galilæa: doctrina ad suos & Baptismus.

EA autem nocte septidui, quæ in primam a sabbatho diem illucescit, venit Maria Magdalena, & altera Maria spectatum sepulchrum. Marc. 16, 1.

Luc. 24, 1. Ioh. 20, 1.

2 Ecce autem magnus terræmotus. Angelus enim Domini de cœlo degressus, venerat avolutum lapidem ab ostio, & super eo sedebat.

3 Erat autem ejus species fulguris similis, & indumentum tam album quam est nix:

4 Atque ejus metu percussi custodes, pene exanimati sunt.

5 Is Angelus sic est mulieres allocutus: Ne metuite vos. Scio vos Iesum quærere crucifixum.

6 Non est hic, surrexit enim, quemadmodum prædixerat. Adeste, videte locum ubi jacebat Dominus.

Supr. 12, 40. & 16, 21. & 17, 23.

7 Ac protinus ite nunciatum discipulis, eum a mortuis surrexisse, & vos in Galilæam antecedere: illic eum visuros esse: Hoc ego vobis dico.

Supr. 26, 32.

8 Igitur illæ confestim ex monimento cum metu & ingenti lætitia egressæ, id ejus discipulis renunciatum cucurrerunt.

9 Ut autem id discipulis renunciatum ibant, ecce IEsus occurrit eis: Salvete, inquit: atque illæ accesserunt, ejusque pedes prehenderunt & eum veneratæ sunt. Marc. 16, 9.

Ioh. 20, 14.

10 Tum Iesus: Ne metuite, inquit eis: ite nunciatum meis fratribus, ut abeant in Galilæam, & ibi me videbunt.

Ioh. 20, 17. Act. 1, 3.

11 Euntibus autem illis, quidam custodum venerunt in urbem, & Pontificibus rem omnem nunciarunt.

12 Atqve illi cum Senatoribus coiverunt, & capto consilio, satis grandem pecuniam militibus dederunt,

13 Atque ita dixerunt, Dicite: ejus

ejus discipulos venisse noctu, & eum vobis dormientibus surripuisse.

14 Quod si hoc apud Prætorem fuerit auditum nos id ei persvadebimus, securosque reddemus vos.

15 Igitur illi, accepta pecunia, fecerunt ut erant edocti: estqve res illa divulgata apud Iudæos ad hunc diem.

16 Undecim autem discipuli in Galilæam profecti sunt in montem, quo eis Iesus præceperat, Supr. 26, 32.

17 Eumque visum adorarunt: nonnulli dubitarunt.

18 Et Iesus aggressus eos, sic est locutus: Mihi data est omnis potestas in cœlo & in terra.

Supr. 11, 27. Ioh. 3, 35. & 13, 3. & 17, 2. Hebr. 1, 2. & 2, 8.

19 Vadite igitur doctum omnes gentes, eosque baptizate in nomen Patris, & Filii, & Spiritus Sancti,

Marc. 16, 15. Luc. 24, 47.

20 Docentes eos exequi quæcunque vobis præcepi. Ego vobis adfuturus sum perpetuo, usque ad finem seculi.

EVANGELIUM
AUTORE
MARCO.

CAP. I.

De Johanne vaticinium: ejusdem locus, actio, concio, vestis, cibus. Christi Baptismus, & Iohannis. Baptizatus Iesus. Vox cum columba. Christi tentatio: ad hunc angeli: ejus doctrina. Simonis, Andreæ, Iacobi, Iohannis vocatio. Spiritus impurus. Petri socrus. Ad sacerdotem leprosus.

INitium Evangelii Iesu Christi, Dei Filii:

2 Ut scriptum in vatibus est: Ego tibi meum præmittam nuncium, qui tibi viam præparet. Mal. 3, 1. Matth. 11, 10. Luc. 7, 27.

3 Vox clamantis in solitudine: Parate viam Domini; dirigite semitas ejus. Es. 40, 3. Ioh. 1 15. 23. Luc. 3, 4. Matth. 3, 3.

4 Baptizabat Ioannes in solitudine, & emendationis vitæ baptismum publicabat, ad peccatorum veniam.

5 Ad eumque proficiscebatur tota Iudæa regio, ac Hierosolymitani & ab eo baptizabantur omnes in Iordane fluvio, confitentes peccata sua. Matth. 3, 5.

6 Erat autem Ioannes indutus camelinis pilis, lateribus pelliceo cingulo cinctis, vescebaturque locustis & melle sylvestri,

Lev. 11, 22.

7 Atque hujusmodi verbis publice docebat: Venit quidam post me, adeo me præstantior, ut ego non sim dignus qui ejus calceorum corrigiam pronus solvam. Matth. 3, 11. Luc. 3, 16. Ioh. 1, 27.

8 Ego quidem vos aqua baptizavi: at is vos Sancto Spiritu baptizabit. Act. 1, 5. & 2, 4. & 11, 16. & 19, 4.

9 Accidit autem ut per eos dies veniret Iesus a Nazaretha Galilææ, isque a Ioanne baptizatus est in Iordane:

10 Qui Ioannes, simulac ex aqua egressus est, vidit cœlum findi, & spiritum quasi columbam descendere in eum:

11 Extititque vox e cœlo: Tu es meus charissimus filius, qui mihi acceptus es.

Ps. 2, 7. Es. 42, 1. Matth. 3, 17. & 17, 5. 2. Pet. 1, 17.

12 Statimque Spiritus eum egit in solitudinem:

Matth. 4, 1. Luc. 4 1.

13 Ibique fuit in solitudine dies quadraginta, tentatusque est a Satana, eratque cum feris, & ei ministrabant Angeli.

14 Postquam autem captus est Ioannes, venit Iesus in Galilæam, divinique regni Evangelium publicavit, Matth. 4, 12. Luc. 4, 14. Joh. 4, 43.

15 Dicens, Completum esse tempus, & instare Dei regnum, corrigerent se, & Evangelio crederent. Matth. 3, 2.

16 Ambulans autem apud Galilææ lacum, vidit Simonem & Andream ejus fratrem, jacientes in lacum retia: erant enim piscatores. Matth. 4, 18. Luc. 5, 2.

17 Et Iesus dixit eis: Venite post me, & efficiam, ut sitis hominum piscatores.

18 Atque illi confestim relictis suis retibus, eum secuti sunt.

19 Inde paululum progressus, vidit Iacobum Zebedæi filium, & Ioannem ejus fratrem, qui & ipsi in navi reficiebant retia:

20 Eosque protinus vocavit: atque illi, patre suo Zebedæo in navi cum mercenariis relicto, eum subsecuti sunt.

21 Profecti sunt autem Capernaum: atque ille continuo ingressus sabbathis in synagogam, docet; Matth. 4, 13. 23. Luc. 4, 31.

22 Illis ad ejus doctrinam attonitis: quippe qui eos doceret ut potestate præditus, non ut Scribæ. Matth. 7, 28. Luc. 4, 32.

23 Erat autem in eorum synagoga homo impurum habens spiritum, qui sic exclamavit:

Luc. 4, 33.

24 Heu, quid tibi nobiscum rei est, Iesu Nazarene? venisti perditum nos? Scio te quis sis, Sanctus Dei. Matth. 8, 29.

25 At Iesus increpuit, dicens: Obmutesce, & ex isto migra.

26 Tum illum spiritus impurus laceravit & ingenti cum clamore exiit ex eo.

27 Id quod admirati sunt omnes, ita ut inter sese disceptarent, quidnam id esset: quænam ea foret nova doctrina, quod per potestatem etiam impuris spiritibus imperaret, iique ei parerent.

28 Itaque dimanavit celeriter ejus fama in omnia Galilææ finitima.

29 Simulac autem ex synagoga egressi sunt, venerunt in ædes Simonis & Andreæ cum Jacobo & Joanne.

Matth. 8, 14. Luc. 4, 38.

30 Socrus autem Simonis jacebat febricitans, id quod illi ei statim dixerunt.

31 Atque ipse eam aggressus, ejus manu prehensa allevavit: eaque

eaque protinus liberata febre, cœpit eis ministrare.

32 Sub vesperum autem occidente sole, afferebantur ad eum omnes male affecti, ac dæmoniaci, Matth. 8, 16. Luc. 4, 40.

33 Totaque civitas convenerat ad fores,

34 Atque ille multos, qui variis morbis vexabantur, sanavit: & multa dæmonia ejecit, neque sinebat dicere dæmonia se scire, eum esse Christum.

Act. 16, 17. 18.

35 Mane autem, multa adhuc nocte, surrexit, exiitque Iesus, & abiit in desertum locum, atque illic orabat.

36 Quem consecuti Simon, & ejus comites,

37 Eumque nacti, dicunt ei, eum ab omnibus conqviri.

38 Quibus ille: Eamus, inquit, in finitima oppidula, ut illic quoque prædicem. Hac enim de causa profectus sum.

39 Itaque publice docebat in eorum synagogis per totam Galilæam, & dæmonia ejiciebat.

40 Aggressus autem eum leprosus congenulans, hujusmodi verbis rogavit: Si vis, potes me purgare. Matth. 8, 2. Luc. 5, 12.

41 Et Iesus misertus, illum porrecta manu tetigit: Volo, inquit ei, purgator.

42 Et simul eo locuto, discessit ab illo lepra, isque purgatus est.

43 Ei autem interminatus, eum protinus ejecit,

44 Et vide, inquit, ne cui quid dicas: sed i ostensum te sacerdoti, & offer ob tui purgationem quæ præcepit Moses, ut esset eis testimonio. Lev. 14, 3.

45 At ille egressus cœpit multa prædicare, & rem ita divulgare, ut Iesus non jam posset palam in urbes ingredi, sed foris desertis in locis esset, qvum quidem ad eum veniretur undique.

Luc. 5, 15.

CAP. II.

Paralyticus. In peccata Iesus. Levi. Cum Christo peccatores. Cui Christus. Pro discipulis de jejunio, ac spicis.

QVum autem rursus post aliquot dies ingressus esset Capernaum,

Matth. 9, 1. Luc. 5, 18.

2 Ubi auditum est eum esse domi, protinus tam multi convenerunt, ut eos ne vestibulum quidem caperet.

3 Ad quos qvum verba faceret, veniunt ad eum quidam membris captum ferentes, qui a quatuor portabatur.

4 Qui qvum ad eum accedere propter hominum turbam non possent, detexerunt tectum, ubi erat ille, factoque foramine, demisere grabatum, in quo jacebat sideratus.

5 Eorum visa fide, Iesus dicit siderato: Nate, ignoscuntur tibi peccata tua.

6 Erant autem Scribarum quidam illic sedentes, qui cum suis animis sic cogitabant:

7 Qui fit, ut hic ita loquatur impie? Quis potest ignoscere peccata, nisi unus Deus?

Iob. 14, 4. Es. 43, 15.

8 Tum Iesus, qvum protinus animo suo eos sic secum cogitare co-

cognovisset, dixit eis: Quid ista cogitatis cum vestris animis?

9 Utrum facilius est dicere siderato: Ignoscuntur tibi peccata, an dicere: Surge, & tolle grabatum tuum & ambula?

10 Atque ut sciatis potestatem habere homine natum ignoscendi in terris peccata,

11 Tibi dico (inquit siderato) surge, & sublato grabato tuo, abi domum tuam.

12 Atque ille protinus surrexit, sublatoqve grabato exiit coram omnibus, adeo ut omnes attoniti Deum collaudarent, sese nihil unquam tale vidisse confitentes.

13 Profectus est autem rursus ad lacum, & ad eum omnes vulgo veniebant, isque eos docebat.

14 Præteriens autem Iesus, conspicatus Levim Alphæi filium, ad publicanorum mensam sedentem, dicit ei: Sequere me. Atque ille surrexit, eumque secutus est. Matth. 9, 9. Luc. 5, 27.

15 Accidit autem, ut IEsu in illius ædibus convivante, qvum multi publicani & improbi cum eo ejusque discipulis accumberent (erant enim multi, qui eum secuti fuerant,)

16 Scribæ & Pharisæi, eo viso cum publicanis & improbis cibum capiente, quærerent ex ejus discipulis, qui fieret, ut cum publicanis & improbis cibum potionemque sumeret.

17 Quo audito, Iesus dixit eis: Non egent valentes medico, sed male affecti. Non veni vocatum insontes, sed sontes ad frugem. Matth. 9, 12. 13. Luc. 5, 31. 32. 1. Tim. 1, 15.

18 Qvum solerent autem Ioannis & Pharisæorum discipuli jejunare, eum hujusmodi verbis convenerunt: Qui fit, ut Ioannis & Pharisæorum discipuli jejunent, tui discipuli non jejunent? Matth. 9, 14. Luc. 5, 33.

19 Quibus Iesus: Possuntne qui nuptias celebrant, inquit, dum eis sponsus adest, jejunare? Quamdiu secum habent sponsum, non possunt jejunare.

20 Sed veniet tempus, qvum eis sponsus auferetur: quo quidem tempore jejunabunt.

21 Neque vero quisquam panni rudis pittacium assuit veteri vestimento: alioquin novum illud ejus supplementum auferret veteris partem, atque ita deterior fieret fissura.

22 Neque quisquam vinum novum in veteres recondit utres: alioquin rumperet utres vinum novum, & vinum effunderetur: sed est vinum novum in novos utres condendum.

23 Accidit autem ut eo per sata transeunte, qvum sabbathi dies esset, ejus discipuli iter facientes spicas vellerent, Deut. 23, 25. Matth. 12, 1. Luc. 6, 1.

24 Itaque Pharisæi dixerunt ei: En, cur faciunt sabbathis quod non licet?

25 Quibus ille: Nunquamne legistis, inquit, quid fecerit David, qvum aliquando egeret, & esuriret, ipse ejusque comites? 1. Reg. (Sam.) 21, 6.

26 Ut Dei domum ingressus, Abiathare Pontifice appositiitios panes (quibus non nisi sacerdotibus vesci fas est) comederit, &

& ſuis etiam comitibus impertiverit? Exod.29,32. Levit. 8, 31. & 24, 5.9.

27 Sabbathum (inquit eis) propter hominem factum eſt, non homo propter ſabbathum.

28 Itaque dominus eſt homine natus etiam ſabbathi.

CAP. III.

Arida manus. Concilium in Jeſum. Diſcipulorum numerus, legatio, virtutes. Calumnia in Chriſtum de Beelzebul. Peccatum inexpiabile. Quis Chriſto cognatus.

INgreſſus eſt autem rurſus in ſynagogam, ubi cum homo eſſet aridam habens manum, Matth. 12, 9. Luc. 6, 6.

2 Illi eum obſervabant, an ſabbatho eum ſanaret, ut eum incuſarent.

3 Igitur ille homini, ſiccam habenti manum, dixit: Surge in medium.

4 Tum illos alloquens: Licetne ſabbathis benefacere, an malefacere? vitam ſervare, an interficere?

5 Cumqve illi tacerent, ille eos irate circumintuitus, eorum animi callum dolens, dicit homini: Extende manum tuam. Atque ille extendit, eaque tam ſana reddita eſt, quam erat altera.

6 Phariſæi vero egreſſi, protinus cum Herodianis conſilium de eo perimendo ceperunt. Matth. 22, 16.17.

7 At Ieſus ſeſe cum ſuis diſcipulis recepit ad lacum, eumque ingens hominum multitudo a Galilæa ſecuta eſt, & a Iudæa, Matth. 4, 25.

8 Et a Hieroſolymis, & ab Idumæa, & ab agro Transjordanino, Tyroque & Sidoni finitimi, qvum audiviſſent quæ faceret, ad eum ingenti multitudine venerunt.

9 Itaque ille ſuis diſcipulis mandavit, ut ſibi præſto eſſet navicula, propter turbam, ne ab illis premeretur.

10 Multos enim ſanaverat: itaque ruebant in eum, ut eum tangerent, quotquot erant in aliquo cruciatu.

11 Item ſpiritus impuri, qvum eum aſpexerant, accidebant ei, & ita clamabant: Tu es Dei filius.

12 Quos ille multum objurgabat, ne ſe manifeſtum facerent.

13 Aſcendit autem in montem, & advocavit quos voluit: atque ubi illi ad eum venerunt, Inf. 6, 7. Matth. 10, 1.

14 Conſtituit duodecim, qui ſe comitarentur, & quos ad publice docendum dimitteret,

15 Quique poteſtatem haberent curandi morbos, & dæmonia ejiciendi.

16 Impoſuit autem Simoni nomen Petrum: Ioh. 1, 42.

17 Itemque Iacobum Zebedæi filium, & Ioannem Iacobi fratrem, quibus nomina impoſuit Boanerges: hoc eſt, tonitrui filii.

18 Andream, & Philippum, & Bartholomæum, & Matthæum, & Thomam, & Iacobum Alphæi filium, & Thaddæum, & Simonem Cananitam,

19 Et Iudam Iſcariotam, eum a quo proditus eſt.

20 Deinde ubi domum venerunt, convenit rursum multitudo, adeo ut ne cibum quidem capere possent.

21 Quo audito, sui ad eum capiendum profecti sunt: dicebant enim eum esse insanum.

22 Scribæ autem, qui a Hierosolymis descenderant dicebant eum habere Beelzebulem, & per dæmoniorum principem ejicere dæmonia. Matth. 9, 34. & 12, 24. Luc. 11, 15. Ioh. 7, 20. & 8, 48. 52. & 10, 20.

23 At ille eos advocatos, sic est per similitudines allocutus: Potestne Satanam Satanas ejicere?

24 Quod si quod regnum ab sese dissidet, id regnum stare non potest:

25 Aut si qua domus secum ipsa dissidet, ea domus stare non potest.

26 Quod si Satanas secum ipse pugnat, ac dissidet, stare nequit, sed finem habebit.

27 Non potest quisquam alicujus potentis supellectilem, in ejus ædes ingressus, diripere, nisi prius potentem illum vinciat, atque ita demum ejus ædes diripiat.

28 Certo scitote, omnia hominum generi peccata, & quæcunque maledicta dixerint, ea esse ignoscenda: Marc. 12, 31. Luc. 12, 10. 1. Ioan. 5, 16.

29 Sed qui Sancto Spiritui maledixerit, nunquam assecuturus est veniam, sed obnoxius est supplicio sempiterno.

30 Quoniam dicebant eum immundum habere spiritum.

31 Venerunt autem ejus mater & fratres, forisque manentes curarunt eum accersendum, Matth. 1, 46. Luc. 8, 19.

32 Qvum quidem eum circumsideret hominum multitudo. Qvum igitur illi ei dixissent, adesse foris ejus matrem, & fratres, qui eum quærerent;

33 Ille sic eis respondit: Quæ est mea mater meique fratres?

34 Tum circumspectis discipulis, qui se circumsidebant: Ecce mea mater, inquit, meique fratres.

35 Quisquis enim Dei voluntati paret, is meus frater, & soror, & mater est.

CAP. IV.

Semen jacientis parabola. Cur quibusdam per parabolas Christus. Obscuri declaratio. Lucernæ locus, usus. An quid verè latens. Relatio par. Seminator ac messor. Sinapis semen. Jesus in tempestates.

RUrsus autem cœpit ad lacum docere, tantaque ad eum convenit hominum multitudo, ut navem ingressus sederet in lacu, & omnem multitudinem, quæ apud lacum in terra erat, Matth. 13, 1. Luc. 8, 4.

2 Multa per similitudines doceret, & inter docendum sic eis diceret:

3 Audite: Profectus est aliquando quidam sator ad serendum:

4 Atque inter serendum accidit, ut aliud caderet apud viam, id quod comederunt aereæ volucres, quæ supervenerunt.

5 Aliud cecidit in saxetum, ubi

ubi non multam habebat humum: idque ſtatim exortum eſt, quod profundam terram non haberet:

6 Deinde orto ſole, æſtuavit: & quoniam radicem non habebat, aruit.

7 Aliud cecidit in ſpinas, quæ ſpinæ creverunt, idque ſuffocarunt, ita ut fructum non ediderit.

8 Aliud cecidit in bonam terram ediditque fructum, qui tanto incremento auctus eſt, ut extulerit partim cum trigeſimo, partim cum ſexageſimo, partim cum centeſimo.

9 Qui habet aures ad audiendum, inquit eis, audiat.

10 Qvum autem ſeorſum eſſet, interrogarunt eum ſui, cum duodecim, de ea ſimilitudine. Matth. 13, 10.

11 Quibus ille: Vobis datum eſt, inquit, regni Dei arcanum noſſe: at cum illis exteris omnia per ſimilitudines aguntur,

12 Ut aſpiciant, neque videant: & audiant, nec intelligant, ne ad frugem redeant atque ita eis ignoſcantur peccata. Eſa. 6, 9. Matth. 13, 14. Luc. 8, 10. Ioh. 12, 40. Act. 28, 26. Rom. 11, 8.

13 An neſcitis hanc ſimilitudinem, inquit eis, quo pacto vero ſimilitudines omnes cognoſcetis?

14 Sator ſermonem ſerit.

15 Secundum viam autem ubi ſeritur ſermo, ii ſunt, qui ſimulac audiverunt, venit Satanas, tollitque ſatum in eorum animis ſermonem.

16 Similiter qui in ſaxetum ſeruntur, ii ſunt, qui qvum ſermonem audiunt, eum protinus accipiunt cum lætitia:

17 Verum non habent in ſeſe radicem, ſed temporarii ſunt: Deinde orta propter ſermonem calamitate, aut inſectatione, cito dimoventur.

18 Qui autem in ſpinas ſeruntur, ii ſunt, qui ſermonem audiunt;

19 Sed ſuperveniunt hujus vitæ curæ, & divitiarum fallacia, reliquarumque rerum cupiditates, quæ ſermonem ita ſuffocant, ut ſit infructuoſus. 1. Tim. 6, 17.

20 At in bonam terram ſati, ii ſunt qui ſermonem & audiunt, & admittunt, & fructum ferunt partim trigecuplum, partim ſexagecuplum, partim centuplum.

21 Item hoc dixit eis: Nunquid accenditur lucerna, ut ſub modio ponatur, aut ſub lecto? nonne ut in candelabro ponatur? Matth. 5, 15. Luc. 8, 16. & 11, 33.

22 Nihil enim eſt tam occultum, quod non ſit patefaciendum: neque quicquam tam arcane fit, quod non palam futurum ſit. Matth. 10, 26. Luc. 8, 17. & 12, 2.

23 Si quis aures ad audiendum habet, audiat. Matth. 11, 15.

24 Videte quid audiatis, inquit eis: qua menſura metiemini, metiendum vobis eſt, & vobis addetur audientibus. Matth. 7, 2. Luc. 6, 38.

25 Nam qui habet ei dabitur: qui vero non habet, etiam quod ha-

habet, eripietur ei. Matth. 13, 12. & 25, 29. Luc. 8, 18. & 19, 26.

26 Deinde dicebat: Perinde est cœleste regnum, ac si quis jaciat humi semen,

27 Deinde dormiat, atque surgat noctes & dies, semenque germinet & grandescat, eo nesciente.

28 Nam terra sponte sua parit, primum herbam, deinde spicam, deinde plenum in spica frumentum.

29 Simulac autem fructus adolevit, ille falcem immittit, quoniam messis adest.

30 Item dicebat: Cui assimilabimus regnum Dei? aut qua id comparatione comparabimus?

Matth. 13, 31. Luc. 13, 18. 19.

31 Perinde est ac granum sinapi, quod cum est in terra satum, est quidem omnium terrestrium seminum vel minimum:

32 Sed qvum est satum, crescit, fitque omnium maximum olerum, tantosque ramos procreat, ut possint sub ejus umbra aereæ volucres nidulari.

33 Hujusmodi similitudinibus multis ad illos verba faciebat, prout audire poterant:

Matth. 13, 34.

34 Nec eos absque similitudine alloquebatur, sed seorsum discipulis suis explicabat omnia.

35 Dixit autem eis illo die sub vesperam: Trajiciamus.

Matth. 8, 18. 23. Luc. 8, 22.

36 Itaque illi omissa hominum multitudine, eum admiserunt, ut erat in navi, qvum quidem aliæ quoque naviculæ essent una cum eo.

37 Extitit autem tanta venti procella, ut fluctus adeo navem invaderent, ut ea jam repleretur.

38 Qvum esset ipse in puppi, super cervicali dormiens. Igitur illi eum excitant: & Magister, inquiunt, nihilne hoc curas, quod perimus?

39 At ille expergefactus, ventum objurgavit, & lacui dixit: Tace, obmutesce. Itaque sedato vento, magna tranquillitas extitit.

40 Et ille: Adeone timidi estis, inquit eis, qui fit, ut fidem non habeatis?

41 Illi vero ingenti metu perculsi, dicere inter sese: Ecquis est hic, ut ei ventus & lacus obediant?

CAP. V.

Dæmoniacus à legione. Demersi sues. Jesus dimissus. Persanati officium grati. Filia redibiva. Profluvium sanatum.

VEnerunt autem trans lacum in agrum Gadarenorum:

Matth. 8, 28. Luc. 8, 26.

2 Eique simul ac ex navi egressus est, occurrit ex monimentis homo impurum habens spiritum,

3 In monimentis degere solitus, quem ne catenis quidem poterat vincire quisquam.

4 Quippe a quo sæpe compedibus catenisque vincto, discerptæ fuerant catenæ, & compedes comminutæ: nec eum quisquam domare potuerat.

5 Semper autem noctes diesque in montibus & sepulchretis agens, clamabat, & seipsum lapidibus contundebat.

6 Is viso procul Iesu, accurrit eique honorem præbuit:

7 Et

7 Et ingenti voce clamans, inquit: Quid tibi mecum rei est, Iesu supremi Dei fili? Obtestor te per Deum, ne me torqueas.

8 Ille enim ei dicebat: Exi, impure spiritus, ex homine:

9 Eumque interrogabat, quod esset ei nomen. Cui ille respondit: Legio mihi nomen est, quoniam multi sumus:

10 Eumque multum orabat, ne eos extra eam regionem mitteret.

11 Erat autem illic apud montes porcorum grex ingens, qui pascebat.

12 Igitur eum rogarunt dæmones omnes, ut se in porcos mitteret, ut in eos ingrederentur.

13 Id quod simulac eis permisit Iesus, egressi spiritus impuri, ingressi sunt in porcos: atque grex per præceps in lacum decurrit, (erant autem circiter duo millia) inque lacu suffocati sunt.

14 Subulci autem fugerunt, idque & in urbe & per rura nunciarunt: Itaque profecti homines ad videndum quid accidisset,

15 Veniunt ad Iesum, spectantque dæmoniacum illum sedentem, vestitumque & sanæ mentis qui legionem habuerat: timueruntque.

16 Qvumque eis narrassent, qui viderant, quid accidisset dæmoniaco, itemque de porcis,

17 Cœperunt eum orare, ut ex suis finibus discederet. Act. 16, 39.

18 Eum autem in navem ingressum rogabat qui fuerat dæmoniacus, ut esset ei comes.

Luc. 8, 38.

19 Verum Iesus non permisit ei, sed dixit: Abi domum tuam ad tuos: eisque nunciato quæ tibi Dominus, tui misertus, fecerit.

20 Ita ille discessit, cœpitque per Decapolim prædicare quæ sibi fecisset Iesus: id quod mirabantur omnes.

21 Iesu autem rursus in navi trajecto, convenit ad eum frequens hominum multitudo:

22 Qvumque esset apud lacum, venit quidam principum synagogæ, nomine Iairus, qui, eo viso, ei ad pedes accidit:

Matth. 9, 18. Luc. 8, 41.

23 Eumque multum oravit, dicens, filiolam suam in extremo esse periculo; veniret, eique manus imponeret, ut servaretur, ac revalesceret.

24 Ita ille cum eo abiit, tanta eum sequente hominum multitudine, ut eum premerent.

25 Quædam autem mulier, quæ sangvinis profluvio jam duodecim laborabat annos,

Luc. 15, 25. Matth. 9, 20. Luc. 8, 43.

26 Et multa a multis passa medicis, omni sua re consumpta, non solum nihil profecerat, sed in deterius venerat;

27 Qvum de Iesu audivisset, venit a tergo, inter turbam, ejusque vestimentum tetigit.

28 Cogitabat autem, si vel ejus vestes attingeret, se salvam fore.

29 Et protinus arsit ejus fons sangvinis, sensitque corpore se ab ea miseria sanatam.

30 Et Iesus statim apud sese vim

vim a se profectam cognoscens, conversus in turba, dixit: Quis mea vestimenta tetigit? Luc.6,19.

31 Cui ejus discipuli: Vides te a turba premi, & quæris, quis tetigerit?

32 Sed qvum ille circumspiceret, ut eam videret, quæ id fecerat,

33 Territa mulier, & tremebunda, sciens quid sibi accidisset, venit, & ei accidit: remque omnem, ut se habebat, dixit:

34 Et ille Filia, inquit ei, tua te fides servavit, abi salva, & esto a tuo malo sana.

Matth. 9, 22. Inf. 10, 52.

35 Adhuc eo loquente, veniunt a principe synagogæ, qui ei dicunt: Tua filia mortua est, quid jam molestus es magistro?

Luc. 8, 49.

36 At Iesus, simulac quid diceretur, audivit, dixit principi synagogæ: Ne metue, tantum crede.

37 Non sivit autem quenquam subsequi, præter Petrum, & Iacobum, & Ioannem Iacobi fratrem.

38 Deinde ubi venit in ædes principis synagogæ, videt tumultum & plorantes, multumque ejulantes:

39 Ingressusque dicit eis: Quid tumultuamini & ploratis? Puella non est mortua, sed dormit.

Ioh. 11, 11.

40 At illi eum deridere. Ipse, ejectis omnibus, assumpto puellæ patre atque matre & suis comitibus, ingreditur eo ubi jacebat puella:

41 Ejusque manu prehensa dicit ei: Talitha cumi, quæ verba sic sonant: Puella (inquam tibi) surge.

42 Statimque surrexit puella, & ambulare cœpit: (erat autem annorum duodecim) unde illi vehementer sunt attoniti.

43 Præcepit autem eis Iesus magnopere, ne quis id resciscere, eique cibum dari jussit.

CAP. VI.

In patria propheta. Apostolorum missio, virtutes, habitus, egestas, mandata, opera. De Jesu sententiæ. Joannis vincula, mors, humatio. Panes quinque, ac duo pisces, malacia alia.

ILlinc deinde profectus, venit in suam patriam, sequentibus eum ejus discipulis.

Matth. 13, 54. Luc. 4, 16.

2 Atque ubi advenit sabbathum, cœpit in synagoga docere, ita, ut multi audientes, attoniti dicerent: Unde ei hæc? & quæ est, quæ ei data est, sapientia, & quæ fiunt ejus manibus miracula?

3 An non est faber, Mariæ filius, Iacobi & Iosis, & Iudæ, & Simonis frater? & nonne sunt hic apud nos ejus sorores? Itaque in eo offendebantur.

Matth. 13, 55. Ioh. 6, 42.

4 Et Iesus dicebat eis, non esse vatem inhonoratum, nisi in sua patria, & apud consangvineos, domique suæ. Matth. 13, 57.

Luc. 4, 24. Ioh. 4, 44.

5 Itaque non potuit illic ullum facere miraculum, nisi quod paucos ægrotos, impositis manibus, sanavit, Matth. 13, 58.

6 Admiratus eorum incredulita-

litatem. Obibat autem vicos undique finitimos, docens:

Matth. 9, 35. Luc. 13, 22.

7 Vocatosque duodecim, cœpit binos dimittere, eisque in spiritus impuros potestatem dedit:

Matth. 10, 1. Luc. 6, 13. & 9, 1. Supr. 3, 13.

8 Præcepitque, ne quid ad iter circumferrent nisi baculum tantum, non peram, non panem, non æs in crumena;

Matth. 10, 9. Luc. 9, 3.

9 Sed sandaliis calcearentur, neque binas induerent tunicas.

Act. 12, 8.

10 Item eis dixit: Ubicunque domum ingressi fueritis, illic manetote, donec inde migretis.

11 Et quicunque vos non admiserint, nec audiverint, vos illinc proficiscentes, excutite puluerem, qui suberit vestris pedibus, quod sit eis testimonio. Hoc vobis confirmo, mitius actum iri cum Sodomis & Gomorris in die judicii, quam cum illa civitate. Matth. 10, 14. Luc. 9, 5. & 10, 10. 11. 12. Act. 13, 51. & 18, 6.

12 Igitur illi profecti, mores corrigere publice docebant,

13 Multaque dæmonia ejiciebant, & multos ægrotos oleo ungebant, ac sanabant. Iac. 5, 14.

14 Id qvum audivisset rex Herodes (nam celebre factumerat ejus nomen) dicebat, Ioannem qui baptizare solitus fuerat, ex mortuis surrexisse, ideoque eum tam esse factis potentem.

Matth. 14, 1. Luc. 9, 7.

15 Alii dicebant, Eliam esse alii vatem esse, aut ut aliquem vatum.

Matth. 16, 14.

16 Quo audito, Herodes dicebat, quem ipse decollasset Ioannem, eum esse: ex mortuis surrexisse.

17 Nam ipse Herodes Ioannem capiendum curaverat, & in custodia vinciendum, propter Herodiadem Philippi sui fratris uxorem, quam ipse duxerat in matrimonium. Luc. 3, 19.

Lev. 18, 16. & 20, 21.

18 Dicebat enim Ioannes Herodi non licere ei uxorem habere sui fratris.

19 Herodias autem imminebat Ioanni; eumque interficere volebat: sed non poterat,

20 Propterea quod Herodes Ioannem verebatur, sciens virum esse justum atque sanctum, eumque observabat, eique multis in rebus auscultabat, & eum libenter audiebat.

Matth. 14, 3. & 21, 26.

21 Accidit autem opportuna dies, qua Herodes optimatibus, tribunisque & primatibus Galilææ natalitia dabat. Gen. 40, 20.

22 Et ingressa ipsius Herodiadis filia, saltavit, Herodique & convivis ita placuit, ut dixerit rex puellæ: Posce me quicquid voles, & tibi dabo:

23 Eique sic juravit: Quicquid a me petieris, id tibi dabo, etiam si sit regni mei dimidium.

24 At illa egressa, consuluit suam matrem, ecquid peteret? Et mater jussit, ut Ioannis Baptistæ caput.

25 Itaque illa statim festinanter ad regem ingressa, petiit his verbis: Volo ut mihi des protinus in catino caput Ioannis Baptistæ.

26 Id

26 Id quod dolens rex, tamen propter jusjurandum, & convivas, noluit ei denegare:

27 Misitque confestim rex spiculatorem, & ei, ut illius caput afferret, imperavit. Ille eum in carcere decollatum ivit: Matth. 14, 10.

28 Et ejus caput in catino attulit, ac puellæ tradidit: quod puella porro suæ matri dedit.

29 Hoc audito, Ioannis discipuli venerunt sublatum ejus corpus, idque in monimento posuerunt.

30 Convenerunt autem ad Iesum apostoli, eique omnia, quæque fecerant quæque docuerant, renunciaverunt. Luc. 9, 10.

31 Et Iesus jussit eis, ut adessent ipsi seorsum in desertum locum, paululumque requiescerent. Erant enim qui veniebant, & qui abibant, tam multi, ut eis nec ibi quidem capiendi ocium suppeteret. Marc. 3, 20.

32 Itaque discessit in desertum locum in navi seorsum. Matth. 14, 13. Luc. 9, 10. Ioh. 6, 16.

33 Quos qvum vulgus abire videret, agnoverunt eum multi, & illuc pedestres ex omnibus urbibus concurrerunt, eosque aggressi ad eum convenerunt.

34 Itaque egressus Iesus, tantam conspicatus multitudinem, misertus est eorum, quod erant perinde ac pastorem non habentes oves, eosque multa docere aggressus est.

Ier. 23, 1. Ezech. 34, 2. Matth. 9, 36. & 14, 14. Luc. 9, 11.

35 Postquam autem jam sera venit hora, ejus discipuli eum hujusmodi verbis aggressi sunt: Desertus est hic locus, & jam sera hora: Matth. 14, 15. Luc. 9, 12. Ioh. 6, 5.

36 Dimitte eos, ut in finitimos pagos, vicosque profecti, panes sibi comparent: nam quod comedant, non habent.

37 Et Iesus eis respondens: Præbete vos eis cibum, inquit. Cui illi: Eamus emptum ducentis denariis panes, quibus eos pascamus.

38 Et ille: Quot panes habetis? inquit eis, ite visum. Quo cognito, qvum qvinque, & duos pisces dixissent, Matth. 14, 17. Luc. 9, 13. Ioh. 6, 9.

39 Iussit illos omnes discumbere catervatim in viridi gramine.

40 Ac postquam in classes distributi centeni, & quinquageni discubuerunt:

41 Ille sumptis quinque panibus & duobus piscibus, cœlum suspiciens laudes egit, fregitque panes, & suis discipulis tradidit, ut illis apponerent: duosque pisces distribuit omnibus, 1. Sam. 9, 13. Ioh. 17, 1.

42 Comederuntque cuncti ad satietatem.

43 Et sublata sunt fragmentorum duodecim canistra plena, nec non ex piscibus.

44 Et erant qui comederant, virorum circiter quinque millia.

45 Deinde confestim coegit discipulos suos navim conscendere, & ante trajicere ad Bethsaidam, dum ipse turbam illam dimitteret, Matth. 14, 22. Joh. 6, 17.

46 Post-

46 Postqvam illis valedixit, discessit in montem orandi gratia.

47 Sub vesperam qvum esset navis in medio lacu, & ipse solus in terra,

Matth. 14, 23. Ioh. 6, 6.

48 Vidit eos in remigando vexari, qvippe qvum ventus esset eis contrarius. Deinde circa qvartam noctis vigiliam venit ad eos, per lacum ingrediens, eosque volebat præterire.

49 At illi eum in lacu ambulantem conspicati & spectrum esse rati, exclamare:

50 Omnes enim eum viderunt, turbatiqve sunt. Tum ille continuo eos allocutus: Bono este animo, inqvit, ego sum, ne timete:

51 Ad eosqve ascendit in navem, & ventus posuit: id qvod illi supra modum attoniti, apud sese mirari.

52 Non enim considerabant illos panes, utpote qui torpentibus essent animis.

53 Posteaqvam trajecerunt, venerunt in agrum Genezarethanum: Matth. 14, 34.

54 Ac simulac appulsi, ex navi egressi sunt. Incolæ eo cognito,

55 Totam illam finitimam regionem percurrerunt, cœperuntqve in grabatis male affectos eo afferre, ubi eum esse audiebant.

56 Ac qvocunqve intrabat in vicos, in urbes, ac pagos, proponebant per fora ægrotantes, eumqve rogabant, ut vel ejus togæ limbum tangerent: ac qvicunqve eum tangebant, sanabantur.

CAP. VII.

Pro discipulis illotis. Pharisæorum increpatio. Nos fœdantia. Syrophœnissæ nata, fides, gratia.

Convenerunt autem ad eum Pharisæi, & qvidam Scribarum, qvi Hierosolymis venerant: Matth. 15, 1.

2 Qvi cum vidissent qvosdam ejus discipulorum profanis, hoc est, illotis manibus cibum capientes, reprehenderunt.

3 Nam Pharisæi, Iudæiqve omnes, non nisi sæpe lotis manibus epulantur, tenentes veterum institutum.

4 Item a foro non nisi loti epulantur, aliaqve multa sunt, qvæ tenenda acceperunt, poculorum lotiones, & urceorum, & æramentorum, & lectorum.

5 Deinde eum sic interrogant Pharisæi & Scribæ: Cur non agunt tui discipuli, ut veterum postulat institutio, sed illotis manibus cibum capiunt?

6 Qvibus ille sic respondit: Recte de vobis simulatoribus vaticinatus est Esaias, ut scriptum est: Hic populus me labiis honorat, qvum eorum animus absit a me procul. Es. 29, 13.

7 Verum frustra me venerantur, docentes doctrinas, qvæ sunt hominum præcepta.

Matth. 15, 9. Coloss. 2, 18. & seqq. Tit. 1, 14.

8 Nam relicto Dei præcepto, tenetis hominum institutum, urceorum poculorumqve lotiones: & alia his consimilia multa facitis.

9 Probe, inqvit eis: Dei præ-

ceptum antiquatis, ut vestram conservetis institutionem.

10 Moses enim dixit: Honora tuum patrem atque matrem: &, Qui patri, matrive maledixerit, morte plectatur.

Exod. 20, 12. Exod. 21, 17. Lev. 20, 9. Deut 5, 16. Deut. 27, 16. Prov. 20, 20. Matth. 15, 4. Eph. 6, 2.

11 At vos dicitis: Si quis patri matrive dixerit: Corban, hoc est, donarium quod a me proficiscetur, id tibi proderit.

12 Ita non finitis eum jam quicquam suo patri, matrive præstare,

13 Dei dictum ista, quam tradidistis, institutione rescindentes. Atque hujuscemodi multa facitis. Matth. 15, 6.

14 Tum advocata omni multitudine, dixit eis: Audite me omnes & intelligite.

Matth. 15, 10. &c.

15 Nihil est extra hominem, quod in eum intret, quod eum possit inquinare: sed quæ ex eo prodeunt, ea sunt quæ hominem polluunt. Act. 10, 15. Rom. 14, 17. 20. Tit. 1, 15.

16 Si quis aures habet ad audiendum, audiat. Matth. 11, 15.

17 Ubi autem a turba domum ingressus est, interrogarunt eum ejus discipuli de illa similitudine. Matth. 15, 15.

18 Quibus ille: Adeone vos quoque tardi estis? An nondum intelligitis, nihil quod extrinsecus in hominem intrat, posse eum coinquinare?

19 Utpote qvum non in ejus cor, sed in ventrem & in latrinam feratur, expurgans omnes cibos:

20 Sed quod ex homine exit, inquit, polluit hominem.

21 Interne enim ex hominum corde prodeunt pravæ cogitationes, adulteria, stupra, cædes,

Gen. 6, 5. & 8, 21. Prov. 6, 14. Ier. 17, 9. Matth. 15, 19.

22 Furta, avaritiæ, malitiæ, fraus, libido, malus oculus, maledicta, superbia, dementia:

23 Hæc omnia mala intrinsecus prodeunt, & hominem polluunt.

24 Illinc profectus, discessit in Tyri Sidonisque confinia, ingressusque domum, nolebat id scire quenquam: sed non potuit latere. Matth. 15, 21.

25 Nam qvum de eo audivisset quædam mulier, cujus filia spiritum habebat impurum, venit, & ei ad pedes accidit.

26 Erat autem mulier Græca, genere Syrophœnissa. Ea rogabat eum, ut dæmonium expelleret ex sua filia.

27 At Iesus dixit ei: Sine prius satiari natos. Non enim convenit sumere natorum panem, & catellis objicere.

Matth. 15, 26.

28 Et illa: Etsi ita est, Domine (inquit ei respondens) tamen catelli sub mensa comedunt de puerorum micis.

29 Tum ille: Propter istud dictum, inquit ei, abi: migravit dæmonium ex tua filia.

30 Itaque illa domum suam profecta, invenit egressum dæmonium, & jacentem in lecto filiam.

31 Rur-

31 Rursum profectus ex Tyriis, Sidoniisque finibus, venit ad Galilææ lacum, per medios fines Decapolis, Matth. 15, 29.

32 Eique adductus est surdus tardiloqvus, cui ut manum imponeret, rogatus est.

Matth. 9, 32. Luc. 11, 14.

33 Atque ille, eo seorsum extra turbam seducto, immisit suos digitos in ejus aures, spuitque, & ejus lingvam tetigit,

Infr. 8, 23. Ioh. 9, 6.

34 Et in cœlum intuens, ingemuit, eique dixit: Ephata, hoc est, aperitor.

Joh. 11, 41. & 17, 1.

35 Ac protinus illius & aures apertæ, & solutum linguæ vinculum est, ita, ut recte loqueretur.

36 Præcepit autem eis, ut id nemini dicerent. Sed quo magis eis præcipiebat, eo magis prædicabant,

37 Et majorem in modum obstupescebant, dicentes, eum omnia recte fecisse, & ut surdi audirent, & ut muti loquerentur, efficere.

CAP. IIX.

Septem panes. Ostentorum cupidi. Fermentum Pharisæorum. Cæcus. Petrus de Christo. JEsu mors prædicta. Petrus Satanas, piorum crux.

1 ER eos dies erat permagna hominum multitudo, nec habebant quod comessent, & Jesus advocatis suis discipulis, inquit: Matth. 15, 32.

2 Miseret me hujus multitudinis: siquidem jam tres dies me comitantur, nec habent quod comedant.

3 Quod si eos domum jejunos dimisero, defethiscentur in via: nam eorum nonnulli procul venerunt.

4 Et discipuli ejus sic ei responderunt: unde possit eos quisquam panibus hic in solitudine satiare?

5 At ille eos interrogavit: Quot habetis panes? Septem, inquiunt.

6 Tum ille jussit multitudinem humi discumbere: sumptosque panes, actis gratiis, fregit, suisque tradidit discipulis, ut apponerent: quos illi apposuerunt multitudini.

7 Cumque paucos haberent pisciculos, ille actis laudibus jussit eos quoque apponi.

8 Illi vero epulati sunt ad satietatem, suntque sublatæ reliquorum fragmentorum sportæ septem.

9 Erant autem qui comederunt circiter quatuor millia.

10 Quibus ille dimissis confestim conscensa navi cum suis discipulis, venit in tractus Dalmanuthanos.

Matth. 15, 39.

11 Eo profecti Pharisæi, cœperunt cum eo contendere, postulantes ab eo signum de cœlo, ejus tentandi gratia.

Matth. 12, 38. & 16, 1. Luc. 11, 29. Joh. 6, 30.

12 At ille animo ingemuit, & dixit: Quid signum quærit hæc natio? Pro certo habetote, nullum huic nationi signum datum iri. Matth. 16, 4.

13 Deinde relictis eis, rursum conscensa navi trajecit.

14 Obliti erant autem panes sumere, nec nisi unum panem secum habebant in navi.
Matth. 16, 5.

15 Itaque qvum ille eis præciperet, viderent, ut Pharisæorum Herodisque fermentum caverent,
Matth. 16, 6. Luc. 12, 1.

16 Illi inter sese cogitabant, ac dicebant, id eo pertinere, quod non haberent panes.

17 Quo cognito, Iesus eis inquit: Quid cogitatis? vos non habere panes? An nondum advertitis, nec intelligitis? adhuc torpentia habetis corda?
Supr. 6, 52.

18 Oculos habentes, non videtis? & aures habentes non auditis? neque meministis,

19 Qvum illos qvinque panes ad hominum quinque millia fregi, quot canistra plena fragmentorum sustuleritis? Duodecim, inquiunt ei.
Matth. 14, 19. Sup. 6, 41.
Luc. 9, 13. Joh. 6, 12.

20 Quid qvum septem ad quatuor millia? quot plenas fragmentorum sportas sustulistis? Septem, inquiunt.
Matth. 15, 34. Sup. v. 5.

21 Et ille: Qui fit, inquit eis, ut non animadvertatis?

22 Deinde ubi Bethsaidam venit, allatus est ei cæcus, quem ut tangeret, rogatus est.

23 Et ille, prehensa cæci manu, eum eduxit ex vico, & ejus oculos conspuit, eique manus imposuit, & eum interrogavit, ecquid videret. Sup. 7, 32. 33.

24 Et ille intuitus dixit: Video homines: nam arborum ritu video ambulantes.

25 Deinde rursus ille ejus oculis manus imposuit, effecitque ut videret, ita ut restitutus, omnes perspicue discerneret.

26 At ille eum domum dimisit vetans, ne vel in vicum ingrederetur, vel id cuiquam in vico diceret.

27 Profectus est autem Iesus, ejusque discipuli in vicos Cæsareæ Philippi, atque in via suos discipulos hujusmodi verbis interrogavit: Quem me dicunt homines esse?
Matth. 16, 13. Luc. 9, 18.

28 Cui illi responderunt: Ioannem Baptistam, alii Eliam, alii vatem aliquem.

29 Et ille: Vos vero, inquit eis, quem dicitis esse me? Cui Petrus ita respondit: tu es Christus.

30 At ille eis interdixit, ne cui se indicarent:

31 Eosque docere cœpit, oportere homine natum multa pati, & a Senatoribus & Pontificibus, & Scribis improbari, ac interfici, & tribus post diebus resurgere.
Matth. 16, 21. & 17, 22. & 20, 18.
Infr. 9, 31. & 10, 33. Luc. 9, 22. & 18, 31. & 24, 7.

32 Dum ita aperte verba facit, prehendit eum Petrus, & objurgare cœpit.

33 At ille conversus, discipulosque suos intuitus, Petrum his verbis objurgavit: Abi post me Satana: qvandoquidem non divina, sed humana sapis.
2. Sam. 19, 22.

34 Tum advocato vulgo cum suis discipulis, dixit eis: Qui me pone

pone vult sequi, renunciet sibimetipsi, suamque crucem tollat, & me sequatur.

Matth.10, 38. & 16, 24. Luc.9, 23. & 14,27.

35 Nam qui volet animam suam servare, perdet eam: qui vero animam suam mea & Evangelii causa perdiderit, eam servabit.

Matth.10,39.& 16,25.Luc.9,24. & 17,33. Joh. 12,25.

36 Quid vero proderit homini, si vel totum mundum lucratus fuerit, & animæ suæ jacturam faciat?

37 Aut quam dabit homo animæ suæ compensationem?

Ps. 49, 9.

38 Nam quem mei meorumque dictorum in hac adulterina, improbaque natione puduerit, ejus vicissim pudebit homine natum, cum in Patris sui gloria venerit una cum sanctis Angelis.

Matth. 10, 23. Luc. 9, 26. Rom. 1,6. 2. Tim. 2, 12. 1. Joh. 2, 23.

39 Tum eis dicit: Hoc certo scitote, esse quosdam eorum, qui hic adsunt, qui non ante mortem sensuri sint, quam Dei regnum videant venisse cum potentia.

Matth. 16, 28. Luc. 9, 27.

CAP. IX.

Christus transfiguratur, cœlitus celebratur. Precum ac jejunii contra Spiritus virtus. Prædicta mors, & exuscitatio. Piorum dominatus. Puerorum beatitas. Quis cum JEsu. Offensarum pœna. Salis, ac pacis momentum.

DEinde sexto post die assumit Iesus Petrum & Jacobum, & Ioannem, eisque in arduum montem solis seorsum ductis, transfiguratus est coram eis:

2 Ejusqve vestimenta facta sunt fulgentia, tam alba, qvam est nix, qvomodo nullus in orbe fullo dealbare posset.

Matth. 17, 1. Luc. 9, 28.

3 Eisque conspectus est Elias cum Mose, qui cum Iesu colloquebantur.

4 Tum Petrus sic Iesum allocutus est: Rabbi, bonum est nos hic esse: itaque faciamus tria tabernacula, tibi unum, Mosi unum, & Eliæ unum.

5 Nesciebat autem quid diceret, quippe qvum essent territi.

6 Extitit autem nubes, quæ eos inumbravit, venitque vox ex nube, dicens: Hic est meus charissimus filius, hunc audite.

Deut. 18, 19. Es. 42, 1. Matth. 3, 17. & 17,5. Supr.1,11. Luc.3. 22. & 9,35. 2. Pet. 1,17.

7 Et subito circumspicientes, nullam jam viderunt, nisi Iesum solum cum ipsis.

8 Descendentibus autem eis de monte, præcepit eis, ne cui, quæ viderant, narrarent, nisi postquam homine natus ex mortuis resurrexisset.

Matth. 17, 9. Luc. 9, 36.

9 Illi vero apud sese dictum retinuerunt, quærentes quid esset ex mortuis resurgere.

10 Itaque eum interrogarunt de eo quod dicerent Scribæ, Eliam oportere venire prius.

Mal. 4, 5.

11 Et ille respondens eis: Elias quidem prius venturus, & omnia instauraturus est, idque quemadmodum de homine nato scriptum est, multa passurum, & contemnendum esse.

Ps 22,7. Es. 53,3. &c. Dan. 9,26.

12 Sed scitote Eliam venisse, & illos ei quæ voluerint fecisse, quemadmodum de eo scriptum est. Matth. 11, 14. & 17,10. Luc. 1, 17.

13 Deinde ubi venit ad discipulos, vidit circa eos ingentem hominum multitudinem, & cum eis contendentes Scribas.

Matth. 17, 14. Luc. 9, 37. seq.

14 Ac vulgo simulac eum viderunt, admirati, eum salutatum accurrunt.

15 Ipse Scribas interrogavit, qvid cum illis contenderent.

16 Cui unus ex turba respondit in hunc modum: Magister, adduxi tibi meum filium, qui mutum habet spiritum:

Matth. 17, 14. Luc. 9, 38.

17 Qui ubi eum corripuit, ita lacerat, ut spumet, & dentibus strideat, ac tabescat. Eum ut ejicerent petii a tuis discipulis, sed nequiverunt.

18 Tum ille eis respondens: O diffidens natio, inquit, quousqve tandem apud vos ero? quousqve tandem vos feram? Adducite eum ad me.

19 Atque ille ad eum adducitur; & simulac ille eum vidit, convulsit eum spiritus, ita ut collapsus humi, volutaretur spumans. Supr. 1, 26.

20 Ille ex ejus patre scisitatus est, quandiu esset cum id ei accidisset? Et pater respondit: Iam a pueris:

21 Ac sæpe eum & in ignem jecit, & in aquam, ut eum perderet. Sed si qvid potes, succurre nobis, nostri misertus.

22 Et Jesus: Si qvidem potes (inqvit ei) credere, omnia fieri possunt credenti. Luc. 17, 6.

23 Hic protinus exclamans pueri pater, cum lachrymis: Credo, inqvit, Domine, succurre infidelitati meæ.

24 Videns autem Iesus vulgus accurrere, increpuit impurum spiritum, dicens ei: Spiritus mute & surde, ego tibi impero, ut ex eo emigres, nec amplius in eum intres.

25 Tum ille exclamando, eumqve vehementer laniando exiit. Atqve is perinde fuit ac mortuus, ita ut multi mortuum esse dicerent.

26 At Jesus eum manu prehensum allevavit, atque ille surrexit.

27 Eum autem domum ingressum discipuli seorsum interrogarunt, cur ipsi eum expellere nequivissent.

28 Qvibus ille: Hoc genus, inqvit, nulla re ejici potest, nisi precibus & jejuniis.

29 Illinc profecti iter faciebant per Galilæam, nec ille volebat ut id sciret qvisqvam.

Matth. 16, 21. & 17, 22. Luc. 9, 22. 44. & 18, 31. & 24, 7.

30 Docebat enim discipulos suos, eisque dicebat, homine natum tradendum esse in hominum manus, qui eum interficerent, isque interfectus tertio die resurgeret.

31 At

31 At illi eam rem ignorabant, & eum interrogare verebantur.

32 Venit autem Capernaum: atqve ubi domum venit, quæsivit ex eis, quid in via inter se disceptassent?

Matth. 18, 1. Luc. 9, 46. & 22, 24.

33 Qvumque illi silerent: (nam inter se disputaverant in via, qvis esset maximus.)

34 Ille consedit, & vocatis duodecim, dixit: Si qvis primus esse vult, erit omnium ultimus, omniumqve famulus.

Matth. 20, 26. Infr. 10, 43.

35 Tum puerum sumpsit, & in eorum medio statuit, eumqve complexus ulnis, inquit eis:

Infr. 10, 16.

36 Qui aliquem talium puerorum accipit meo nomine, me accipit, & qui me accipit, me non accipit, sed eum qui me misit.

Matth. 10, 40. & 18, 5. Luc. 9, 48. Joh. 13, 20.

37 Tum Ioannes sic eum est allocutus: Magister, vidimus quendam in tuo nomine ejicientem dæmonia, qui non sequitur nos: itaque eum prohibuimus, quoniam non seqvitur nos.

38 At Iesus: Ne prohibete eum, inquit. Nemo enim est, qvi meo nomine miraculum faciat, qui cito possit mihi male dicere.

39 Nam qui contra nos non est, a nobis est. Matth. 12, 30.

40 Etenim qvi vobis vel aqvæ poculum meo nomine bibendum dederit, quod Christi sitis, certo scitote, fore ut sua mercede non frustretur. Matth. 10, 42.

41 Et qui vel minimum eorum, qui mihi fidem habent, læserit, satius esset ei, ejus collo molarem lapidem circumponi, eumque in mare dejici.

Matth. 18, 6. Luc. 17, 1.

42 Qvod si tibi tua manus officit, abscinde eam. Satius est enim tibi mancum in vitam ingredi, qvam duas habentem manus abire in gehennam, ignem inextinctum,

Deut. 13, 6. Matth. 5, 29. & 18, 8.

43 Ubi nec eorum vermis interit, nec ignis extingvitur. Es. 6, 24.

44 Et si tibi pes tuus officit, abscinde eum: satius est te in vitam claudum ingredi, quam duos habentem pedes in gehennam conjici, in ignem inextinctum,

45 Ubi nec eorum vermis interit, nec ignis extingvitur.

46 Et si tibi tuus oculus officit, erue eum: Satius est tibi unoculum in Dei regnum ingredi, qvam duos habentem oculos in ignis gehennam conjici,

47 Ubi nec eorum vermis interit, nec ignis extingvitur.

48 Nam & omnes igne saliendi, & omne sacrificium sale saliendum est. Lev. 2, 13.

49 Bonum est sal: sed si sal insulsum fiat, quo condietur ipsum? Habete in vobis salem, & pacem inter vos gerite.

Matth. 5, 13. Luc. 14, 34. Rom. 12, 18. Hebr. 12, 14.

CAP. X.

Mosis repudium. Christi conjugium, repudium. Puerorum salus ac faustitas. Bonus quis. Fortunarum discrimē. Dei omnipotentia. Piorum remuneratio. Instans lethum Christi. A quo piis dignitas. Christo ad qbid. Cæco Bartimæus.

ILlinc profectus venit in fines Iudææ per transjordaninum agrum: eumqve rursum convenit vulgus hominum, quos ille rursum, ut solitus erat, docet.

Matth. 19, 1.

2 Aggressi autem eum Pharisæi interrogarunt, liceretne viro uxorem repudiare: tentantes eum.

3 Quibus ille sic respondit: Qvid vobis præcepit Moses?

4 Et illi: Moses permisit scripto divortii instrumento repudiare. Deut. 24, 1. Ier 3, 1.

Matth. 5, 31.

5 At Jesus respondens: Propter vestram, inquit eis, pervicaciam scripsit ille vobis illud præceptum:

6 Sed a creationis primordio marem & fœminam fecit eos Deus.

Gen. 1, 4. & 5, 2. Matth. 19, 4.

7 Hujus causa homo relicto suo patre atqve matre, hærebit uxori suæ,

Gen. 1, 24. 1. Cor. 6, 16. Eph. 5, 31.

8 Fietque ex duobus unum corpus: itaqve non jam sunt duo, sed unum corpus.

9 Quod ergo Deus conjunxit, homo ne disjungat.

1. Cor. 7, 10.

10 Itemque domi rursus eum eadem de re interrogarunt ejus discipuli.

11 Quibus ille: Qvisqvis uxorem suam repudiat, aliamqve ducit, adulterat in eam.

Matth. 5, 32. & 19, 9. Luc. 16, 18. 1. Cor. 7, 10.

12 Et si uxor, repudiato viro suo, nupserit alteri, adulterat.

13 Adducebantur autem ei pueri, ut eos tangeret: discipuli vero eos, a quibus adducebantur objurgabant.

Matth. 9, 13. Luc. 18, 15.

14 Qvo viso, indignatus Iesus, dixit eis: Sinite pueros ad me venire, neve eos prohibete: talium enim est Dei regnum.

Matth. 18, 3. & 19, 14. 1. Cor. 14, 20. 2. Pet. 2, 2.

15 Hoc pro certo habetote, qvi Dei regnum non acceperit ut puer, non esse in id ingressurum.

16 Deinde eos complexus ulnis, & manibus eis impositis, eis bene precatus est.

17 Eo autem iter faciente, accurrit qvidam, qvi eum flexis ad eum genibus, sic interrogavit: Magister bone, qvid faciam, ut vitam adipiscar æternam?

Matth. 19, 16. Luc. 18, 18.

18 Cui Jesus: Qvid me dicis bonum? inqvit: nullus est bonus, nisi unus Deus.

19 Præcepta nosti? Ne adulterato, Ne occidito, Ne furator, Ne falsum testimonium dicito, Ne fraudato. Honora tuum patrem atqve matrem.

Exod. 20, 13. & 21, 12. Deut. 5, 17. Rom. 13, 9.

20 Et ille respondens: Magister, inqvit, hæc omnia a pueris servavi.

21 Hic Iesus eum intuitus, amavit, eique dixit: Unum tibi deest. Ivenditum qvicqvid habes, & in pauperes erogato, habiturus in cœlo thesaurum: deinde me, crucem ferens, secutum venito. Matth. 6, 19. Luc. 12, 33. & 16, 9.

22 At

22 At ille eo dicto mœstus abiit dolens, quippe qui multis præditus esset opibus.

23 Et Iesus circum intuitus, dicit suis discipulis: O quam difficulter qui pecunias habent, in Dei regnum ingredientur.

Iob. 31, 24. Psal. 62, 11. Prov. 11, 18. Matth. 19, 23. Luc. 18, 24. 1. Tim. 6, 17.

24 Hic cum discipuli ejus dicta demirarentur, Iesus rursum sic eos alloquitur: Nati, quam difficile est fretos pecuniis in Dei regnum ingredi.

25 Facilius est rudentem per foramen acus trajici, quam divitem in Dei regnum intrare.

26 Cumque illi vehementius stuperent, sic secum ipsi cogitantes: Quis ergo servari potest?

27 Intuitus eos Iesus, dixit: Ab hominibus fieri non potest, at a Deo potest. Omnia enim a Deo fieri possunt. Iob 42, 2. Ier. 32, 17. Zach. 8, 6. Luc. 1, 37.

28 Tum Petrus sic dicit ei: Nos quidem, relictis omnibus, te secuti sumus.

Matth. 4, 20. & 19, 27. Luc. 5, 11. & 18, 28.

29 Et Iesus: Hoc vobis confirmo, inquit respondens, nullum esse qui domum, aut fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut liberos, aut agros, mea & Evangelii causa reliquerit,

30 Quin sit & nunc hoc tempore centuplum domos, & fratres, & sorores, & matres, & liberos, & agros, inter adversa, & in futuro ævo sempiternam vitam consecuturus.

31 Sed multi & primi erunt ultimi, & ultimi primi.

Matth. 19, 30. & 20, 16. Luc. 13, 30.

32 Qvum autem Hierosolyma ascenderent, & eos antecederet Iesus, pavebant, & interfequendum formidabant. Et Iesus assumptis rursum duodecim, cœpit eis eventura sibi prædicere. Matth. 16, 21. & 17, 22. & 20, 17. Supr. 8, 31. & 9, 31. Luc. 9, 22. & 18, 31. & 24, 7.

33 Nos quidem ascendimus Hierosolymam, inquit, & homine natus tradetur Pontificibus, atque Scribis, qui eum morte damnabunt, exterisque tradent, Ioh. 18, 32.

34 Illudendum, verberandum, conspuendum & interficiendum, & tertia die resurrecturum.

35 Convenerunt autem eum Iacobus & Ioannes Zebedæi filii, in hæc verba: Magister, velimus, ut quod a te postulabimus, id nobis præstes.

Matth. 20, 20.

36 Quibus ille, Quid vultis ut vobis præstem?

37 Et illi: Da nobis (inquiunt ei) ut tibi alter ad dexteram, alter ad sinistram assideamus in tua gloria.

38 At Iesus dixit eis: Nescitis quid postuletis. Potestis poculum potare, quod ego potaturus sum? & eodem mecum baptismo baptizari? Luc. 12, 50.

39 Possumus, inquiunt. Et Iesus: Poculum quidem, quod ego potaturus sum, potabitis, eodem

demque mecum baptismo baptizabimini;

40 Sed ut mihi dextra lævaque assideatur, non est meum dare, nisi quibus id paratum est.
Matth. 25, 34.

41 Hoc audito, decem cœperunt de Iacobo & Ioanne indignari.

42 At Iesus advocatis eis, dixit: Scitis eos, quos videmus imperare extraneis, in eos dominari: & eorum maximos quosque in eos maxime potestatem obtinere.
Matth. 20, 25. Luc. 22, 25.

43 At in vobis non sic fiet: sed qui vestrum volet fieri inter vos maximus, erit vester famulus:

44 Et qui volet fieri vestrum primus, erit omnium servus.
Supr. 9, 35. 1. Pet. 5, 3.

45 Nam homine natus non venit ut ipsi ministretur, sed ut ministret ipse animamque suam in multorum redemptionem impendat. Ioh. 13, 14. Phil. 2, 7.
Eph. 1, 7. Col. 1, 14.
1. Tim. 2, 6. Tit. 2, 14.

46 Venerunt autem Hierichuntem: eoque & ejus discipulis ab Hierichunte cum frequenti multitudine discedentibus, Timæi filius Bartimæus, cæcus, qui apud viam sedens, mendicabat, Matth. 20, 29. Luc. 18. 35.

47 Ut audivit Iesum esse Nazarenum, cœpit ita clamare: Davidide Iesu, miserere mei.

48 Ac multis eum, ut taceret, objurgantibus, multo magis clamabat: Davidide, miserere mei.

49 Tum Iesus restitit, eumque jussit accersi. Cumque illi eum accerserent, & bono es animo, dicerent, surge, accersit te,

50 Ille abjecta veste sua, surrexit, & ad Iesum venit.

51 Et Iesus sic eum alloquitur: Quid tibi vis faciam? Magister, inquit ei cæcus, ut dispiciam.

52 Et Iesus dixit ei: Abi, tua te fides servavit. Atque ille protinus vidit, & Iesum in via secutus est. Matth. 9, 22. Supr. 5, 34.

CAP. XI.

Christus ovans in urbem. In ficum dira. Purgatum templum. Conjuratio in Jesum. Fidei virtus ac precationis. In insidos clementia. Sacerdotum confutatio.

QVum autem Hierosolymæ propinquarent, ad Bethphage, & Bethaniam ad montem Olivarum, mittit suorum discipulorum duos: Matth. 21, 1.
Luc. 19, 29. Ioh. 12. 12. seq.

2 Ite, inquit, in vicum qui est e regione vestri, & protinus in eum intrantes, invenietis vinctum asellum, quem nullus hominum insedit: eum solvitote, & mihi adducitote.

3 Quod si quis ex vobis quæsierit, cur id faciatis, dicitote: Dominum eo egere, & statim eum huc dimittet.

4 Ita illi profecti, & asellum foris ad portam vinctum in bivio nacti, solvunt.

5 Et eorum quidam, qui illic aderant, ex eis quæsiverunt, quid facerent, qui asellum solverent?

6 Quibus dixerunt, quemadmo-

modum mandaverat Iesus: atque ita, permittentibus illis,

7 Adduxerunt asellum ad Iesum, eique sua vestimenta superinjecerunt, atque ille superinsedit. Ioh. 12, 1. 2. Reg. 9, 13.

8 Frequentes autem suis vestimentis viam insternebant: alii abscissas ex arboribus frondes per viam sternere:

9 Quique antecedebant, quique subsequebantur, sic clamare: Hosanna, bene sit venienti in nomine Domini: Ps. 118, 25. 26. Matth. 21, 9. & 23, 39.

10 Felix veniens regnum in nomine Domini patris nostri Davidis: Hosanna in supremis.

11 Ingressus est autem Hierosolyma Dominus, & in templum, omnibusque circumspectis, qvum jam sera esset hora, profectus est Bethaniam cum duodecim. Matth. 21, 10. 12. Luc. 19, 45. Ioh. 2, 14.

12 Postridie eis Bethania egressis, esuriit, Matth. 21, 18.

13 Ficumque procul foliosam conspicatus accessit, si quid in ea forte inveniret. Sed ut ad eam venit, nihil invenit nisi folia: nec enim tempus erat ficuum.

14 Itaque sic eam allocutus est Iesus: Nunquam deinceps quisquam ex te fructum comedat. Audiebant autem ejus discipuli.

15 Deinde veniunt Hierosolymam, & ingressus in fanum Iesus, cœpit ejicere vendentes, & ementes in fano, & nummulariorum mensas, & sellas vendentium columbas evertit:

16 Neque sinebat quenquam per fanum ferre vasa:

17 Atque his verbis eos alloquens, docebat: Nonne scriptum est, Domus mea domus supplicationis vocabitur cunctis gentibus? Et vos ex ea latronum speluncam fecistis. Deut. 12, 11. 1. Reg. 8, 29. 43. Es. 56, 7. Ier. 7, 11.

18 Hoc audito, Scribæ & Pontifices eum perdere studebant. Metuebant enim eum: quippe cujus doctrinam stuperet omne vulgus. Ioh. 7, 19.

19 Sub vesperam autem egressus est ex urbe.

20 Mane prætereuntes, vident siccatam a radicibus ficum. Matth. 21, 20.

21 Id quod recordatus Petrus, dicit ei: Rabbi: ecce ficus, quam tu execratus es, aruit.

22 Et Iesus respondens, inquit eis: Habete fidem Deo.

23 Hoc vobis confirmo, si quis jusserit huic monti, ut amoveatur, & in mare jaciatur, nec animo dubitaverit, sed ea quæ dicet crediderit eventura, continget ei quicquid dixerit. Matth. 17, 20. & 21, 21. Luc. 17, 6.

24 Itaque sic vobis dico: quicquid orantes postulatis, credite vos assecuturos, & vobis continget. Matth. 7, 7. & 21, 22. Luc. 11, 9. Ioh. 14, 13. & 15, 7, & 16, 24. Iac. 1, 5. 6. 1. Ioh. 3, 22. & 5, 14.

25 Oraturi autem ignoscite, si quid habetis quod de quopiam expostuletis: ut vester quoque Pater, qui in cœlis est, vestra delicta vobis ignoscat. Matth. 6, 14. Eph. 4, 32. Col. 3, 13. Eccl. 28, 2.

26 Quod

26 Quod nisi ignoscetis, ne Pater quidem vester, qui in cœlis est, vobis delicta vestra ignoscet.

27 Deinde rursum veniunt Hierosolymam, eumque in fano ambulantem Pontifices Scribæque & Senatores conveniunt his verbis:

Matth. 21, 23. Luc. 20, 1.

28 Qua potestate ista facis? & quis istam tibi ista faciendi potestatem dedit? Exod. 21, 4.

Act. 4, 7. & 7, 27.

29 Quibus respondens Iesus: Interrogabo ego quoque vos quiddam, inquit: quod si mihi responderitis, dicam vobis, qua potestate hæc faciam.

30 Ioannis baptismus a cœlo ne erat, an ab hominibus? respondete mihi.

31 At illi sic secum cogitare: Si a cœlo dixerimus, dicet: Cur ergo ei non credidistis?

32 Sin ab hominibus dixissent, metuebant populum: omnes enim Ioannem vere vatem esse ducebant.

Matth. 14, 5. Supr. 6, 20.

33 Itaque Iesu responderunt, nescire se. Et Iesus sic eis respondit: Nec ego vobis dico, qua hæc potestate faciam.

CAP. XII.

Vinea bene instructa, servi, hæres. Cultorum punitio, & vineæ locatio. Lapis offendiculi. DEO Cæsarique danda. Sadducæorum confutatio. DEUS quorum sit. Præcepta duo. Quæstio Christi de David. Scribarum ambitio, avaritia, viduæ munusculum.

TUm per similitudines eos alloqui orsus est: Vineam consevit quidam, & sepe circumdedit, & torcular defixit, turrimque construxit, & eam locavit agricolis, deinde peregre profectus est. Ps. 80, 5.

Es. 5, 1. Ier. 2, 21. & 12, 10.

Matth. 21, 33. Luc. 20, 9.

2 Post suo tempore misit ad agricolas servum, ut ab eis de vineæ fructu perciperet.

3 At illi eum ceperunt, verberaruntque & inanem dimiserunt.

4 Cumque rursus ad eos misisset alium servum, illi ei quoque caput lapidibus contuderunt, eumque contumeliose dimiserunt.

5 Rursus alium misit, quem etiam interfecerunt, aliosque multos partim verberarunt, partim necarunt.

6 Igitur qvum adhuc unum haberet filium sibi charissimum, misit eum quoque ad illos ultimum, cogitans fore, ut suum filium revererentur.

7 At illi agricolæ sic inter sese dicere: Hic est hæres, agite, interficiamus eum, & nostra erit hæreditas.

Gen. 37, 18. Psal. 2, 8.

Matth. 26, 3. Ioh. 11, 53.

8 Itaque ceperunt eum, necaruntque & ex vinea ejecerunt.

9 Quid ergo faciet vineæ dominus? Veniet agricolasque perdet, & aliis vineam dabit.

10 Anne illud quidem scriptum legistis? Quem lapidem improbaverant structores, is adhi-

adhibitus est ad caput anguli.
Ps. 118, 22. Es. 28, 16.
Matth. 21, 42. Luc. 20, 17.
Act. 4, 11. Rom. 9, 33.
1. Pet. 2, 7. 8.

11 Id quod a Domino profectum est, & nobis mirum videtur.

12 At illi eum capere conari, quippe qui eum similitudinem illam contra ipsos dixisse intelligerent: sed metuerunt plebem. Igitur eo relicto digressi,

13 Mittunt ad eum Pharisæorum & Herodianorum quosdam, qui eum verbis irretirent.
Matth. 22, 15. Luc. 20, 20.

14 Hi eum hujusmodi oratione aggressi sunt: Magister, scimus veracem esse tē, neque quenquam curare, quippe qui ad hominum personam non spectes, sed vere divinam vitæ viam doceas. Licetne censum Cæsari pendere, an non? pendamus an non pendamus?

15 At ille eorum simulationem intelligens: Quid me tentatis? inquit eis: afferte mihi denarium, ut videam.

16 Qvumque illi attulissent: Cujus est, inquit eis, imago hæc, & inscriptio? Cæsaris, inquiunt.

17 Et Iesus respondens eis: Solvite igitur, inquit, Cæsariana Cæsari, & divina Deo. Illi vero eum admirari. Matth. 17, 25. & 22, 21. Rom. 13, 7.

18 Tum eum convenerunt Sadducæi, qui quidem resurrectionem esse negant, & sic interrogarunt: Matth. 22, 23. Luc. 20, 27. Act. 23, 8.

19 Magister, scripsit nobis Moses, si cujus frater moriatur, uxore superstite, nec liberos relinquat, ut ducat ejus frater ejus uxorem, fratrique suo prolem suscitet. Deut. 25, 5.

20 Septem fratres fuerunt, quorum primus ducta uxore mortuus est, nulla prole superstite.

21 Itemque secundus eadem ducta, mortuus est, nec ipse prolem reliquit, similiterque tertius:

22 Denique septem illi eam duxerunt, neque progeniem reliquerunt. Postrema omnium mortua est etiam fœmina.

23 Igitur in resurrectione, qvum resurrectum fuerit, cujus eorum erit uxor? qvum septem eam habuerint in matrimonio?

24 Iesus respondens: Nimirum ideo erratis, inquit eis, quod scripta non intelligitis, neque Dei potentiam.

25 Qvum enim a morte resurrectum fuerit, nulla conjungētur connubia, sed erunt angelorum similes, qui sunt in cœlis.
Matth. 22, 30. Luc. 20, 36.

26 De mortuis autem, quod resurgant, non legistis in Mosis libro in rubo, ut eum sic allocutus sit Deus? Ego Deus Abrahami, & Isaaci, & Iacobi.
Exod. 3, 6. Matth 22, 31. 32.
Hebr. 11, 16.

27 Non est mortuorum Deus, sed viventium Deus: itaque vos multum erratis.

28 Tum Scribarum quidam, auditis eis disceptantibus, videns eum illis recte respondisse, acces-

accessit, & ex eo quæsivit, quodnam esset omnium præceptorum primum? Matth.22,34. Luc.10,25.

29 Cui Iesus sic respondit: primum omnium præceptorum est: Audi Israelita, Dominus Deus vester, Dominus unus est. Deut. 6, 4. & 10,12. Lev. 19, 18. Luc. 10, 27.

30 Itaque Dominum Deum tuum toto corde, toto animo, tota mente, totisque viribus amato. Hoc primum est præceptum.

31 Huic simile est alterum: Alterum ut teipsum amato. His majus aliud præceptum nullum est. Matth. 22, 39. Rom. 13, 9. Gal. 5, 14. Iac. 2, 8.

32 Et Scriba: Recte magister, profecto, dixisti. Nam unus est Deus, præterea nullus:

33 Quem toto corde, omni studio, toto animo, summaque ope amare, nec non alios ut seipsum amare, plus est quam omnes victimæ & sacrificia.

34 Hic Iesus eum cordate respondisse videns, dixit ei: Non procul abes a regno Dei. Ac deinceps eum interrogare audebat nemo.

35 Et Iesus in fano docens, sic verba fecit: Qui fit, ut dicant Scribæ, fore ut Christus genus ducat a Davide? Matth. 22, 41. Luc. 20,41.

36 Qvum ipse David Sancti Spiritus instinctu dixerit: Ait Dominus Domino meo: Sede ad meam dexteram, donec efficiam ex hostibus tuis tuorum pedum subsellium? Ps.109,(110.)2. Act.2,34. 2.Cor.15, 25. Heb.1,13. & 10, 13.

37 Qvum igitur eum dicat ipse David Dominum, unde fit, ut sit ejus prognatus? Qvumque frequens hominum multitudo eum libenter audiret,

38 Sic eis inter docendum dicebat: Cavete a Scribis, qui stolati incedere amant, & in foris salutationes, Matth. 23, 3. seqq. Luc. 11,43. & 20,46.

39 Et in synagogis primas sessiones, & in cœnis prima accubandi loca:

40 Qui viduarum domos devorant, & per ostentationem prolixe orant. Hi graviores pœnas dabunt. Matth. 23, 14. Luc. 20, 47. 2. Tim. 3, 6. Tit. 1, 11.

41 Sedens autem Iesus e regione fisci, spectabat ut multitudo conferret æs in fiscum. Ac multis divitibus multa conferentibus, Luc. 21, 1. 2. Reg. 12, 9.

42 Venit quædam vidua pauper, quæ duos teruncios contulit. Est autem teruncius idem quod quadrans.

43 Tum ille advocatis suis discipulis: Certo scitote, inquit eis, hanc pauperem viduam plurimum omnium contulisse, qui contulerunt in fiscum. 2. Cor 8, 12.

44 Omnes enim ex eo quod ipsis supererat contulerunt: at hæc ex sua penuria, quicquid habebat, totum victum suum contulit.

CAP. XIII.

Templi ruina. Pseudochristi. Orbis calamitates. Piorum ærumnæ, consolatio. Familiæ dissidia, beati. Cœli prodigia, coacti pii. Christi veritas perpetua. Iudicii hora cui nota. Vigilantia.

Exe-

EXeunti autem ex fano, quidam ejus discipulorum sic dixit: Magister, vide quanti lapides & structuræ.

Matth. 24, 1. Luc. 21, 5.

2 Cui respondens Iesus: Vides, inquit, has ingentes structuras? Ita dissolventur, ut nullus lapidi lapis impositus relinquatur. 1. Reg. 9, 7. 8. Mich. 3, 12. Luc. 19, 44.

3 Deinde sedentem eum in monte olivarum, e regione fani, interrogarunt seorsum Petrus, & Iacobus, & Ioannes, & Andreas, his verbis:

4 Dic nobis, quando hæc futura sint, & quod signum significabit hæc perficienda omnia.

Act. 1, 6.

5 Et Iesus respondens, sic infit: Videte ne quis vos fallat.

Ier. 29, 8. Matth. 24, 4. Luc. 21, 8. Ephes. 5, 6. 2. Thess. 2, 3. 1. Ioh. 4, 1.

6 Venient enim multi in meo nomine, dicentes se eum esse, multosque fallent.

Ier. 14, 14. & 23, 21.

7 Qvum autem bella, bellique rumores audietis, nolite turbari: oportet enim ea fieri, sed nondum erit finis.

8 Consurget enim gens in gentem, & regnum in regnum, eruntque terræmotus certis locis, & fames, & turbæ. Ea erunt dolorum principia. Es. 19, 2.

9 Sed prospicitote vos vobis ipsis: sistemini enim in consessus & synagogas: vapulabitis, & ad magistratus regesque ducemini mea causa, quod sit eis testimonio: Matth. 10, 17. 18. & 24, 9. Luc. 21, 12. Ioan. 15, 19. & 16, 2. Apoc. 2, 10.

10 Ac per omnes gentes oportet prius Evangelium publicari.

Matth. 24, 14.

11 Qvum autem ducemini, ac sistemini, nolite prius cogitare, aut præmeditari dicenda, sed quod vobis eadem hora suggeretur, dicitote. Non enim vos eritis qui loquemini, sed Spiritus Sanctus. Matth. 10, 19. Luc. 12, 11. & 21, 14.

12 Tradet autem frater fratrem ad mortem, & pater filium, consurgentque in parentes nati, & eos necabunt,

Ezech. 38, 21. Mich. 7, 5. 6.

13 Eritisque omnibus invisi propter nomen meum: sed qui ad finem pertulerit, is servabitur. Apoc. 2, 7. 10. & 3, 10.

14 Qvum autem calamitosum nefas à Daniele vate prædictum, stare videbitis ubi non debet, qui legit animadvertat: tum qui erunt in Iudæa, fugiant in montes: Dan. 9, 27. & 12, 11. Matth. 24, 15. Luc. 21, 20.

15 Et qui erit in tecto, ne descendat in ædes, nec ingrediatur ad auferendum aliquid ex suis ædibus.

16 Et qui ruri erit, ne gradum referat, suæ vestis auferendæ gratia.

17 Hei uterum ferentibus & lactantibus illo tempore.

18 Optate vero, ne accidat hyeme vestra fuga.

19 Erit enim temporis illius calamitas, quanta nec a rerum, quas Deus creavit, creatione fuit adhuc, nec futura est.

20 Quod

20 Quod nisi Dominus tempus illud decurtaret, nullus mortalium evaderet; sed propter electos, quos delegit, decurtabit id tempus.

21 Tum si quis vobis dixerit, hic aut illic adesse Christum, ne creditote, Matth. 24, 23. Luc. 17, 23. & 21, 8.

22 Existent enim falsi Christi, falsique vates, qui prodigiosa & portentosa designabunt, ad decipiendos, si fieri posset, etiam electos. Deut. 13, 1. 2. Thess. 2, 11.

23 Vos vero prospicite: en prædixi vobis omnia. 2. Pet. 3, 17.

24 Sed illo tempore post calamitatem illam Sol obscurabitur, nec Luna suum splendorem emittet, Esa. 13, 10. Ezech. 32, 7. Ioel. 2, 10. 31. & 3, 15. Matth. 24, 19. Luc. 21, 25. Apoc. 6, 12.

25 Et cœli stellæ decident, cœlestesque potestates commovebuntur.

26 Deinde cernetur homine natus veniens in nubibus cum magna potentia atque gloria. Dan. 7, 10. Matth. 16, 27. & 24, 30. Inf. 14, 62. Act. 1, 11. 1. Thess. 4, 16. 2. Thess. 1, 10. Apoc. 1, 7.

27 Ac tum suis dimissis nunciis, congregabit electos suos a quatuor ventis, ab ultimis terris ad extremum cœli.

28 A ficu autem discite exempium. Qvum jam ejus rami teneri sunt, eaque folia procreat, intelligitis instare æstatem. Matth. 24, 32.

29 Sic & vos qvum hæc fieri videbitis, scitote prope adesse pro foribus.

30 Hoc vobis confirmo, non ante præteriturum esse hoc seculum, quam fiant hæc omnia. Matth. 24, 34. Luc. 21, 32.

31 Cœlum licet & terra intereant, mea dicta non interibunt. Ps. 102, 27. Esa. 40, 8. & 51, 6. Heb. 1, 11.

32 Cæterum diem illam, & horam nullus scit, ne Angeli quidem cœlestes, neque filius, sed tantum Pater. Matth. 24, 36. Act. 1, 7.

33 Videte ut vigiletis & oretis: nescitis enim, quando tempus futurum sit: Matth. 24, 42. & 25, 13. Luc. 12, 40. & 21, 36. 1. Thess. 5, 6.

34 Quemadmodum peregrinans homo, qui domum suam reliquit, suisque servis potestatem, & suum cuique munus assignavit, & janitori, ut vigilaret, mandavit.

35 Vigilate igitur: nescitis enim quando domus Dominus venturus sit, sero, an media nocte, an gallicinio, an mane.

36 Ne si de improviso venerit, offendat vos dormientes.

37 Quæ autem vobis dico, omnibus dico, vigilate.

CAP. XIV.

In Christum insidiæ. Ungventum apud Simonem: defensa mulier. Iudas proditor. Pascha. Cœna dominica. Petri temeritas. Iesu angor, precatio terna, discipulorum sopor. Captus Iesus, suorum fuga. Falsi testes. Iesus de seipso, spretus, ictus. Petrus deficiens, perjurus, lugens.

QVum autem futurum esset Pascha & Azymalia post bi-

biduum, ſtudebant Pontifices & Scribæ eum fraudulenter captum interficere: Matth. 26, 1.

Luc. 22, 1. Joh. 11, 55. & 13, 1.

2 Sed id die feſto faciendum negabant, ne quis fieret populi tumultus.

3 Et dum erat Bethaniæ in domo Simonis leproſi, eo accubante venit mulier habens alabaſtrum ungventi ſpicatæ nardi precioſi, quæ confracto alabaſtro perfudit ejus caput.

Matth. 16, 6. Luc. 7, 37. Ioh. 11, 2. & 12, 3.

4 Erant autem quidam qui apud ſeſe indignabantur, atque ita dicebant: Qvorſum hæc ungventi jactura facta eſt?

5 Poterat hoc pluſquam trecentis denariis vendi, & in pauperes erogari. Dum illi ſic adverſus eam fremunt,

6 Ieſus dixit: Sinite eam: quid negotium ei faceſſitis? officio functa eſt erga me:

7 Semper enim pauperes habebitis vobiſcum, quibus qvandocunqve voletis, benefacere poſſitis: at me non ſemper habebitis. Deut. 15, 11.

8 Qvod potuit hæc, fecit: anticipavit meum corpus ad ſepulturam ungere.

9 Hoc vobis confirmo, ubicunque toto orbe publicabitur hoc Evangelium, etiam quid ea fecerit, dicetur, ad ejus memoriam.

10 Iudas autem Iſcariota, unus ex duodecim, Pontifices adiit, ut eum illis traderet.

Matth. 26, 14. Luc. 22, 4.

11 Quo illi audito lætati, promiſerunt ei pecuniam ſe daturos. Itaque qværebat, qvo pacto eum poſſet opportune prodere.

12 Primo autem Azymalium die, cum Paſcha immolandum foret, ſic ei dicunt ejus diſcipuli: Vbi vis ut tibi epulandum Paſcha præparatum eamus?

Exod. 12, 17. Deut. 16, 5. Matth. 26, 17. Luc. 22, 7.

13 Tum ille diſcipulorum ſuorum duos dimittit, eiſque dicit: Ite in urbem: occurret vobis quidam aquæ fictile portans, eum ſequimini:

14 Et quo intraverit, ſic dicite patrifamilias: Qværit magiſter ubi ſit manſio, ubi Paſcha cum diſcipulis ſuis polluceat?

15 Ipſe vero vobis ingens cœnaculum oſtendet inſtratum ac paratum: illic nobis præparate.

16 Ita profecti ejus diſcipuli, venerunt in urbem: nacti quæ ille eis dixerat, Paſcha præpararunt.

17 Deinde ſub veſperum venit Ieſus cum duodecim, Matth. 26, 20. Luc. 22, 14. Ioh. 13, 21.

18 Ac diſcumbentibus & epulantibus eis dixit: Certo ſcitote fore, ut unus ex vobis me prodat, qui mecum epulatur.

Pſ. 41, 10. Act. 1, 16.

19 Illi vero dolere cœperunt, eique ſinguli dicere: Is ne ego ſum? Et alius: Is ne ego ſum?

20 Qvibus ille reſpondens: unus eſt ex duodecim, inquit, qvi mecum intingit in catinum.

21 Homine quidem natus vadit quemadmodum de eo ſcriptum eſt; ſed væ homini illi, per

quem homine natus prodendus est. Præstaret homini illi, nunquam esse natum. Matth. 26,24. Luc. 22,22. Joh. 13, 18.

22 Epulantibus autem eis, Iesus sumptum panem, actis laudibus, fregit, eisque dedit & dixit: Accipite, comedite, hoc est corpus meum. Matth. 26, 26. Luc. 22, 19. 1. Cor. 11, 23. 24.

23 Deinde sumptum poculum, gratiis actis dedit eis: biberuntque ex eo omnes.

24 Atque ille eis dixit: Hic est sangvis meus novi fœderis, pro multis effundendus.

25 Hoc vobis certo dico, non me amplius bibiturum ex fœtu viteo, usque ad illam diem, cum eum bibam novum in regno Dei.

26 Deinde laudibus dictis, profecti sunt in montem olivarum: Matth. 26, 30. Luc. 22, 39. Ioh. 18, 1.

27 Eisque sic dicit Iesus: Vos me omnes hac nocte deseretis: siquidem scriptum est: Percutiam pastorem, & dispergentur oves. Joh. 16, 32. Zach. 13, 7.

28 Sed postquam resurrexero, præcedam vos in Galilæam. Inf. 16, 7.

29 At Petrus dixit ei: Etiamsi omnes deserant, at ego non item. Joh. 13, 37.

30 Cui Iesus: Hoc tibi confirmo, inquit, fore, ut hodie in hac nocte, priusquam bis gallus cantet, tu me ter neges.

31 At ille multo magis dicere: Imo etiam si me una tecum mori oporteat, non abnegabo te: itidemque etiam omnes alii dicebant.

32 Deinde ubi venerunt in locum, cui nomen est Gethsemani, dixit suis discipulis: sedete hic, dum ego oratum eo. Matth. 26, 36. Luc. 22, 39. Ioh. 18, 1.

33 Assumptisque una secum Petro & Iacobo & Ioanne, cœpit turbari atque angi,

34 Eisque dixit: Præ animi dolore emorior. Manete hic & vigilate. Ioh. 12, 27.

35 Tum paululum progressus, procidit humi, oravitque, ut si fieri posset, horam illam declinaret:

36 Et, Abba Pater, inquit, omnia tu potes: averte hoc a me poculum. Verum non quod ego volo, sed quod tu. Ioh. 6, 38.

37 Deinde venit, & eos dormientes nactus dicit Petro: Simon dormis? non potuisti unam horam vigilare?

38 Vigilate & orate, ne veniatis in tentationem. Spiritus qvidem promptus est, sed caro infirma. Gal. 5, 17.

39 Deinde rursus oratum ivit, eademque verba dixit.

40 Ac reversus, eos rursum dormientes offendit, eorum oculis ita gravatis, ut nescirent qvid ei responderent.

41 Deinde tertio venit, &: Dormite jam, inquit, & requiescite: Satis est, venit hora, ecce traditur homine natus in manus improborum.

42 Surgite, eamus. En qui me prodit, adventat.

43 Et protinus adhuc eo loquente, advenit Judas, qui unus erat ex duodecim, comitante frequenti multitudine cum gladiis

diis & fustibus a Pontificibus, & Scribis, & Senatoribus.
Matth.26,47.Luc.22,47 Ioan.18,3.

44 Dederat autem illis ejus proditor signum, dicens: Qvem osculatus fuero, is est: eum capite, & tuto abducite.

45 Igitur simulac venit, eum adit, & ei dicit: Magister, magister, eumque deosculatus est.
2. Sam. 20, 9.

46 Illi vero in eum manus injecerunt, eumque ceperunt.

47 Qvidam autem eorum qui aderant, stricto ense percussit Pontificis servum, eiqve abstulit auriculam.

48 Et Iesus illos sic est allocutus: Tanquam ad latronem exiistis cum gladiis & fustibus, ad me comprehendendum.

49 Qvotidie eram apud vos in fano docens, neque me cepistis; sed ea fieri oportet quæ scripta sunt. Ps. 22, 7. & 69, 1. Es.53,12. Matth. 26,56. Luc.24,25.

50 Tum omnes eo relicto fugerunt. Job. 19, 13 Ps. 88, 9.

51 Cumqve adolescens quidam eum sequeretur, linteo nudum corpus indutus, adolescentes eum ceperunt.

52 Ille vero relicto linteo nudus eos effugit.

53 Abduxerunt autem Iesum ad Pontificem, ad eumque convenerunt omnes Pontifices, & Senatores atque Scribæ.
Matth. 26, 57. Luc. 22, 54.
Ioan 18, 13. 4.

54 Eumque procul secutus Petrus usque in Pontificis atrium, una cum famulis residet, seque ad ignem calefacit.

55 Pontifices vero totusque consessus, quærebant contra Iesum testimonium, ut eum necarent, nec inveniebant.
Matth.26,59. Act.6,13.

56 Nam multi quidem adversus eum falsa testificabantur, sed consentanea non erant testimonia:

57 Et quidam extiterunt, qui contra eum falsa testabantur, ita dicentes:

58 Nos eum audivimus dicentem, se templum hoc manufactum esse dissoluturum, & triduo aliud non manufactum extructurum. Inf. 15, 29. Ioh. 2, 19.

59 Sed nec sic quidem consentanea erant eorum testimonia.
Matth. 26, 62.

60 Tum Pontifex in medium surrexit, & Iesum sic interrogavit: Nihilne respondes? quid est quod hi contra te testantur?

61 At Iesus silebat, nihilque respondebat. Rursum Pontifex eum hujusmodi verbis interrogavit: Tune es Christus celebrandi Dei filius?
Es. 53, 7. Act. 8, 32.

62 Et Iesus: Sum, inquit, & videbitis homine natum sedentem ad dexteram potentiæ, & cum cœlestibus venientem nubibus. Dan. 7, 10. Matth. 25, 31. Luc. 21, 27. Ioh. 6, 67. Act. 1, 11. 1. Thess. 4, 16. Apoc. 1, 7.

63 Tum Pontifex lacerare suas vestes: Quid adhuc nobis opus est testibus? inquit.

64 Audivistis impiam vocem: quid vobis videtur? Illi vero eum omnes ut morte dignum damnarunt:

65 Cœperuntque eum qvidam conspuere, eique faciem obvelare, & colaphos impingere, ac dicere: Divina: eique alapas impingebant ministri. Es. 50, 6.

66 Cum esset autem Petrus infra in atrio, venit quædam ancillarum, Pontificis:

Matth. 26, 69. Luc. 22, 55. Ioh. 18, 16. 17.

67 Et viso Petro sese calefaciente, intuita eum dicit: Tu quoqve cum Nazareno Iesu eras.

68 At ille negavit, ita dicens: Nescio, nec intelligo qvid dicas. Deinde foras in vestibulum egressus est, & gallus cecinit.

69 Et ancilla eo viso rursum cœpit dicere eis qui aderant, cum ex illis esse. Matth. 26, 71. Luc. 22, 58. Ioh. 18, 25.

70 At ille rursum negavit. Paulo post rursum qui aderant, dicunt Petro: Profecto tu ex illis es: nam Galilæus es, & locutio tua congruit.

71 At ille cœpit detestari, & jurare, sese non novisse hominem illum, quem illi dicerent,

72 Et iterum gallus cecinit. Tum Petrus recordatus ejus, qvod ei dixerat Iesus, fore ut priusquam bis caneret gallus, ter eum negaret, cœpit flere.

Matth. 26, 34. 75. Luc. 22, 61. Ioh. 13, 38, & 18, 27.

CAP. XV.

Christus ad Pilatum. Iudæorum rex. Barrabas absolutus. IEsu supplicium, titulus, dicteria, tenebræ. Christi gemitus, potatio, mors. Veli scissura, militum professio. Christi monimentum.

MAne protinus inito consilio, Pontifices una cum Senatoribus & Scribis, totusqve consessus IEsum colligant, abductumque Pilato tradunt.

Ps. 2, 2. Matth. 27, 1. Luc. 22, 66. Ioh. 18, 28. Act. 3, 13.

2 Eum Pilatus interrogavit, esset ne Iudæorum Rex: Cui ille respondens: ut tu dicis, inquit.

3 Cumque eum vehementer accusarent Pontifices,

4 Pilatus eum rursus his verbis interrogavit: Nihil ne respondes? Vide quanta contra te testificentur. Matth. 27, 13. Luc. 23, 3. Ioh. 18, 33. & 19, 10.

5 At Iesus nihil amplius respondit, adeo ut miraretur Pilatus.

6 Solebat autem in festo eis laxare unum vinctum, quemcunque postulassent.

7 Erat quidam nomine Barrabas cum seditiosis vinctus, qui in seditione cædem fecerat.

8 Itaque cœperunt vulgo clamantes id exigere, quod ille semper eis erat facere solitus.

9 Et Pilatus sic eis respondit: Vultis ut vobis Iudæorum regem solvam?

10 Sciebat enim, eum per invidiam a Pontificibus esse traditum.

11 Pontifices vero plebem instigarunt, ut sibi Barrabam potius ab illo laxari postularet. Act. 3, 14.

12 Et Pilatus rursus eos alloqvens: Qvid ergo vultis, inqvit, ut de eo faciam, qvem Iudæorum Regem dicitis?

13 At illi denuo clamabant: Crucifige eum.

14 Et

14 Et Pilatus: Quid enim mali fecit? inqvit eis. At illi eo acrius clamare: Crucifige eum.

15 Igitur Pilatus volens plebi satisfacere, laxavit eis Barrabam, Iesumqve verberavit, & eis crucifigendum tradidit.

Matth. 27, 26. Ioh. 19, 1.

16 Et milites eo extra atrium, hoc est prætorium, educto, totam cohortem convocant:

17 Eumque purpura induunt, & ei implexam spineam coronam imponunt,

18 Eumque sic salutare incipiunt: Salve Rex Iudæorum.

19 Ejusque caput arundine tundunt, & eum conspuunt, ac positis genibus venerantur.

20 Deinde postquam ei illuserunt, spoliant eum purpura, ipsiusqve vestibus induunt: tum crucifigendum educunt.

21 Et prætereuntem quendam Simonem Cyrenæum rure venientem, Alexandri Ruffiqve patrem, cogunt ejus ferre crucem:

Matth. 27, 32. Luc. 23, 26.

22 Eumque ad locum Golgotha ducunt, quod Calvariæ locum significat: Matth. 27, 33.

Luc. 23, 33. Ioh. 19, 17.

23 Et ei myrrhinum vinum bibere dant, id quod ille non accepit.

24 Eo autem crucifixo, partiti sunt ejus vestimenta, jacta super eis sorte, quid quisque auferret.

Ps. 22, 19. Matth. 27, 35. Luc. 23, 34. Ioh. 19, 23.

25 Erat hora tertia, cum eum crucifixerunt.

16 Inscripto hoc ejus criminis titulo: REX IUDÆORUM.

27 Et cum eo latrones duos, alterum ad dexteram, alterum ad sinistram crucifixerunt.

28 Ita comprobatum est scriptum illud, quod sic habet: Et inter sceleratos habitus est.

Esa. 53, 12. Luc. 22, 37.

29 Prætereuntes autem ei maledicebant, capita quassantes & dicentes: Vah qui templum dissolvis, & triduo instauras:

Ps. 22, 8. & 69, 21. & 109, 25. Sup. 14, 58. Joh. 2, 19.

30 Serva teipsum; & de cruce descende.

31 Similiter & Pontifices inter sese illudentes cum Scribis dicebant: Alios servavit, seipsum servare non potest.

32 Christus ille Israelitarum Rex, descendat nunc de cruce, ut eo viso credamus. Item qui cum eo erant crucifixi, convicium ei faciebant.

33 Hora sexta autem extiterunt per totam terram tenebræ, usque ad horam nonam.

34 Ac hora nona exclamavit Iesus magna voce dicens: Eloi, Eloi lama sabachtani: quorum verborum hæc notio est: Mi Deus, mi Deus, cur me dereliqvisti?

Ps. 22, 2. Matth. 27, 46.

35 Quo audito, qvidam eorum qui aderant, dicebant eum Eliam vocare.

36 Quidam autem accurrit, & impleta aceto, spongia, arundinique affixa, ei bibere dat, dicens: finite, videamus an eum ereptum veniat Elias.

Ps. 69, 22. Ioh. 19, 29.

37 Et Iesus emissa magna voce expiravit:

38 Et templi velum a summo ad imum in duas partes fissum est.
2. Par. 3, 14.

39 Ac videns Centurio, qui ei ex adverso astabat, eum ita clamantem expirasse, dixit: Profecto hic homo filius erat Dei.

40 Erant etiam mulieres procul spectantes, in quibus erat Maria Magdalena, & Maria Iacobi minoris, Iosisque mater, & Salome. Ps. 38, 12.

41 Quæ etiam, dum ille erat in Galilæa, eum sequi eique ministrare consveverant: itemque aliæ multæ, quæ cum eo Hierosolymam ascenderant. Luc. 8, 1. seqq.

42 Postqvam jam advesperavit, cum esset præparatio, hoc est, ante sabbathum: Matth. 27, 57. Luc. 23, 50. Ioh. 19, 38.

43 Venit Iosephus ab Arimathæa, honestus senator, qui & ipse Dei regnum expectabat: & ad Pilatum ausus ingredi, petiit Iesu corpus.

44 Pilatus miratus si jam mortuus esset, accersito Centurione sciscitatus est ex eo, qvamdudum esset mortuus?

45 Quo a Centurione cognito, donavit Josepho corpus.

46 Et ille empto linteo eum demisit, & involutum linteo posuit in monimento, qvod ex petra excisum erat: & ad monimenti ostium ingens saxum advolvit.

47 Spectantibus Maria Magdalena, & Maria Iosis matre, ubinam poneretur.

CAP. XVI.

Mulierum unguenta. Redivivus Iesus in Galilæam. Idem ter visus. Discipulorum incredulitas. Missio evangelii, & Baptismi mandata. Notæ credentium. In cœlum IEsus. Apostolorum officium.

Exacto Sabbatho, Maria Magdalena, & Maria Iacobi mater, & Salome, emptis aromatis, ut eum unctum irent,
Matth. 28, 1. Luc. 24, 1. Ioh. 20, 1.

2 Valde mane prima post Sabbathum die veniunt ad monimentum orto jam sole.

3 Ac dum inter sese qværunt, quis sibi saxum avolveret ab ostio monimenti,

4 Intuitæ vident avolutum esse saxum, quod erat permagnum:

5 Ac monimentum ingressæ, viderunt adolescentem ad dexteram sedentem alba stola vestitum, & expaverunt.
Matth. 28, 1. Ioh. 20, 12.

6 At ille: Ne expavescite, inquit eis. Iesum quæritis Nazarenum crucifixum: surrexit, non est hic: en locus ubi positus fuit. Luc. 24, 5.

7 Sed ite nunciatum ejus discipulis, & Petro, eum præire eis in Galilæam: illic eum esse visuros, ut eis prædixit.
Matth. 26, 32. & 28, 10. Sup. 14, 28. Act. 1, 3. & 13, 31. 1. Cor. 15, 5.

8 Igitur illæ egressæ celeriter ex monimento fugerunt, idque tremore correptæ atque attonitæ: neque cuiquam quicquam dixerunt, utpote quæ metuerent.

9 Resurrexit autem mane, primo post sabbathum die, & apparuit primum Mariæ Magdalenæ, ex qua septem ejecerat dæmonia.
Ioh. 20, 14. 16. Luc. 8, 2.

10 Id

10 Id quod illa nunciatum ivit eis, qui cum eo fuerant, lugentibus atque plorantibus.

11 At illi audientes eum vivere, & ab ea visum esse, non crediderunt.

12 Postea duobus eorum ambulantibus apparuit alia forma, rus euntibus. Luc. 24, 13.

13 Id quod illi cæteris nunciatum iverunt: sed ne illis quidem crediderunt.

14 Tandem discumbentibus illis undecim apparuit, & eis incredulitatem ac pervicaciam exprobravit, quod eis, qui se resurrexisse viderant, non credidissent: Luc. 24, 36. Ioh. 20, 19. 1. Cor. 15, 5. 7.

15 Eisque dixit: Ite in totum orbem, prædicate Evangelium omnibus creatis.

Matth. 28, 19. Ioh. 15, 16.

16 Qui crediderit & baptizatus fuerit, servabitur: qui vero non crediderit, condemnabitur.

Joh. 3, 18. & 12, 48.

17 Signa autem eos, qui crediderint, hæc sequentur: in nomine meo dæmonia ejicient, lingvis loquentur novis:

Luc. 10, 17. Act. 5, 16. & 8, 7. & 16, 18. & 2, 4. & 10, 46. & 19, 6. 1. Cor. 12, 10. 28.

18 Serpentes tollent: & si qvid mortiferum biberint, non eis nocebit: cum ægrotis manus imponent, illi bene habebunt.

Luc. 10, 19. Act. 28, 3. 8.

19 Igitur Dominus, postquam eos allocutus est, sublatus est in cœlum, & ad Dei dexteram sedit.

Ps. 110, 1. Act. 1. 2. 3. 9.

20 Illi vero digressi, ubiqve prædicarunt, Domino adjuvante & orationem seqventibus signis confirmante.

Act. 14, 3. Heb. 2, 4.

EVANGELIUM
AUTORE
LVCA.

CAP. I.

Evangelistæ multi. Lucæ sectator Theophilus. Zacharias & conjux senes, justi, soli. Gabriel de puero cum gaudio, gratia, dignitate, victu, spiritu Eliano, fructu. Senex diffidens fit mutus. Anus gravida. Angeli ad Mariam aditio. Inter hos colloquium: illius discessio. Virgo ad cognatam. Fœtus in utero exultatio. Elisabetæ gratulatio. Virginis hymnus, mora, reditio. Pueri ortus, circumcisio, nomen. Seni eloquium restitutum. Popularium pavor. Nati favor. Patris hymnus. Pueri profectus & habitatio.

QVandoqvidem aggressi sunt multi narrationem contexere compertarum apud nos rerum:

2 Quemadmodum nobis tradiderunt qui ab initio & spectatores & administratores rei fuerunt: Heb. 2, 3. 1. Ioh. 1, 1.

3 Visum est etiam mihi, qui omnia a capite diligenter con-

sectatus sim, tibi ordine scribere, optime Theophile, Act. 1, 1.

4 Ut quas auditione accepisti res, eas certo cognoscas.

5 Fuit temporibus Herodis Iudææ regis sacerdos quidam nomine Zacharias, Abianæ classis; cujus uxor erat Aharone prognata, nomine Elizabeta.

1. Par. 24, 10. 19. Neh. 12, 4. 17. Matth. 2, 1.

6 Erant autem ambo apud Deum justi, sese in omnibus Domini præceptis ac institutis gerentes inculpatos,

7 Sed non erant eis liberi: quandoquidem & Elizabeta sterilis erat, & ambo ætate provecta.

8 Accidit, dum is in suæ classis ordine sacerdotio coram Deo fungitur:

9 Ex more sacerdotii, ut ei suffiendi sors obtingeret. Itaque in Domini ædem ingressus est,

Exod. 30, 7. Lev. 16, 17. Heb. 9, 6.

10 Omni populi multitudine foris hora suffitionis orante.

11 Apparuit autem ei Domini Angelus ad aræ suffitoriæ dexteram astans: Exod. 30, 1.

12 Quo viso turbatus Zacharias, & timore perculsus est.

13 Sed eum sic allocutus est Angelus: Ne metue Zacharia: nam exauditæ sunt tuæ preces, & tua conjux Elizabeta tibi filium pariet, qvem Ioannem nomine vocabis: Inf. v. 60.

14 Qui tibi gaudio erit & lætitiæ, multique ex ejus nativitate gaudebunt. Infr. v. 58.

15 Erit enim in Domini conspectu magnus: nec vinum nec siceram bibet, ac sacro spiritu plenus erit jam ab utero matris,

Num. 6, 3. Iud. 13, 4. Ier. 1, 5. Gal. 1, 15.

16 Et Israelitarum multos ad Dominum ipsorum Deum convertet, Malach. 4, 5. Matth. 11, 14.

17 Eumque antecedet ipse, Eliano spiritu potentiaque præditus, ut patrum animos ad natos convertat, & contumaces ad justorum prudentiam, Dominoque compositum populum præparet.

Mal. 4, 6. Matth. 3, 1. Marc. 9, 12.

18 At Zacharias: Unde istud cognoscam? inquit Angelo: cum & ego sim senex, & uxor mea jam grandis natu? Gen. 17, 17.

19 Cui Angelus respondens inquit: Ego sum Gabriel, qui Deo appareo, & missus sum ut te alloquerer, tibiqve hæc læta nunciarem.

Dan. 8, 16. & 9, 21. Matth. 18, 10.

20 Atque hoc sic habeto, te fore mutum, & loquendi impotem, donec hæc evenerint: qvoniam meis dictis non credidisti, quæ suo tempore comprobabuntur.

21 Expectabat autem populus Zachariam, eumque tandiu in æde morari mirabatur.

22 Is vero egressus, eos alloqvi non poterat: itaque intellexerunt, eum visum aliquod in æde vidisse. Ipse vero eis innuebat: remansitqve mutus.

23 At peracto ejus muneris spatio, domum petiit.

24 Post id tempus concepit ejus uxor Elizabeta, & se quinque menses abdidit,

25 Prop-

25 Propterea quod hæc ei præstitisset Dominus, dum ejus inter homines dedecus abolere curat. Gen. 30, 23. Es. 4, 1.

26 Mense autem sexto missus est a Deo Angelus Gabriel, in oppidum Galilææ, nomine Nazaretham.

27 Ad virginem desponsam viro, qui nomen habebat Iosephus, ex domo Davidis; virginis autem Maria nomen erat. Matth. 1, 18.

28 Ad eam ingressus Angelus, dixit: Salve accepta, cui Dominus adest, quæque es mulierum fortunatissima.

29 At illa, eo viso, ejus sermone turbata, cogitabat qualis esset ea salutatio.

30 Et Angelus: Ne metue Maria: nam propitium habes Deum:

31 Ac scito, te utero concepturam, parituramque filium, quem Iesum nomine vocabis. Es. 7, 14. Inf. 2, 21. Matth. 1, 21.

32 Is erit magnus, & Supremi filius vocabitur: eique dabit Dominus Deus solium Davidis ejus parentis, Es. 9, 6. & 16, 5. & 54, 5. 2. Sam. 7, 12. Ps. 132, 11.

33 Isque in Iacobæorum domum regnabit in perpetuum, nec ullus ejus regni finis erit. Ps. 45, 7. & 89, 37. 1. Par. 22, 10. Es. 9, 7. Ier. 23, 5. Dan. 2, 44. & 7, 14. 27. Mich. 4, 7. 1. Cor. 15, 24. Hebr. 1, 8.

34 At Maria: Quo pacto fiet istud? inquit Angelo, cum ego virum nesciam?

35 Et ille respondens: Te spiritus sanctus, inquit, invadet, & Supremi vis inumbrabit: itaque sanctus iste partus dicetur Dei filius.

36 Et quidem Elizabeta, cognata tua, concepit & ipsa filium in senectute sua: eique jam sextus hic mensis agitur, cum tamen sterilis diceretur.

37 Adeo nulla res est, quam Deus facere non possit. Iob. 42, 2. Ier. 32, 17. Zach. 8, 6. Matth. 19, 26. Infr. 18. 27.

38 Tum Maria: Ecce me Domini servam, eveniat mihi ita ut tu dixisti. Ita Angelus ab ea discessit.

39 Per eos dies profecta est Maria festinanter in montana, in urbem Iudææ:

40 Et ingressa domum Zachariæ salutavit Elizabetam.

41 Atque ubi audivit Elizabeta Mariæ salutationem, exultavit infans in ejus utero: repletaque sancto spiritu Elizabeta,

42 Exclamavit magna voce, & inquit: Tu es mulierum felicissima: felix & istius ventris fœtus.

43 Unde autem hoc mihi, ut me mei Domini mater invisat?

44 Nam simulac tuæ salutationis vox peruenit ad meas aures, exultavit lætitia infans in ventre meo.

45 Beatam te, quæ credideris perfectum iri, quæ tibi a Domino significata sunt. Inf. 11, 28.

46 Tum Maria sic fatur: Magnificat animus meus Dominum,

47 Exultatque mea mens de Deo servatore meo.

48 Qui ſpectaverit humilitatem ancillæ ſuæ, unde me in poſterum beatam prædicatura ſunt omnia ſecula.

1. Sam. 1, 11. Gen. 30, 13.

49 Quoniam mihi magna fecit præpotens ille, cujus & nomen ſanctum eſt,

50 Et clementia perennis erga reverentes eum. Gen. 17, 7. Exod. 20, 6. Pſ. 103, 17.

51 Qui fortia patrat ſuo brachio, profligat eos qui animi faſtu inſoleſcunt: Eſ. 29, 15. & 51, 9. & 52, 10. Pſ. 33, 10. 1. Pet. 5, 5.

52 Deturbat potentes de ſoliis, humiles extollit.

1. Sam. 2, 7. 8. Pſ. 113, 6.

53 Eſurientes bonis explet, & divites inanes dimittit.

Pſ. 34, 11. 1. Sam. 2, 5.

54 Subvenit Iſraelitis ſuis, clementiæ memor, Eſ. 30, 18. & 41, 8. & 54, 5. Ier. 31, 3. 28.

55 Quemadmodum majoribus promiſerat noſtris, Abrahamo, & ejus futuræ poſteritati. Gen. 17, 19. & 22, 18. Pſ. 132, 11.

56 Manſit autem Maria cum ea circiter menſes tres: deinde domum revertit.

57 Elizabeta autem exacto ad pariendum tempore, filium genuit.

58 Et ejus vicini atque cognati, audientes quanta Dominus erga eam uſus eſſet clementia, congratulabantur ei. Supr. v. 14.

59 Octavo autem die puerum circumciſum iverunt: & eum patris ejus nomine Zachariam appellabant:

Gen. 17, 12. Lev. 12, 3.

60 Sed contradixit ejus mater: non ita, inquit, ſed vocabitur Ioannes. Supr. v. 13.

61 Cui illi: Nullus eſt, inquiunt, in cognatione tua, qui iſto nomine nuncupetur.

62 Deinde innuunt ejus patri, quid eum vellet appellari?

63 Et ille, petita tabella, ſcripſit, ejus nomen eſſe Iohannem; id quod mirati ſunt omnes.

Supr. v. 13.

64 Atque ille aperto protinus ejus ore, ſolutaque lingva loqui cœpit, Deo gratias agens.

65 Metuque correpti ſunt omnes eorum finitimi, ac per omnia Iudææ montana dictitabantur hæc omnia.

66 Quæ quicunque audierant, in animo reponebant, cogitantes, quidnam futurus eſſet ille puer? Atque ei Domini manus aderat.

67 Zacharias autem pater ejus, Sancto Spiritu plenus, vaticinatus eſt his verbis:

68 Grates Domino Iſraelitarum Deo, qui populi ſui liberationem procuret,

Inf. 2, 30. Matth. 1, 21.

69 Erigatque nobis cornu ſalutis in domo ſui Davidis:

Pſ. 132, 17. 18.

70 Quemadmodum promiſerat priſcorum ore ſanctorum ſuorum vatum, Ier. 23, 6. & 30, 10. Dan. 9, 27. Pſ. 72, 12.

71 Quo vindicemur ab hoſtibus noſtris, & ex omnium manu qui nos odere:

72 Ut utatur clementia erga majores noſtros, & ſui ſancti fœderis recordetur:

73 Qui jurejurando promiſerit

rit Abrahamo patri nostro, Gen. 22, 16. Ps. 105, 9. Ier. 31, 33. Hebr. 6, 13.

74 Daturum se nobis, ut intrepide ex hostium nostrorum manu liberati, Hebr. 9, 14.

75 Ipsum coram pie justeque colamus toto vitæ nostræ tempore. 1. Pet. 1, 15.

76 Et tu puer Supremi vates vocabere. Præibis enim Domino paratum vias ejus, Mal. 3, 1. & 4, 5. Supr. v. 17.

77 Ad dandam salutis cognitionem ejus populo, quod eis venia datur peccatorum. Infr. 3, 3.

78 Per intimam Dei nostri misericordiam, qua nos ex alto visit ortus, Malach. 4, 2. Zach. 3, 8. & 6, 12.

79 Qui appareat iis qui in tenebris, & atra nocte degunt, ad dirigendos pedes nostros in viam pacis. Es. 9, 1. & 42, 7. & 43, 8. & 49, 9. & 60, 1. Matth. 4, 16.

80 Puer autem crescebat, & spiritu confirmabatur, ac in desertis agebat usque ad diem, qua Israelitis ostenderetur.

CAP. II.

Orbis census. Mariæ partus in stabulo: ad pastores angelus de Christo; vox cœlestis: pastores ad infantem. Mariæ cura: in circumcisione Jesus: puer Deo sistitur: fertur ex lege. Simeonis canticum, ad Mariam vaticinium. Vates Anna. Josephi reditus Nazaretham. Pueri ingenium, virtus: ejusdem in fano dissertatio. Mariæ natique dicta. Parentum ignoratio: pueri obsequium & profectus in horas.

PEr id tempus decreto promulgatum est ab Augusto Cæsare, ut censeretur totus orbis,

2 Qui primus census habitus est Quirino prætore Syriæ.

3 Igitur cum omnes ad profitendum in suam quisque civitatem profiscerentur,

4 Ascendit etiam Iosephus ex Galilæa, ex oppido Nazaretha in Iudæam, in Davidis oppidum, quæ Bethlehema vocatur, quod esset ipse Davidicæ domus atque familiæ: 1. Sam. 16, 4. Mich. 5, 1. Matth. 1, 1. seqq. Ioh. 7, 42.

5 Ut profiteretur una cum Maria desponsa sibi uxore prægnante.

6 Accidit autem, ut dum illic sunt, illa exacto ad pariendum tempore,

7 Filium suum pareret primogenitum: quem fasciis involvit, & in præsepi reclinavit, quod eis in diversorio locus non esset. Matth. 1, 25.

8 Erant pastores in eadem regione excubantes, & nocturnis vigiliis ovile suum custodientes.

9 Quibus ecce Domini angelus astitit, eosque Domini splendor circumfulsit, & magno timore perterritos,

10 Sic est Angelus allocutus: Ne timete: en ego vobis enim ingentem nuncio lætitiam, toti populo futuram:

11 Videlicet vobis hodie natum esse servatorem, qui est Christus Dominus in oppido Davidis.

12 At-

12 Atque hoc vobis signum erit: Invenietis infantem fasciis involutum jacentem in præsepi.

13 Et repente extitit cum Angelo cœlestium copiarum multitudo, Deum laudantium, & ita dicentium:

Dan. 7, 10. Apoc. 5, 11.

14 Gloria in supremis Deo, & in terra pax, erga homines benevolentia. Infr. 19, 38. Es. 57, 19. Rom. 5, 1. Eph. 1, 5. & 2, 17.

15 Deinde ubi ab eis discesserunt in cœlum Angeli, homines illi cohortati sunt invicem, ut Bethlehemam peterent, & viserent quid rei accidisset, quod Dominus sibi declarasset.

16 Itaque celeriter profecti, invenerunt Mariam & Josephum, & jacentem in præsepi infantem.

17 Quo viso, prædicarunt quid sibi de puero illo dictum fuisset.

18 Ac quotquot audierunt, ea mirati sunt, quæ eis a pastoribus dicta sunt.

19 Maria vero eas res omnes observabat, cum animo suo perpendens.

20 Redierunt autem pastores Deum celebrantes atque collaudantes, propter ea omnia quæ & audiverant, & quemadmodum eis prædictum fuerat, viderant.

21 Postquam dies octo ad circumcidendum puerum completi sunt, nuncupatum est ejus nomen IESUS: quod nuncupatum fuerat ab Angelo, priusquam in utero conciperetur. Gen. 17, 12. Lev. 12, 3. Sup. 1, 31. Matth. 1, 21. Ioh. 7, 22.

22 Completis autem eorum purificationis diebus, ex lege Mosis tulerunt eum Hierosolymam, ut Domino sisterent:

Lev. 12, 2. seqq.

23 (Quemadmodum in Domini lege scriptum est, scilicet omnem marem, qui vulvam aperuisset, Domino sacrum esse dicendum.) Exod. 13, 2. & 22, 29. & 34, 19. Num. 8, 16.

24 Utque fertum conferrent, quemadmodum in Domini lege dictum est, par turturum, aut duos pipiones. Lev. 12, 6. 8.

25 Erat tum Hierosolymæ homo, nomine Simeon, qui homo justus erat, & religiosus, expectans Israelitarum consolationem, & sancto Spiritu præditus.

26 Huic fuerat Sancti Spiritus oraculo dictum, non prius esse mortem sensurum, quam Domini Christum vidisset.

27 Is instinctu Spiritus venit in fanum, atque ubi intulerunt parentes puerum Iesum, ut de eo ex legis ritu facerent,

28 Ipse eum suis ulnis excepit, Deoque gratias egit his verbis:

29 Nunc dimittis tuum me, Domine, secundum promissionem tuam placide:

Gen. 46, 30. Phil. 1, 23.

30 Quandoquidem vidi meis oculis salutem tuam,

Ps. 98, 2. Es. 52, 10. Inf. 3, 6.

31 Quam omnibus expositam populis parasti:

32 Lumen gentibus patefaciendum, & tuorum Israelitarum gloriam. Es. 42, 6. & 49, 6. Act. 13, 47. & 28, 28. Supr. 1, 68.

33 Mirabantur autem ejus pa-

ter

ter atque mater, ea quæ de eo dicebantur.

34 Eisque fausta precatus Simeon, ejus matrem Mariam sic affatus est: Scito huc multorum vel casui vel resurrectioni in Israelitis destinatum esse, & signum fore, cui contradicatur. Es. 8,14. Matth. 21,44. Act. 28,22. Rom. 9,32. 33. 1. Cor. 1, 23. 24. 2. Cor. 2,16. 1. Pet. 2, 8.

35 Quin tuum quoque animum penetrabit gladius, ut patefiant multarum mentium cogitationes. Ioh. 19,25.

36 Erat autem Anna vates, Phanuelis filia, ex Aseriana tribu: quæ multum ætate provecta, vixerat annos cum viro septem a virginitate sua.

37 Et erat vidua annorum circiter quatuor & octoginta, quæ ex fano non discedebat, jejuniis precibusque noctes & dies Deum colens. 1. Sam. 1, 12.

38 Hæc eadem hora supervenit, & Domino gratias agere, deque eo loqui cœpit omnibus, qui Hierosolymis liberationem expectabant.

39 Et illi omnibus ex lege Domini peractis, redierunt in Galilæam, in oppidum suum Nazaretham.

40 Puer vero crescebat, & spiritu confirmabatur, sapientiaque replebatur, eique aderat Dei gratia. Iudic. cap. 13, 24. Supr. 1, 80. Infr. v. 52.

41 Proficiscebantur autem ejus parentes quotannis Hierosolymam festo Paschæ. Exod. 23,15.17. & 34,23. Lev. 23, 5. Deut. 26,1.

42 Igitur dum jam erat annorum duodecim, cum illi Hierosolymam ex more festi ascendissent,

43 Diesque peregissent, eis revertentibus remansit puer Iesus Hierosolymæ.

44 Id quod ignorantes ejus parentes, eum in comitatu esse rati, postquam iter unius diei fecerunt, cœperunt eum inter cognatos & familiares conquirere.

45 Eoque non invento, reverterunt Hierosolymam eum quærentes.

46 Accidit autem, ut post triduum eum in fano invenerint, inter magistros sedentem, eosque audientem, ac interrogantem.

47 Stupebant autem omnes eum audientes, ejus acumen ac responsiones. Matth. 7, 28. Marc. 1,22. Luc. 4, 21. 32. Ioh. 7, 15. 46.

48 Atque eo viso attoniti sunt illi, eumque sic est allocuta mater: Nate, cur nobis ita fecisti? en pater tuus & ego te dolentes quærebamus.

49 At ille: Quorsum me quærebatis? inquit eis. An nesciebatis, mihi agenda esse mei Patris negotia?

50 At illi, quid ille sibi dixisset, non intellexerunt, Inf. 9, 45. & 18, 34.

51 Et ille cum eis descendit, venitque Nazaretham, & eis erat morigerus. Ejus autem mater eas res omnes animo observabat.

52 Et Iesus sapientia, & ætate, & gratia tum apud Deum proficiebat, tum apud homines. 1. Sam. 2, 26. Supr. 1, 80. & 2, 40.

CAP.

CAP. III.

Johannis habitatio, concio, objurgatio acerba, præcepta: hujus & Christi collatio, item baptismatum. CHristi potestas. Herodis scelus. Baptistæ carcer. Christi baptismus. Vox cœlestis. cum Spiritu Sancto imagine columbæ. Jesu ætas, genealogia adusque Adamum, & Deum.

ANno autem imperii Tiberii Cæsaris decimoquinto, Pontio Pilato Iudææ prætore, Herode Galilææ tetrarcha, Philippo ejus fratre Iturææ & Trachonitidis regionis tetrarcha, & Lysania Abylenæ tetrarcha,

2 Pontificibus Anna & Caiapha, habitus est a Deo sermo ad Ioannem Zachariæ filium in solitudine: Ioh. 11, 49. 51. & 18, 13. Act. 4, 6.

3 Isque venit per omnem Iordanis oram emendationis vitæ baptismum prædicatum ad peccatorum remissionem.

Matth. 3, 1. 8. Marc. 1, 4.

4 Quemadmodum in vatis Esaiæ effatorum libro scriptum est, dum dicit: Vox clamantis in solitudine: Præparate Domini viam, rectas facite semitas ejus. Es. 40, 3. Matth. 3, 3. Marc. 1, 3. Ioh. 1, 23.

5 Omnis & vallis complebitur, & mons collisque deprimetur, & prava in recta, & asperæ viæ redigentur in planas.

6 Aspicientque mortales omnes divinam salutem. Ps. 98. 2. Es. 52, 10. Supr. 2, 30.

7 Dicebat igitur hominum vulgo, qui proficiscebantur ut ab eo baptizarentur: Viperina progenies, quis vos summonuit futuram iram fugere?

Matth. 3, 7. & 23, 33.

8 Edite ergo dignos correcta vita fructus: neu velitis apud vos sic cogitare, Patrem habemus Abrahamum. Dico enim vobis, posse Deum ex his lapidibus Abrahamo suscitare natos.

Matth. 3, 9. Ioh. 8, 39. Act. 13, 26.

9 Iam vero securis arborum radici admota est. Itaque omnis arbor bonum fructum non edens, excindenda, & in ignem est conjicienda.

Matth. 3, 10. & 7, 19.

10 Et a vulgo sic interrogatus, Quid ergo agemus?

Act. 2, 37.

11 Respondit eis in hunc modum: Qui duas habet tunicas, impertiat non habenti: & qui habet cibaria, itidem faciat.

Iac. 2, 15. 16. 1. Ioh. 3, 17. & 4, 20.

12 Venerunt item publicani ut baptizarentur, eique dixerunt: Magister, quid agemus?

13 Quibus ille: Nihil amplius, inquit, exigite, quam quantum vobis præscriptum est.

14 Interrogaverunt eum etiam milites his verbis: Et nos quid agemus? Quibus ille: Neminem, inquit, concutite, neve calumniamini, & vestris este stipendiis contenti.

15 Dubitante autem populo, omnibusque de Ioanne animo cogitantibus, num is esset Christus,

16 Ioannes sic est omnes allocutus: Ego quidem aqua vos baptizo; sed adventat quidam ita

ita me præstantior, ut ego dignus non sim qui ejus calceorum solvam corrigiam. Is vos Sancto Spiritu & igne baptizabit. Es. 44, 3. Ioel. 2, 28. Matth. 3, 11. Marc. 1, 7. 8. Ioh. 1, 26. Act. 1, 5. & 2, 4. & 11, 15. 16. & 13, 25. & 19, 4.

17 Habet autem in manu vannum suam, areamque suam perpurgabit, & frumentum in in horreum suum comportabit, paleam autem igni cremabit inetincto.

18 Ita multa etiam alia monens, populum instituebat.

19 At Herodes tetrarcha, cum ab eo de Herodiade sui fratris uxore, deque tot, quæ committebat, sceleribus argueretur, Matth. 14, 3. Marc. 6, 17.

20 Hoc insuper ad illa omnia adjecit, quod Ioannem in carcerem conclusit.

21 Accidit autem, ut baptizato omni populo, nec non Iesu baptizato ac orante, aperietur cœlum, Matth. 3, 13. Marc. 1, 9. Ioh. 1, 32.

22 Descenderetque Spiritus Sanctus corporea specie quasi colũba in eum, & existeret de cœlo vox dicens: Tu es meus charissimus filius, tu mihi acceptus es. Es. 42, 1. Matth. 3, 17. & 17, 5. Marc. 9, 7. Luc. 9, 35. Col. 1, 13. 2. Petr. 1, 17.

23 Incipiebat autem Iesus annorum esse fere triginta, Josephi (ut putabatur) filius, Elis filii. Matth. 13, 55. Marc. 6, 3. Ioh. 6, 42.

24 Mathathi filii, Levis filii, Melchis filii, Iannæ filii, Iosephi filii, Matth. 1, 1. seqq.

25 Mattathiæ filii, Amosi filii, Naumi filii, Eslis filii, Naggæ filii,

26 Maathi filii, Mattathiæ filii, Semeis filii, Iosephi filii, Iudæ filii,

27 Ioannæ filii, Resiæ filii, Zorobabelis filii, Salathielis filii, Niris filii,

28 Melchis filii, Addes filii, Cosami filii, Elmadami filii, Heris filii,

29 Hiesonis filii, Eliezeris filii, Ioremi filii, Matthæ filii, Levis filii,

30 Simeonis filii, Iudæ filii, Iosephi filii, Ionami filii, Eliazimi filii,

31 Meleæ filii, Menami filii, Mathathami filii, Nathami filii, Davidis filii, 2. Sam. 5, 14. 1. Par. 3, 5. Zach. 12, 13.

32 Isæi filii, Obedis filii, Boozi filii, Salmonis filii, Naassonis filii, Ruth. 4, 18. 1. Par. 2, 10.

33 Aminadabi filii, Arami filii, Esromi filii, Iudæ filii,

34 Iacobi filii, Isaaci filii, Abrahami filii, Tharæ filii, Nachoris filii, Gen. 11, 24. 25. 26.

35 Saruchi filii, Ragavi filii, Phaleci filii, Hebris filii, Salæ filii,

36 Cainanis filii, Arphaxadi filii, Semi filii, Noæ filii, Lamechi filii, Gen. 5, 6. & 11, 10.

37 Mathusalæ filii, Enochi filii, Iarethi filii, Malaleelis filii, Cainanis filii,

38 Enosi filii, Sethi filii, Adami filii, Dei filii. Gen. 5, 3.

CAP.

CAP. IV.

In solitudine Christus: tentatus, jejunus, esuriens, contra diabolum. Christi in Galilæa doctrina. Nazarethæ lectio, de Jesu vaticinium. Concio, responsum Jesu de vate in patria, de Elia, & Syro. Jesu à suis evasio. Capernai concio. Dæmoniacus. Simonis socrus. Dæmones de Jesu, objurgati.

IEsus vero Sancto Spiritu plenus reversus est a Iordane, & Spiritus instinctu actus in solitudinem:

Matth. 4, 1. Marc. 1, 12.

2 Ac quadraginta dies tentatus est a diabolo: per quos dies cum nihil comedisset, & eis finitis tandem esuriret,

Exod. 34, 28. 1. Reg. 19, 8.

3 Dixit ei diabolus: Si Dei filius es, jube huic lapidi ut fiat panis.

4 Cui Iesus respondens: Scriptum est, inquit, non solum pane vivere hominem, sed etiam eo omni, quod ex ore Dei proficiscitur. Deut. 8, 3.

5 Tum diabolus eum in excelsum montem subduxit, & ei omnia mundi regna momento temporis ostendit,

6 Eumque sic allocutus est diabolus: Hanc ego omnem potestatem, eorumque gloriam omnem tibi dabo. Nam ea mihi tradita est, ita ut cuicunque velim, eam donem.

7 Quod si tu me coram adoraveris, erunt omnia tua.

8 Iesus ei respondens: Abi post me, Satana, inquit, Scriptum est enim: Dominum Deum tuum adorato, eumque solum colito. Deut. 6, 13. & 10, 20. 1. Sam. 7, 3.

9 Duxit item eum Hierosolymam, & in templi pinnis collocavit, atque ita allocutus est: Si Dei filius es, jace teipsum hinc deorsum.

10 Nam ita scriptum est: Angelis suis de te mandabit, ut te custodiant, Ps. 91, 11.

11 Manibusque sustineant, ne pedibus in lapides impingas.

12 At Iesus sic ei respondit: Dictum est, Dominum Deum tuum ne tentato. Deut. 6, 16.

13 Et diabolus, peracta omni tentatione, ab eo discessit ad tempus.

14 Iesus vero vi Spiritus rediit in Galilæam dimanavitque ejus fama totam regionem finitimam: Matth. 4, 12. Marc. 1, 14. Ioh. 4, 43. Act. 10, 37.

15 Et ipse docebat in eorum Synagogis, ab omnibusque celebrabatur.

16 Venit autem Nazaretham, ubi fuerat educatus: & ingressus (ut erat ei mos) die Sabbathi in Synagogam, surrexit ad legendum. Matth. 2, 23. & 13, 54. Marc. 6, 1. Ioh. 4, 43. Neh. 8, 5. 6.

17 Traditus est autem ei vatis Esaiæ liber: quo libro explicato, reperit locum ubi sic scriptum erat: Es. 42, 7. & 61, 1. 2. Matth. 11, 5.

18 Spiritu Domini præditus sum, quandoquidem me unxit, me ad læta pauperibus nunciandum misit: ad medicandum mente fractis:

19 Ad edicendam captivis liber-

bertatem, & cæcis visum: ad calamitosos in libertatem emittendos: ad educendum favorabilem Domini annum. Lev. 25, 10.

20 Deinde plicato libro, & ministro tradito, resedit: & omnium in Synagoga oculis in eum intentis,

21 Cœpit eis dicere, id scriptum hodie esse audientibus eis comprobatum.

22 Atque omnes de eo testabantur, & orationis gratiam mirabantur, quæ ex ejus ore manabat, ac ita dicebant: Nonne hic est Josephi filius?

Es. 50, 4. Matth. 13, 54. Marc. 6, 2, 3. Joh. 6, 42.

23 Et ille: Omnino (inquit eis) mihi dicetis hoc proverbium: Medice, cura teipsum. Quæ Capernai facta audivimus, fac etiam hic in tua patria.

Matth. 4, 13. & 15, 54.

24 Hoc vobis confirmo, inquit, nullum vatem acceptum esse in sua patria. Matth. 13, 57. Marc. 6, 4. Joh. 4, 44.

25 Atque hoc a me certo sic habetote: Multæ viduæ erant Eliæ temporibus apud Israelitas, cum cœlo per tres annos & sex menses clauso, extitit gravis fames per totam terram:

Iac. 5, 17. 1. Reg. 17, 7.

26 Et tamen ad earum nullam missus est Elias, sed tantum ad Sarephtham Sidonium oppidum, ad mulierem viduam.

27 Et multi erant sub Elisæo vate leprosi apud Israelitas, & tamen nullus eorum purgatus est, sed tantum Naaman Syrus.

2. Reg. 5, 14.

28 Hæc audientes omnes in Synagoga, ira pleni surrexerunt,

29 Eumque ex oppido ejecerunt, & usque ad montis cacumen (in quo constructum erat eorum oppidum) duxerunt, ut eum præcipitarent.

30 At ille per medios digressus abiit.

31 Et Capernaum Galilææ oppidum digressus, docebat eos Sabbathis:

Matth. 4, 13. Marc. 1, 21.

32 Atque illi ejus doctrinam stupebant, quippe cujus in oratione inesset autoritas.

Matth. 7, 28. 29. Marc. 1, 22.

33 Erat autem in Synagoga homo habens impuri Dæmonii spiritum, qui magna voce sic exclamavit:

34 Heu, quid tibi nobiscum rei est, Iesu Nazarene? Venisti perditum nos? Novi te quis sis, Sanctus Dei.

35 At Iesus eum objurgavit: Obmutesce, inquit, & ex isto exi. Tum dæmonium, illo in medium prostrato, exivit ex eo, nihilque læsit eum.

36 Quare attoniti omnes, inter se sic hunc in modum colloqui: Quæ est hæc oratio, quod cum autoritate potentiaque spiritibus immundis ita imperat, ut exeant?

37 Atque ejus fama in omnia finitimæ regionis loca dimanabat.

38 Digressus autem ex Synagoga, intravit in Simonis domum. Laborabat autem Simonis socrus gravi febre. Itaque illi eum pro ea rogarunt.

Matth. 8, 14. Marc. 1, 29, 30.

39 Et ille supra eam astans, febrem objurgavit, & febris eam reliquit: atque illa continuo surrexit, eisque ministrare cœpit.

40 Occidente autem sole, omnes quicunque variis morbis ægrotos habebant, eos ad eum adducebant: & eos ille, impositis unicuique manibus, sanavit.

Matth. 8, 16. Marc. 1, 32. & 7, 32. & 8, 23. 25.

41 Exibant etiam ex multis dæmonia, ita clamantia: Tu es Christus Dei filius. Sed objurgans ille, non sinebat ea dicere se scire eum esse Christum.

Marc. 1, 34. & 3, 11.

42 Deinde orta die, digressus concessit in desertum locum: eumqve vulgo quærentes homines, ad eum venerunt, eumque ne ab ipsis discederet, retinebant.

43 At ille eis dixit, oportere se aliis quoque civitatibus nunciare Dei regnum: ad id enim se esse missum.

44 Ita per Galilææ Synagogas prædicabat.

CAP. V.

Christus è navi docens. Piscium præda. Piscatores Jesu sectatores. Leprosus ad fanum. Iesus orans. Per tegulas paralyticus. Iesus in noxas, & morbum. Levi vocatio. Pravi Iesu convivæ. Pharisæi confutati. Christi munus. Collationes ægrorum, nuptiarum, vestis, vini.

CUm autem hominum turba divini sermonis audiendi gratia ei incumberet ad Genesarethicum lacum astanti,

Matth. 13, 1. Marc. 4, 1.

2 Conspicatus duo navigia ad lacum stantia (de quibus degressi piscatores retia lavabant) conscendit navigiorum alterum, quod Simonis erat:

Matth. 4, 18. Marc. 1, 16.

3 Eumque monuit, ut paulum a terra summoveret, reseditque, & hominum turbam ex navigio docere cœpit.

4 Deinde facto loquendi fine, Simoni jussit, ut in altum subduceret, utque sua retia laxarent ad prædam. Ioh. 21, 6.

5 Cui Simon respondit: Præceptor, tametsi totam noctem laborantes nihil cepimus, tamen ad tuum dictum laxabo rete.

6 Atque eo facto, tantam piscium multitudinem conclusserunt, ut disrumperetur eorum rete.

7 Itaque sociis innuerunt, qui in altero erant navigio, ut se adjutum venirent. Qui ubi venerunt, utramque navem adeo repleverunt, ut eæ summergerentur.

8 Eo viso, Simon Petrus ad Jesu genua se abjecit, &, Discede a me, inquit, Nam ego nocens homo sum, Domine.

9 Erat enim stupore correptus tum ipse, tum omnes ejus comites, ob piscium, quam ceperant, prædam. Similiter & Iacobus ac Johannes Zebedæi filii, qui erant Simoni socii.

10 At Iesus Simoni dixit: Ne metue, deinceps homines capies.

Ier. 16, 16. Ezech. 47, 9. Matth. 4, 19. Marc. 1, 17.

11 De-

11 Deinde illi, deductis ad terram navibus, eum relictis omnibus secuti sunt.

12 Cum esset autem in quodam oppido, ecce vir quidam lepra scatens, qui viso Iesu pronus accidit, eumque sic oravit: Domine, si vis, potes me purgare. Matth. 8, 2. Marc. 1, 40.

13 Et ille porrecta manu eum tetigit, &, volo, inquit, purgator; & protinus ab eo lepra discessit.

14 Ille autem ei præcepit, ne cui diceret: sed, i ostensum te sacerdoti, & ob tui purgationem libato quod præcipit Moses, ut sit eis testimonio. Lev. 13, 2, & 14, 2. 21. 22. Matth. 8, 4.

15 Increbescente autem sermone de eo, ingens ad eum conveniebat hominum multitudo, ut audirent, & ab eo a suis morbis sanarentur.

16 Ipse vero in deserta loca secedebat, ac supplicabat.

17 Quodam autem die cum doceret, assidentibus Pharisæis ac Legisperitis, qui passim ex Galilæa & Iudæa vicis, & a Hierosolyma convenerant: cumque Domini vis in illis sanandis adesset,

18 Viri quidam ferebant in lecto hominem, qui erat sideratus, eumque conabantur introferre, & ei proponere.

Matth. 9, 2. Marc. 2, 3. Act. 9, 33.

19 Cumque non invenirent qua eum introferrent propter turbam, conscenso tecto, per tegulas eum, una cum lectulo, in medium demiserunt ante Iesum.

20 Et ille videns eorum fidem dixit ei: Homo, ignoscuntur tibi tua peccata.

21 At Scribæ & Pharisæi ceperunt hunc in modum cogitare: Quis est hic, qui tam impia loquatur? Quis ignoscere peccata potest, nisi solus Deus?

Ps. 32, 5. Es. 43, 25.

22 Et Iesus, cognitis eorum cogitationibus, sic eos affatus est: Quid cogitatis cum vestris animis?

23 Utrum facilius est dicere, ignoscuntur tibi peccata tua, an dicere, surge & ambula?

Matth. 9, 5.

24 Atque ut intelligatis, potestatem habere homine natum in terris ignoscendi peccata: tibi dico (inquit sideratio) surge, & sublato lectulo tuo, i domum tuam:

25 Atque ille continuo in eorum conspectu surrexit: & eo, in quo jacebat lectulo, sublato, abiit domum suam, Deum laudans.

26 Ea re attoniti omnes, Deum collaudare metuque repleri, dicentes, sese hodie incredibilia vidisse.

27 Postea egressus, & publicanum Levim nomine conspicatus ad publicanorum mensam sedentem, dixit ei, Sequere me.

Matth. 9, 9. Marc. 2, 14, 15.

28 Et ille, relictis omnibus, surrexit, eumque secutus est.

29 Fecit autem ei celebre convivium Levis domi suæ, ubi cum ingens publicanorum, aliorumque cum eis epulantium turba foret,

Matth. 9, 10. Marc. 2, 15. Luc. 15, 1.

30 Fremebant Scribæ & Pharisæi contra ejus discipulos, hujusmodi verbis: Cur cum publicanis & improbis cibum & potionem sumitis?

31 Quibus respondit Iesus in hunc modum: Non egent valentes medico, sed quibus male est.

Matth. 9, 12. 13. Marc. 2, 17. Luc. 19, 10.

32 Non veni vocatum insontes, sed sontes ad frugem.

1. Tim. 1, 15.

33 Illi vero sic ei dixerunt: Qui fit ut Johannis discipuli crebro jejunent, ac precibus utantur, itidem & Pharisæorum, tui vero epulentur atque potent?

Matth. 9, 14. Marc. 2, 18.

34 Quibus ille: Potestisne efficere, inquit, ut qui nuptias celebrant, donec eis sponsus adest, jejunent?

Es. 62, 5. 2. Cor. 11, 2.

35 Sed veniet tempus, cum sponso privabuntur, atque eo quidem tempore jejunabunt.

36 Dicebat item eis hanc collationem: Nemo novæ vestis pittacium adhibet veteri vesti: alioqui & novam scinderet, nec veteri quadraret ex nova pittacium.

Matth. 9, 16. 17. Marc. 2, 21. 22.

37 Neque quisquam condit vinum novum in utres veteres: alioquin rumperet vinum novum utres, & ipsum effluueret, & utres perirent.

38 Sed vinum novum in novos utres condendum est: ita fit ut ambo conserventur.

39 Neque vero quisquam potato vetere, protinus vult novum: dicit enim, vetus esse melius.

CAP. VI.

De spicis refutati Pharisæi. Tabida manus. In Christum insidiæ, is pernox orans. XII. Apostoli. Beati qui. Qui miseri. Amandus hostis, plaga, vis, furta, lex naturæ, mutuum, Clementia. Temerarium judicium: largitas. Cæci cadentes, festuca, trabs. Arbos varia. Varius ædificator.

ACcidit autem, ut cum Sabbato secundo primo iter per sata faceret, vellerent ejus discipuli spicas, manibusque confricatas comederent. Deut. 23, 35.

Matth. 12, 1. Marc. 2, 23.

2 Quibus Pharisæorum quidam sic dixerunt: Cur facitis quod Sabbathis facere non licet?

Exod. 20, 10. & 23, 12. & 31, 15. & 35, 2.

3 At Iesus eis respondens: Illudne non legistis, inquit, qvid fecerit David, cum esuriret ipse, & ejus comites?

4 Ut in Dei ædem ingressus, appositities panes sumpserit, comederitque, & suis dederit comitibus, quibus tamen vesci non licet, nisi solis sacerdotibus.

Exod. 29, 32. 33. Lev. 8, 32. & 24, 6. 9.

5 Dominus est homine natus (inquit eis) etiam Sabbathi.

Matth. 12, 8. Marc. 2, 28.

6 Accidit autem etiam alio Sabbatho, ut in Synagogam ingressus doceret: ubi cum homo esset dextera manu tabida,

Matth. 12, 9. 10. Marc. 3, 1.

7 Observabant eum Scribæ & Pharisæi, an in Sabbatho curaret, ut crimen adversus eum invenirent.

8 At

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt urn:nbn:de:gbv:3:1-648051-p0124-3

8 At ille eorum cogitationes intelligens, dixit homini ſiccam habenti manum: Surge, & ſta in medio. Cumque ille ſurrexiſſet & ſtaret,

9 Dixit Ieſus illis: Interrogabo vos, utrum Sabbathis benefacere liceat, an malefacere? vitam ſervare an perdere?

10 Deinde omnes illos circum intuitus, dixit homini: Porrige manum tuam. Quod poſtquam ille fecit, reddita eſt ejus manus tam ſana quam erat altera.

1. Reg. 13, 6.

11 At illi furoris pleni, colloqui inter ſeſe quid Ieſu facerent.

12 Per eos autem dies profectus eſt in montem ad orandum, & pernox oravit.

Matth. 14, 23.

13 Deinde orto die diſcipulos ſuos convocavit, ex eiſque duodecim elegit, quos etiam Apoſtolos nominavit.

Infr. 9, 1. Matth. 10, 1. Marc. 3, 13. & 6, 7.

14 Simonem quem etiam Petrum nominavit, & Andream ejus fratrem: Iacobum & Iohannem: Philippum & Bartholomæum:

15 Matthæum & Thomam: Iacobum Alphæi filium, & Simonem nomine Zelotam:

16 Iudam Iacobi fratrem, & Iudam Iſchariotam, eum qvi fuit proditor.

17 Cum his digreſſus, ſtetit in campeſtri loco, nec non ejus diſcipulorum grex, & ingens hominum multitudo ex omni Iudæa, & Hieroſolyma, & Tyria Sidoniaque ora, qui venerant ut eum audirent, & a ſuis morbis curarentur: Matth. 4, 25. Marc. 3, 7.

18 Item qui ab impuris ſpiritibus vexabantur. Atque illi ſanabantur:

19 Eumque vulgus omne tangere conabatur: ſiquidem vis ab eo proficiſcebatur, quæ ſanabat omnes.

Matth. 14, 36. Marc. 5, 30.

20 Atque ille conjectis in diſcipulos ſuos oculis, ſic dicere: Beati pauperes, nam veſtrum eſt Dei regnum. Matth. 5, 2. &c.

21 Beati qui nunc eſuritis: nam ſaturabimini. Beati qui nunc ploratis: nam ridebitis.

Eſ. 55, 1. & 61, 3. & 65, 13. & 66, 10.

22 Beati eritis, cum vos oderint homines, & ſeparabunt & conviciabuntur, veſtrumque nomen tanquam malum propter homine natum abjicient.

23 Gaudete tum & exultate: ſcitote enim grandem vobis eſſe mercedem in cœlis. Eodem enim modo faciebant vatibus majores eorum.

Act. 5, 41. & 7, 51.

24 Verum væ vobis divitibus: ſiquidem jam habetis veſtrum ſolatium.

Amos 6, 1. 8. Eccleſ. 31, 8.

25 Væ vobis qui pleni eſtis: nam eſurietis. Væ vobis qui nunc ridetis: nam lugebitis atque plorabitis.

Eſ. 65, 13. Iac. 4, 9. & 5, 1.

26 Væ vobis cum vobis benedicunt omnes homines: idem enim faciebant falſis vatibus majores eorum.

27 Sed vobis hoc dico, audi-

tores: amate inimicos vestros, benefacite eis qui vos odere.

Exod. 23, 4. Prov. 25, 21. Matth. 5, 44. Rom. 12, 14. 20. 1. Cor. 4, 12.

28 Bene precamini iis qui vobis imprecantur: & pro eis orate qui vos afficiunt injuria.

Luc. 23, 34. Act. 7, 60.

29 Ferienti tibi malam, præbe etiam alteram: & auferentem tuum pallium, ne a tunica quidem prohibe.

Matth. 5, 39. 1. Cor. 6, 7.

30 Quin omnibus a te petentibus dato, & ab auferente tua ne repete.

Deut. 15, 7. Matth. 5, 42.

31 Ac quemadmodum vultis ut vobis alii faciant, ita & vos eis facitote.

Matth. 7, 12. Tob. 4, 16.

32 Quod si vestros amatores amatis, quæ vobis debetur gratia? cum etiam improbi suos amatores ament. Matth. 5, 46.

33 Item, si iis benefacitis, qui vobis benefaciunt, quæ vobis gratia debetur? cum vel improbi idem faciant.

34 Et si iis commodatis, a quibus vos recepturos speratis, quæ vobis debetur gratia? cum etiam improbi commodent improbis, ut paria recipiant

Deut. 15, 8. Matth. 5, 42.

35 Enimvero amate vestros inimicos, & benefacite, & commodate, nihil inde sperantes; & vobis erit merces grandis, eritisque Supremi filii, qui sit erga ingratos ac malos benignus. Matth. 5, 44.

36 Este igitur misericordes, ut vester etiam Pater est misericors.

Matth. 5, 48.

37 Ne judicate, & non judicabimini: ne damnate, & non damnabimini, Remittite, & vobis remittetur.

Matth. 7, 1. Rom. 2, 1. 1. Cor. 4, 5.

38 Donate, & vobis donabitur: vobis mensura bona, conferta, concussa, ac superfluens in sinum donabitur. Eadem enim mensura, qua metiemini, remetietur vobis. Prov. 10, 22. & 19, 17. Matth. 7, 2. Marc. 4, 24.

39 Dicebat autem eis similitudinem, Potest ne cœcus cœcum ducere? nonne ambo in foveam cadent? Es. 42, 19. Matth. 15, 14.

40 Non est discipulus supra magistrum suum: quin præclare cum quoque agitur, si eadem conditione est qua ejus magister.

Matth. 10, 24. Ioh. 13, 16. & 15, 20.

41 Quid autem cernis festucam in tui fratris oculo, & trabem in tuo ipsius oculo non animadvertis? Matth. 7, 3.

42 Aut qui potes dicere fratri tuo: Frater, sine ut extraham festucam, quæ est in oculo tuo: ipse trabem, quæ in oculo tuo est, non cernens? Histrio, extrahe prius trabem ex oculo tuo, tum demum cernes ut festucam extrahas, quæ est in tui fratris oculo. Prov. 18, 17.

43 Nulla enim nec bona arbor est, quæ tetrum ferat fructum: nec arbor mala, quæ bonum ferat fructum.

Matth. 7, 17. & 12, 33.

44 Nam ex suo quæque fructu arbor cognoscitur. Non enim ex

ex spinis colliguntur ficus, nec ex rubo vindemiatur uva.

45 Vir bonus ex bona sui cordis cella bonum profert, itemque vir malus ex mala sui cordis cella malum profert, utpote cum ex ejus cordis redundantia loquatur ejus os.

Matth. 12, 34. 35.

46 Quid vero me vocatis Domine, Domine, cum quæ ego dico, non faciatis?

Mal. 1, 6. Matth. 7, 21. & 25, 11. Infr. 13, 23. Rom. 2, 13. Iac. 1, 22.

47 Quisquis ad me venit meaque dicta & audit & exequitur, demonstrabo vobis cui sit similis.

Matth. 7, 24.

48 Est similis homini domum construenti, qui alte fodit, & fundamentum in petra jacit: Deinde si accidit inundatio, quamvis torrens in domum illam impingat, eam tamen convellere nequit, quippe in petra fundatam.

49 Qui vero audit nec exequitur, similis est homini, qui domum in terra sine fundamento construxit, in quam domum si torrens irruit, ea protinus corruit, & ingentem dat ruinam.

CAP. VII.

Centurionis modestia, fides, laus. Servi sanitas. Filius viduæ redivivus. Legatis a Ioanne responsum: hujus laudes. Iudæi puerorum similes. Mulieris unguentum ad mensam Pharisæi: hujus confutatio. Creditores duo. Collatio Simonis ac fœminæ: istius fides.

POstquam omnem orationem suam audiente populo absolvit, ingressus est Capernaum.

2 Cujusdam autem centurionis servus adeo graviter laborabat, ut jam jam obiturus esset, quem servum ille in precio habebat.

Matth. 8, 5.

3 Itaque audiens de Iesu, misit ad eum Iudæorum senatores oratum, ut suum servum sanatum veniret.

4 Et illi Iesum aggressi sedulo rogant, ita dicentes: Dignus est cui tu id præstes:

5 Amat enim gentem nostram, idemque nobis Synagogam construxit.

6 Iesus vero cum eis profectus est. Cumque jam domo non procul abesset, Centurio, missis ad eum amicis, sic monuit: Domine, ne labora: non enim sum dignus, cujus tu tectum subeas.

7 Ideoque mihi ipsi ad te veniendum non putavi. Sed jube verbo, & sanabitur puer meus.

8 Nam ego quoque, qui homo sum alterius potestati subjectus, & militibus præsum, si cui dico, vade, vadit: si alii, veni, venit: si servo meo, fac hoc, facit.

9 His auditis, Iesus miratus est eum, & conversus, sequenti hominum multitudini dixit: Scitote, me ne in Israelitis quidem tantam invenisse fidem.

10 Igitur domum reversi qui fuerant missi, ægrotum servum invenere sanum.

11 Accidit postridie ut proficisceretur in oppidum nomine Naim, comitantibus eum frequen-

quentibus ejus discipulis, & ingenti hominum turba.

12 Atque ut oppidi portæ appropinquavit, ecce efferebatur mortuus, unicus matri filius, eique viduæ, comitante eam frequente oppidanorum turba.

13 Ea visa, miseratus eam Dominus, dixit ei: Ne plora.

14 Deinde ad feretrum accessit, & id tetigit: cumque restitissent qui portabant, dixit: Adolescens, inquam tibi, surge. Act. 9, 40.

15 Tum mortuus sedit, loquique cœpit: atque ille eum matri suæ tradidit.

16 Inde omnes metu correpti, Deum collaudare, dicentes, magnum apud se ortum esse vatem, Deumque suorum curam habere. Marc. 7, 37. Infr. 24, 19. Ioh. 4, 19. & 6, 14. & 9, 17. Sup. 1, 68.

17 Atque is sermo de eo totam Iudæam, finitimamque regionem pervasit.

18 Hæc omnia Iohanni sui discipuli nunciarunt. Matth 11, 2.

19 Et Iohannes advocatos duos quosdam suorum discipulorum, misit ad Iesum, qui ita dicerent: Tune is es qui venturus est, an alium expectemus?

20 Igitur homines Iesum aggressi, dixerunt: Iohannes Baptista nos ad te misit, ut ita diceremus, Tune is es qui venturus est, an alium expectemus?

21 At Iesus eadem hora multos a morbis miseriisque & malis spiritibus curavit, multosque cœcos visu donavit.

22 Deinde illis in hæc verba respondit: Ite renunciatum Iohanni, quæ videritis ac audiveritis. Cæci cernunt, claudi gradiuntur, leprosi purgantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes Evangelium docentur: Es. 29, 18. & 35, 5. & 61, 1.

23 Et beatus est qui in me non offenderit.

24 Deinde digressis Ioannis nunciis, cœpit ad vulgus hominum ita dicere de Ioanne: Ad quid spectandum profecti estis in solitudinem? arundinem vento agitatam. Matth. 11, 7.

25 Sed quid spectatum profecti estis? hominem mollibus indutum vestibus? At qui splendido vestitu & deliciis utuntur, degunt in regiis.

26 Sed ad quid videndum profecti estis? Vatem? Imo vero, inquam vobis, etiam plus quam vatem.

27 Is est de quo scriptum est: Ego tibi meum præmissurus sum nuncium, qui tibi viam præparet. Mal. 3, 1. Matth. 11, 10. Marc. 1, 2.

28 Hoc enim vobis dico: Major in mulierum progenie vates Iohanne Baptista nullus est: & tamen qui in Dei regno minimus est, major est eo.

29 Hoc audito, populus omnis, & publicani Deum collaudarūt, Iohannis baptismo baptizati.

30 At Pharisæi & Legis periti Dei consilium rejecerunt adversus semetipsos, ab illo non baptizati.

31 Et Dominus: Cui igitur rei, inquit, hujus nationis homines comparabo? & cui sunt similes? Matth. 11, 16.

32 Si-

32 Similes ſunt, ut cum pueri in foro manentes, alii ad alios clamant in hunc modum: Nos vobis fiſtula cecinimus, neque ſaltaſtis: vobis luximus, neque ploraſtis.

33 Venit enim Ioannes Baptiſta, qui nec panem comedit, nec vinum bibit: & dicitis, eum habere dæmonium.

Matth. 3, 4. Marc. 1, 6.

34 Venit homine natus, qui & comedit & bibit: & dicitis, hominem eſſe edacem, vinoſumque, & publicanorum ac improborum amicum.

35 Ita ſuis omnibus aliena eſt ſapientia.

36 Rogavit autem eum Phariſæorum quidam, ut ſecum epularetur, itaque ille in Phariſæi domum ingreſſus accubuit.

Matth. 26, 6. Marc. 34, 3. Ioh. 11, 2. & 12, 3.

37 Tum mulier quædam in urbe, eaque impudica, quod eum in Phariſæi ædibus epulari intellexerat, ungventi alabaſtrum ferens,

38 Ei a tergo flens, aſtitit ad pedes, cœpitque ejus pedes lacrymis rigare, & capitis ſui capillis abſtergere, ac deoſculari, & ungvento ungere.

39 Quo viſo Phariſæus, qui eum invitaverat, ſic apud ſeſe cogitavit: Hic ſi vates eſſet, cognoſceret quæ qualisque fœmina ſit quæ eum attrectat; eſt enim impudica. Inf. 15, 2.

40 At Ieſus ſic eum contra allocutus eſt: Simon, habeo quod tibi dicam. Cui ille: Dic Magiſter, inquit.

41 Duo debitores erant cuidam creditori, quorum alter quingentos debebat denarios, alter quinquaginta.

42 Ii quoniam ſolvendo non erant, ille utrique condonavit. Dic igitur, uter eorum plus eum amabit?

43 Cui Simon reſpondens: Is opinor, inquit, cui plus condonavit. Et ille: Recte judicas.

44 Deinde ad fœminam converſus: Vides hanc fœminam, inquit Simoni. Tu mihi domum tuam ingreſſo, ne aquam quidem ad lavandos pedes meos dediſti: at ea pedes meos & lacrymis rigavit, & ſui capitis capillis exterſit.

45 Tu mihi oſculum non dediſti: ea vero, ex quo ſum ingreſſus, mihi pedes deoſculari non deſtitit.

46 Tu nec oleo mihi caput unxiſti, & ea ungvento mihi pedes etiam unxit.

47 Quamobrem ſic habeto, ei ejus peccata, quæ multa ſunt, ignoſci, quoniam multum amavit. Cui vero paulum ignoſcitur, paulum amat.

48 Ignoſcuntur tibi peccata, inquit ei. Matth. 9, 2.

49 At convivæ apud ſeſe cogitare cœperunt, quisnam is eſſet, qui etiam peccata ignoſceret.

Matth. 9, 3. Marc. 2, 7.

50 Et ille ad mulierem: Tua te fides ſervavit, inquit, abi ſalva.

Matth. 9, 22. Marc. 5, 34. & 10, 52. Luc. 8, 48. & 18, 42.

CAP. VIII.

Seminis varia sors, explicatio. Candela in domo. Christi proximi. Procella. Christi quies. Pavor suorum. Tranquillitas. Legio in porcos. Gadareni contra Iesum. Profluvium diuturnum. Iairi filia revivisca.

DEinceps vadebat oppidatim & pagatim prædicans, Deique regnum nuncians, comitantibus eum duodecim,

2 Et quibusdam fœminis, quæ fuerant a malis spiritibus morbisque curatæ: Maria nomine Magdalena, ex qua septem exierant dæmonia, Matth. 27,55.56. Marc. 16, 9. Ioh. 19, 25.

3 Et Iohanna Chuzæ uxore, procuratoris Herodis, & Susanna, aliisque multis, quæ eis suis facultatibus ministrabant.

4 Confluente autem ingenti multitudine & hominibus passim ex oppidis eum adeuntibus, sic per similitudinem locutus est: Matth. 13,3. Marc. 4, 1.

5 Ivit sator quidam satum suum semen, quo serente, aliud cecidit apud viam, idque conculcatum est, & ab aereis volucribus comesum.

6 Aliud in petram cecidit, idque exortum aruit, quod humorem non haberet.

7 Item, aliud cecidit inter spinas, idque enatæ simul spinæ suffocarunt.

8 Aliud cecidit in bonam terram, & enatum edidit fructum cum centesimo. Hæc dicens clamabat: Qui aures habet, quibus audire possit, audiat.

9 Interrogarunt autem eum sui discipuli, quænam esset ea comparatio? Matth. 13, 10. Marc. 4, 10.

10 Quibus ille: vobis datum est, inquit, divini regni arcana cognoscere: cum cæteris vero per comparationes agitur, ut videntes non videant, & audientes non intelligant. Es. 6, 9. Ez. 12, 2. Matth. 11, 25. 26. & 13, 14. Marc. 4, 12. Ioh. 12, 40. Act. 28, 26. Rom. 11, 8. 2. Cor. 3, 5. 14.

11 Est autem hæc collatio: Semen est divinus sermo. Matth. 13, 18. Marc. 4, 13.

12 Qui apud viam, ii sunt qui audiunt, deinde venit diabolus, qui sermonem ex eorum animis aufert, ne credant, atque ita salvi fiant.

13 Qui vero in petra, ii sunt qui dum audiunt, cum lætitia accipiunt illi quidem sermonem, sed radicem non habent: itaque credunt ad tempus, & periculorum tempore descisunt. Matth. 13, 20. Marc. 4, 16.

14 Quod vero in spinas cecidit, ii sunt qui, ubi audiverunt, eo veniunt, ut curis, & divitiis, vitæque voluptatibus suffocentur, neque fructum perferant. Matth. 19, 23. Marc. 10, 23. Luc. 18, 24. 1. Tim. 6, 9.

15 Quod vero in bona terra, ii sunt qui probo, & bono animo auditum verbum retinent, & fructum cum patientia ferunt.

16 Nemo vero accensam a se candelam operit aliquo vase, sub lectove ponit, sed candelabro imponit, ut ingredientes lumen

lumen aspiciant. Infr. 11, 33.
Matth. 5, 15. Marc. 4. 21.

17 Nihil enim tam tectum est, quod non sit perspicuum futurum: neque tam occultum quod non sit cognoscendum, & in apertum venturum. Iob. 12, 22. Infr. 12, 2. Matth. 10, 26. Marc. 4, 22.

18 Videte igitur quomodo audiatis. Nam qui habet, ei dabitur: qui vero non habet, ei id etiam, quod videtur habere, eripietur. Matth. 13, 12. & 25, 29.
Marc. 4, 25. Infr. 19, 26.

19 Venerant autem ad eum ejus mater & fratres, qui cum præ turba cum eo congredi non possent, Matth. 12, 46. & 13, 55.
Marc. 3, 31.

20 Et ei a quibusdam nunciatum esset, ejus matrem & fratres foris adesse, eum videre volentes:

21 Ille sic eis respondit: Mea mater, meique fratres ii sunt, qui Dei sermonem audiunt & obeunt. Ioh. 15, 14. 2. Cor. 5, 16.

22 Quodam autem die conscendit ipse cum suis discipulis navem, eisque jussit ut lacum trajicerent:
Matth. 8, 23. Marc. 4, 35. 36.

23 Postquam autem solverunt, navigantibus eis ipse obdormivit: & tanta venti procella in lacum delapsa est, ut illi complerentur, ac periclitarentur.

24 Itaque eum adorti excitarunt, dicentes: Præceptor, præceptor perimus. At ille surrexit, ventumque, & aquæ fluctus objurgavit: atque illa pacata sunt, & facta tranquillitas.

25 Deinde eos sic alloquitur: ubi est vestra fides? At illi territi, mirati sunt, sic inter sese dicentes: Quisnam hic est, qui & ventis & aquæ sic imperet, ut ei obediant?
Iob. 26, 12. Ps. 107, 25.

26 Navigarunt autem in agrum Gadarenorum, qui contra Galilæam est:
Matth. 8, 28. Marc. 5, 1.

27 Atque ei in terram egresso occurrit vir quidam ex urbe, qui dæmonia longo jam tempore habebat, nec vestem induebat, nec domi manebat, sed in monimentis.

28 Is viso Iesu exclamavit, eumque accidit & magna voce dixit: Quid tibi mecum est, Iesu supremi Dei fili? oro te, ne me torqueas.

29 Iusserat enim impuro spiritui, ut ex homine exiret. Nam longo tempore eum ita correptum habebat, ut licet catenis, compedibusque vinctus custodiretur, ruptis vinculis ageretur a dæmone in deserta.

30 Interrogavit autem eum Iesus, quodnam ei nomen esset? Cui ille respondit: Legio: siquidem multa dæmonia in eum intraverant:

31 Eaque illum rogabant, ne sibi imperaret, ut in tartara abirent.

32 Erat illic numerosus porcorum grex, in monte pascentium: itaque dæmonia eum orabant, ut sibi in illos intrare permitteret.

33 Ac illo permittente, egressa ex homine dæmonia, ingressa sunt

sunt in porcos: atque grex per præceps delatus in lacum suffocatus est.

34 Hac re visa subulci fugerunt, idque in oppido & per rura nunciarunt.

35 Et homines videndæ rei causa egressi, venerunt ad Iesum: & sedentem ad Iesu pedes hominem, ex quo exierant dæmonia, vestitum & sanæ mentis nacti, timuerunt.

36 Cumque eis exposuissent qui viderant, quo pacto sanatus fuisset dæmoniacus:

37 Rogavit eum omnis finitimæ Gadarenorum regionis multitudo, ut ab ipsis discederet quoniam magno metu tenebantur. Itaque ille, conscensa navi, reversus est. Act. 16, 39.

38 Et eum quidem orabat ille vir, ex quo exierant dæmonia, ut esset cum eo: Sed dimisit eum Iesus, ita dicens:

Marc. 5, 18.

39 Revertere domum tuam, & quæ tibi fecerit Deus, narrato. Itaque ille discessit, & toto oppido, quid sibi Iesus fecisset, divulgavit.

40 Iesum autem reversum vulgo homines exceperunt: nam eum omnes expectabant.

41 Interea venit vir quidam nomine Iairus, qui Synagogæ magister erat: Is Iesu ad pedes accidit, eumque rogavit, ut domum suam ingrederetur.

Matth. 9, 18. Marc. 5, 22.

42 Erat enim ei unica filia, annorum circiter duodecim, quæ moriebatur.

43 Ac Iesu vadente, & turba eum suffocante, mulier quædam sangvinis profluvio jam a duodecim annis laborans (quæ quidem consumptis in medicos suis omnibus facultatibus a nullo curari potuerat.) Lev. 15, 25.

Matth. 9, 20. Marc. 5, 25.

44 Accessit a tergo, ejusque togæ limbum tetigit, & statim cohibitum est ejus sangvinis profluvium.

45 Tum Iesus: Quis me tetigit? inquit. Cum omnes negarent, dixit Petrus, & qui cum eo erant: Præceptor, te turba angit atque premit, & quæris quis te tetigerit?

46 At Iesus: Tetigit aliquis me, inquit: sensi enim exire ex me vim.

47 Tum mulier, sese non latuisse videns, tremebunda venit, eumque accidit, & quam ob causam eum tetigisset, ei in totius populi præsentia exposuit, utque confestim fuisset sanata.

48 Et ille sic ei dixit: Bono es animo, filia, tua te fides servavit, abi Salva.

49 Adhuc eo loquente, venit a Synagogæ magistro quidam, qui ei filiam mortuam esse dixit, nec esse quod magistro negotium facesseret.

Marc. 5, 35.

50 Quo audito, Iesus sic eum allocutus est: Ne metue: tantum crede, & sanabitur.

51 Deinde ubi domum venit, non sivit quenquam ingredi, nisi Petrum, & Iacobum, & Iohannem, & puellæ patrem atque matrem.

52 Cumque omnes eam plangen-

gentes deplorarent, ille eos piorare vetuit: non enim mortuam esse: sed dormire.

53 At illi eum deribebant, scientes esse mortuam,

54 Ipse vero, ejectis foras omnibus, ejusque prehensa manu, sic clamavit: Puella, surge.

55 Atque illa, reverso ejus spiritu, protinus surrexit, & ille ei cibum dari jussit. Ioh. 11, 11. 13.

56 Attoniti sunt autem ejus parentes, & ille eis, ne cui rem dicerent, præcepit.

CAP. IX.

Apostolorum potestas, egestas, institutio, facta. Herodis trepidi de Iesu cupido. Quinque panes, pisces duo, canistra XII. Rumor de Iesu, suorum sententia. Prædictum supplicium, & resurrectio. Crux piorum, & lucrum. Aliqui superstites. Iesu transformatio cum Elia & Mose. Discipulorum sopor, imprudentia. Vox e nube. Dæmon per discipulos non pulsus. Qui maximus piorum. Qui a Iesu sint discipuli. In Samaritanos diritas. Christi inopia. Mortuos qui curet. Qui ad cœlum ineptus.

CONvocatis autem duodecim dedit eis vim atque potestatem in omnia dæmonia, sanandique morbos: Sup. 6, 13. Matth. 10, 1. Marc. 3, 13. & 6, 7.

2 Eosque ad Dei regnum publicandum, & ægrotos sanandos dimisit, Matth. 10, 7.

3 Eisque dixit: Nihil in viam tollite, neque baculum, neque peram, neque panem, neque argentum, neque binas tunicas habetote. Matth. 10, 9. Marc. 6, 8. Infr. 22, 35.

4 Ac in quamcunque domum intraveritis, ibi manetote, & indidem exitote. Infr. 10, 5. 6. Marc. 6, 10.

5 Quod si qui vos non admiserint, exite ex illa urbe, & pulverem etiam ex vestris pedibus excutite, quod sit adversus eos testimonio. Matth. 10, 14. Marc. 6, 11. Infr. 10, 11. Act. 13, 51. & 18, 6.

6 Igitur illi digressi vicos obibant, ubique Evangelium docentes, & morbos curantes.

7 Cum audivisset autem Herodes tetrarcha, quam multa ab eo fierent, dubitabat, quod dicebatur a quibusdam, Iohannem ex mortuis surrexisse. Matth. 14, 1. Marc. 6, 14.

8 A nonnullis item Eliam extitisse: ab aliis autem, aliquem veterum vatum revixisse.

9 Dicebat autem Herodes: Iohanni ego caput præcidi: sed quis est hic, de quo ego talia audio? eumque videre cupiebat.

10 Reversi autem Apostoli, narrarunt ei quæ fecerant. Et ille, assumptis eis, secessit seorsum in desertum locum, urbis vocatæ Bethsaida. Matth. 14, 13. Marc. 6, 30. seqq.

11 Quo cognito, vulgus hominum eum secutum est: quos ille excepit, eisque de Dei regno loquebatur, & curationis egentes sanabat.

12 Ut autem inclinare dies cœpit, duodecim eum hujusmodi verbis aggressi sunt: Dimitte

mitte hanc hominum multitudinem, ut in finitimos vicos & rura profecti diversentur, & cibaria inveniant: nam hic in deserto loco sumus. Matth. 14, 15. Marc. 6, 35. Ioh. 6, 5.

13 At ille: Præbete vos eis cibum, inquit illis. Cui illi: Non sunt nobis, inquiunt, plures quam quinque panes, & duo pisces: nisi forte eamus emptum ad omnem hunc populum cibaria.

14 Erant enim viri circiter quinquies mille. Tum ille suis discipulis jussit ut curarent, ut illi per quinquagenarios ordines discumberent:

15 Quod postquam illi fecerunt, & ut omnes discumberent, curarunt,

16 Ille sumptis quinque panibus, & duobus piscibus in cœlum intuitus, eos (super eis fausta precatione usus) fregit, & discipulis multitudini apponendos dedit: 1. Sam. 9, 16.

17 Comederuntque omnes ad satietatem, & sublatum est quod eis fragmentorum superfuit, canistra duodecim.

18 Cum autem seorsum orandi gratia esset, & una cum eo adessent discipuli, interrogavit eos his verbis: Quem me vulgo esse dicunt?

Matth. 16, 13. Marc. 8, 27.

19 Cui illi respondent, Iohannem Baptistam, alii Eliam, alii vatem aliquem veterum revixisse.

Matth. 14, 2. Marc. 6, 14.

20 Et ille: Vos vero, inquit eis, quem me esse dicitis? Et Petrus sic ei respondit: Christum Dei. Ioh. 6, 69.

21 Ille vero eis interminatus est, præcepitque ne cui id dicerent:

22 Dixitque oportere hominem natum multa pati, & a senatoribus Pontificibusque & Scribis improbari, ac interfici, & tertia die resurgere. Matth. 16, 21. & 17, 22. Marc. 8, 31. & 9, 31. & 10, 33. Infr. 18, 31. & 24, 7.

23 Dicebat autem ad omnes: Si quis post me venire vult, abneget ipse se, tollatque suam crucem quotidie, & me sequatur. Infr. 14, 27. Matth. 10, 38. & 16, 24. Marc. 8, 34.

24 Nam qui volet animam suam servare, perdet eam: qui vero animam suam mea causa perdet, is eam servabit. Matth. 10, 39. & 16, 25. Marc. 8, 35. Infr. 17, 33. Ioh. 12, 25.

25 Quid enim prodest homini, vel totum lucrari mundum, si seipsum perdat, aut sui jacturam faciat?

26 Quem enim mei meorumque dictorum puduerit, hujus pudebit homine natum, cum in sua & Patris, sanctorumque Angelorum gloria venerit. Infr. 12, 9. Matth. 10, 33. Marc. 8, 38. 2. Tim. 2, 12. 1. Ioh. 2, 23.

27 Hoc autem vobis certo dico, esse quosdam eorum qui hic adsunt, qui non ante sentient mortem, quam Dei regnum videant.

Matth. 16, 28. Marc. 9, 1.

28 Deinde octo fere diebus post hæc dicta, assumpto Petro, & Iohanne, & Iacobo, montem

tem conscendit, precandi gratia.
Matth. 17, 1. Marc. 9, 2.
29 Atque eo precante, facta est ejus vultus species alia, ejusque vestitus candore fulgurans.
30 Et ecce viri duo cum eo colloquebantur, qui quidem erant Moses & Elias:
31 Qui cum splendore conspecti, dicebant ejus exitum, quo perfuncturus erat Hierosolymæ.
32 Petrus vero & ejus comites somno gravati, postquam experrecti sunt, viderunt ejus splendorem, duosque qui apud eum aderant viros.
Dan. 8, 18. & 10, 9.
33 Atque istis ab eo digredientibus, dixit Petrus Iesu: Præceptor, bonum est hic esse nos: faciamus tria tabernacula, tibi unum, Mosi unum, & Eliæ unum.
34 Hæc eo loquente, & quid diceret nesciente, extitit nubes, quæ illos obumbravit. Quibus in nubem ingressis, cum hi territi essent,
35 Extitit ex nube vox dicens: Hic est filius meus charissimus; hunc audite. Deut. 18, 19. Es. 42, 1. Matth. 3, 17. & 17, 5. Marc. 1, 11. & 9, 7. Supr. 3, 22. Act. 3, 22. Col. 1, 13. 2. Pet. 1, 17.
36 Interea dum extitit vox, repertus est Iesus solus: atque illi tacuerunt, neque cuiquam per eos dies quicquam eorum quæ viderant indicarunt.
37 Postridie eis de monte digressis, occurrit ei ingens hominum multitudo. Marc. 9, 14.
38 Et ecce vir quidam ex turba sic clamavit: Magister, quæso te, respice meum filium, qui mihi unicus est,
Matth. 17, 14. Marc. 9, 17.
39 Quem simulac corripuit spiritus, clamat, eumque ille spumas agentem lacerat, & vix ab eo discedit, eum dilanians.
40 Discipulos quidem tuos oravi ut eum ejicerent; sed non potuerunt.
41 At Iesus respondens, diffidens, inquit, perversaque natio, quamdiu apud vos ero? vosque feram? Adduc tuum huc filium.
42 Iam illo accedente, convulsit & laceravit eum dæmonium. Sed Iesus impurum spiritum objurgavit, puerumque sanavit & ejus patri reddidit, omnibus tanta Dei majestate attonitis.
43 Cunctis autem tam multa, quæ fecerat, mirantibus, sic discipulos suos allocutus:
44 Conjicite vos in aures hæc verba: Tradendus est homine natus in hominum manus.
Matth. 16, 21. & 17, 22. Marc. 9, 31.
Infr. 18, 32. Act. 2, 23.
45 At illi dictum illud ignorabant, idque eis ita tectum erat, ut id non sentirent: sed eum de eo dicto interrogare formidabant. Supr. 2, 50. Infr. 18, 34.
Marc. 9, 32.
46 Venerunt autem in cogitationem, quis esset eorum maximus:
Matth. 18, 1. Marc. 9, 33.
Infr. 22, 24.
47 Et Iesus intelligens eorum animi cogitationem, prehenso puc-

puero, & apud se statuto, sic ad eos verba fecit:

48 Qui puerum hunc meo nomine accipit, me accipit: & qui me accipit, eum accipit qui me misit. Nam vestrum minimus quisque maximus erit. Matth. 18, 5. & 23, 11. Marc. 9, 37. Infr. 10, 16. & 14, 11. & 18, 14. Ioh. 13, 20.

49 Tum Ioannes sic eum allocutus est: Præceptor, vidimus quendam nomine tuo ejicientem dæmonia, & eum prohibuimus, quoniam non comitatur nos. Marc. 9, 33.

50 Cui Iesus: Ne prohibete, inquit: Qui enim contra nos non est, a nobis est. Matth. 12, 30. Marc. 9, 40. Infr. 11, 23.

51 Cum autem compleretur ejus assumptionis dies, ipse ita composito vultu, ut Hierosolymam ire videretur, Marc. 16, 19. Act. 1, 2.

52 Præmisit ante se nuncios, qui profecti intrarunt in Samaritanorum vicum, ut ei diversorium pararent.

53 Sed illi eum non admiserunt, quoniam ire se Hierosolymam præ se ferebat. Ioh. 4, 4. 9.

54 Quo viso, ejus discipuli Iacobus & Iohannes dixerunt: Domine, vis, jubeamus ignem de cœlo descendere, qui eos conficiat, ut etiam fecit Elias? 4. (2.) Reg. 1, 10. 12.

55 At Iesus conversus, eos objurgavit: Nescitis, inquit, cujusmodi spiritus filii sitis vos.

56 Nam homine natus hominum vitas non perditum venit, sed servatum: Ita in alium vicum profecti sunt. Ioh. 3, 17. & 12, 47.

57 Vadentibus autem eis in via, dixit ei quidam: Sequar te quocunque iveris, Domine. Matth. 8, 19.

58 Cui Iesus: Vulpes habent antra, inquit, & aereæ volucres nidos: at homine natus non habet ubi caput reclinet.

59 Item alteri dixit: Sequere me. Et ille: Domine, inquit, permitte mihi, ut eam prius sepultum meum patrem. Matth. 8, 21. 22.

60 At Iesus: Sine, inquit ei, mortuos sepelire mortuos suos: tu vero i annunciatum Dei regnum.

61 Item cum alius dixisset: Sequar te, Domine: sed prius permitte mihi vale dicere meis domesticis. 1. Reg. 19, 20.

62 Dixit ei Iesus: Nemo qui aratro admota manu respicit in tergum, aptus est ad Dei regnum.

CAP. X.

Discipuli LXXII. bini missi. Multa messis. Apostolorum calamitas, inopia. Eduliorum potestas. Minæ in Chorazin, & Bethsaidam, & Capharnaum. Reversi discipuli. Dæmon ut fulgur. Piorum gaudia vera. Responsa ad Iuris peritum. Historia de vulnerato a latronibus, qui proximus. Martha & Maria ad pedes Iesu.

POstea constituit Dominus etiam alios septuaginta L. duos G. eosque binos ante se præmisit in omnes urbes & loca, quo ipse venturus erat:

2 Atque eos sic affatus est: Mes-

Messis quidem multa est, sed operarii pauci. Quocirca rogate messis Dominum, ut operarios emittat in messem suam.

Matth. 9, 37. Ioh. 4, 35. 2. Thess 3, 1.

3 Vadite, en ego mitto vos tanquam agnos inter lupos.

Matth. 10, 16.

4 Ne ferte crumenam, nec peram, neque calceos, neve quenquam in via salutaveritis.

4 (2.) Reg. 4, 29. Matth. 10, 9 10. Supr. 9, 3. & 22, 35. Marc. 6, 8.

5 In quamcunque autem domum intrabitis, primum dicite: Salveat hæc domus.

Matth. 10, 12. Marc. 6, 10.

6 Et si quidem erit ibi aliquis salute dignus, requiescet in eo vestra salus: sin minus, ad vos revertetur.

7 At in eadem domo manetote, comedentes & bibentes quæ eis suppetent: nam dignus est operarius mercede sua: Ne migratote ex domo in domum:

Lev. 19, 13. Deut. 24, 14. & 25, 4. Matth. 10, 10. 1. Cor. 9, 4. seqq. 1. Tim. 5, 18.

8 Et in quamcunque urbem intraveritis, admissique fueritis, vescimini iis quæ vobis apponentur:

9 Et qui erunt in ea ægroti, eos curatote, eisque ad eos Dei regnum venisse dicitote.

Matth. 3, 2. & 4, 17.

10 In quam vero urbem ingressi, nec admissi fueritis, exitote in ejus fora, & ita dicitote:

Matth. 10, 14. Marc. 6, 11. Supr. 9, 5. Act. 13, 51. & 18, 6.

11 Etiam pulverem, qui nobis ex urbe vestra adhæsit, vobis abstergimus. Cæterum scitote, ad vos divinum venisse regnum.

12 Sic habetote, cum Sodomis in illa die lenius actum iri, quam cum illa urbe.

Matth. 11, 20. &c.

13 Hei tibi Chorazin, hei tibi Bethsaida: nam si Tyri & Sidone facta forent miracula, quæ facta sunt in vobis, jampridem in centone & pulvere degentes rediissent ad frugem.

14 Itaque cum Tyro & Sidone mitius agetur in judicio, qvam vobiscum.

15 Et tu Capernaum, quæ ad cœlum usque evecta es, ad inferos usque deprimeris.

16 Qui vos audit, me audit: & qui vos repudiat, me repudiat: qui vero me repudiat, eum repudiat qui me misit.

Matth. 10, 40. Marc. 9, 37. Ioh. 13, 20. 1. Thess 4, 8.

17 Reversi autem septuaginta L. duo G. cum lætitia dixerunt: Domine, etiam dæmonia nobis per tuum nomen subjiciuntur.

18 Quibus ille: Spectabam, inquit, Satanam fulguris ritu lapsum de cœlo.

Apoc. 12, 8. 9.

19 Equidem vobis potestatem do serpentes scorpiosque calcandi, & contra omnes hostis vires, ita ut nihil vos læsurum sit.

20 Verum eo ne gaudete, quod vobis subjiciuntur spiritus: sed eo potius gaudete, quod nomina vestra scripta sunt in cœlis.

Exod. 32, 32. Es. 4, 3. Dan. 12, 1. Phil. 4, 3. Apoc. 13, 8.

21 Ea ipsa hora exultavit mente Iesus dixitque: Ago tibi gratias, Pater, cœli terræque Domine, quod hæc sapientes, prudentesque celaveris, & infantibus patefeceris: idque, o Pater, quoniam sic tibi placitum est.

Es. 29, 14. Matth. 11, 25. 1. Cor. 1, 19. 26 & 2, 6. 7.

22 Omnia mihi tradita sunt a Patre meo: neque quisquam novit quis sit filius, nisi Pater: aut quis Pater, nisi filius, & cui voluerit Filius patefacere.

Ps. 8, 7. Matth. 11, 27. & 28, 18. Ioh. 3, 35. & 17, 2. 1. Cor. 15, 27. Eph. 1, 21, 22. Phil. 2, 9. Hebr. 2, 8. Ioh. 1, 18. & 6, 46. & 14, 8. 9.

23 Tum seorsum ad discipulos conversus: Felices, inquit, oculi, qui aspiciunt quæ vos aspicitis.

Matth. 13, 16. 1. Petr. 1, 10.

24 Scitote enim multos vates atque reges voluisse videre quæ vos aspicitis, neque vidisse, & audire, quæ auditis, nec audivisse.

25 Hic surrexit quidam Legisperitus, qui eum hujusmodi verbis tentavit: Magister, quid faciendo sempiternam vitam consequar?

Matth. 22, 35. Marc. 12, 28.

26 Cui ille: in lege quid scriptum est? inquit: quomodo legis?

27 Et ille respondens, Dominum Deum tuum, inquit, toto corde, toto animo, totis viribus, totaque mente amato: itemque proximum tuum perinde ac teipsum. Deut 6, 5. & 10, 12. & 30, 6. Lev. 19, 18. Rom. 13, 9. Gal. 5, 14. Iac. 2, 8.

28 Recte respondisti, inquit ei: id facito & vives.

Lev. 18, 5. Ezech. 20, 11, 13.

29 At ille seipsum commendare volens, dixit Iesu: Ecquis est meus proximus?

30 Tum Iesus ita subjecit: Homo quidam Hierosolyma ad Hierichuntem descendens, in latrones incidit: qvi eum dispoliarunt, inflictisque vulneribus discesserunt, eo seminece relicto.

31 Forte fortuna sacerdos quidam, qui descendebat per eam viam, illum ut vidit, præteriit.

32 Similiter & Levita ad eum locum delatus, ubi venit, viditque, præteriit.

33 Samaritanus vero quidam iter faciens, venit ad eum: eoque viso, misertus accessit.

34 Et ei vulnera oleo vinoque perfusa obligavit, & eum jumento suo impositum duxit in diversorium, ejusque curam egit.

35 Et postridie digressurus deprompsit duos denarios, & cauponi dedit, eique mandavit, ut ejus curam haberet: sese quicquid ille insuper insumpsisset, ei in suo reditu esse soluturum.

36 Quis igitur horum trium tibi videtur proximus illius fuisse, qui in latrones inciderat?

37 Et ille: Qui ei misericordiam tribuit, inquit. Tunc Iesus: i, inquit, & tu facito similiter.

38 Accidit autem, ut eis iter facientibus, ingrederetur in quendam vicum. Et mulier quædam nomine Martha, eum domi suæ accepit.

Ioh. 11, 1. & 12, 2. 3.

39 Huic

39 Huic soror erat nomine Maria, quæ ad Iesu pedes assidens, audiebat ejus orationem.
Act. 22, 3.

40 Martha vero, quæ tanto ministerio distraheretur, sic dicere institit: Domine, hoccine non curas, quod mea soror solam me ministrare sinit? Dic igitur ei, ut me adjuvet.

41 Cui IEsus respondens: Martha, Martha, inquit, tu de multis sollicita turbaris, & uno est opus.

42 Maria bonam conditionem elegit, quæ quidem ab ea non auferetur.

CAP. XI.

Oratio Christi. Petendum, quærendum. Collationes de Amico, de Patre. Calumniæ repulsæ in Iesum, de Beelzebule. Spiritus impurus, vagus. Qui vere beati. Lucerna. Manus illotæ. Hypocritarum ingenia.

CUm autem quodam in loco oraret, postquam desiit, dixit ei quidam ejus discipulorum: Domine doce nos orare, ut & Iohannes docuit suos discipulos.

2 Et ille: Cum orabitis, inquit eis, dicitote: Pater noster qui es in cœlis: Sancte colatur nomen tuum. Veniat regnum tuum. Fiat voluntas tua ut in cœlo, sic & in terra. Matth. 6, 9.

3 Victum nostrum alimentarium da nobis quotidie:

4 Et remitte nobis peccata nostra, quandoquidem ipsi remittimus omnibus qui nobis debent: neve nos in tentationem adducito, sed a Malo tuere.

5 Tum illud eis dixit: si quis vestrum habeat amicum, quem media nocte adeat, eique dicat: Amice, mutua mihi tres panes,
Infr. 18, 1. &c.

6 Etenim ad me venit amicus meus ex via, cui quid apponam non habeo.

7 Atque ille intus ita respondeat: Noli mihi molestiam exhibere: jam clausa janua est, & pueri mei mecum in lecto sunt: non possum surgere, & tibi dare.

8 Mihi credite, etsi non surget ad ei dandum, quia sit ejus amicus: at certe propter ejus improbitatem surget, eique tot dabit, quot ille egebit.

9 Ego quoque vobis dico: Petite, & dabitur vobis: quærite, & invenietis: pulsate, & vobis aperietur: Matth. 7, 7. & 21, 22. Marc. 11, 24. Ioh. 14, 13. & 15, 7. & 16, 23. 24. Iac. 1, 5. 6. 1. Ioh. 3, 22.

10 Quisquis enim petit, adipiscitur: & qui quærit, invenit; & pulsanti aperitur.

11 Quis autem vestrum est, qui pater poscenti filio panem, det lapidem? aut poscenti piscem, det pro pisce anguem?
Matth. 7, 9.

12 Aut si ovum petat, det ei scorpium?

13 Quod si vos, qui mali estis, scitis bona dona dare vestris liberis, quanto magis Pater cœlestis dabit Sanctum Spiritum petentibus a se?

14 Ejiciebat autem dæmonium quod erat mutum: quo dæmonio egresso, locutus est mutus, id quod vulgo mirati sunt:
Matth. 9, 32. & 12, 22.

15 At eorum quidam dicebant, eum per Beelzebulem dæmoniorum principem ejicere dæmonia. Matth.9, 34. & 12, 24. Marc. 3, 22.

16 Alii tentandi gratia signum ab eo petebant de cœlo. Matth. 12, 38. & 16, 1.

17 Quorum ipse cogitationes intelligens, dixit eis: omne regnum a seipso dissidens vastatur, & domus super domum cadit. Matth. 12, 25. Marc. 3, 24. Ioh. 2, 25.

18 Quod si Satanas a seipso dissideret, quo pacto staret ejus regnum? ut vos me dicatis per Beelzebulem ejicere dæmonia?

19 Quod si ego per Beelzebulem ejicio dæmonia, vestri generis homines per quem ejiciunt? Itaque erunt ipsi vestri judices.

20 Sin ego divino digito ejicio dæmonia, ergo venit ad vos divinum regnum.

21 Cum quis fortis armatus suum atrium custodit, saluæ sunt ejus facultates: Matth. 12, 29.

22 Sed si quis eo fortior eum adortus vicerit, ejus & arma, quibus confidebat, aufert, & spolia distribuit. Es. 53, 12. Col. 2, 15.

23 Qui mecum non est, contra me est: & qui mecum non congerit, dissipat.

24 Dum impurus spiritus exiit ex aliquo homine, siticulosa loca peragrat, requietem quærens. Eam postquam non invenit, statuit domum suam redire, unde exierat. Matth. 12, 43.

25 Deinde ubi venit, & eam versam ornatamque offendit,

26 Accersit septem alios spiritus deteriores se: qui illuc ingressi, ibi manent: atque ita fit hominis illius conditio posterior, priore deterior. Ioh. 5, 14. Heb. 6, 4. & 10, 26. 2. Pet. 2, 20.

27 Eo hæc dicente, mulier quædam ex turba, sublata voce dixit ei: Beatus venter qui te portavit, & ubera quæ suxisti.

28 At ille: Imo, inquit, beati qui divinum sermonem & audiunt & conservant. Matth. 7, 21. Rom. 2, 13. Iac. 1, 21.

29 Vulgo autem coeunte, sic infit: Hæc natio mala est: signum quærit: & nullum ei signum dabitur, nisi signum Ionæ vatis. Matth. 12, 39. Ion. 2, 1.

30 Ut enim fuit Ionas signum Ninivitis, sic erit etiam homine natus huic nationi.

31 Austri Regina surget in judicio cum hujus nationis hominibus, eosque damnabit, quod ex ultimis terris venerit auditum Solomonis sapientiam, cum hic sit Solomone præstantior. 3. (1.) Reg. 10, 1. 2. Par. 9, 1. Matth. 12, 42.

32 Homines Ninivitæ surgent in judicio cum hac natione, eamque damnabunt, quod ad Ionæ præconium mores suos correxerint, cum hic sit Iona præstantior. Ion. 3, 5.

33 Nemo accensam lucernam in occulto ponit, aut sub modio, sed

sed in candelabro, ut intrantes lumen aspiciant. Supr. 8, 16. Matth. 5, 15. Marc. 4, 21

34 Lucerna corporis est oculus. Quod si tuus oculus sincerus est, etiam totum corpus tuum lucidum est: sin improbus est, tuum quoque corpus tenebricosum est. Matth. 6, 22.

35 Vide ergo, ne quod in te lumen est, tenebræ sint.

36 Quod si tuum corpus totum erit lucidum, & ita lucidum, ut nullam tenebricosi partem habeat, perinde erit ac si te fulgore lucerna collustret.

37 Hæc locutum rogavit Pharisæus quidam, ut apud se pranderet. Et ille ingressus accubuit.

38 Et Pharisæus miratus est, videns eum non prius ante prandium lavisse. Marc. 7, 3.

39 Et Dominus dixit ei: Nunc vos Pharisæi exteriorem poculi catinique partem purgatis, cum interiora vestra rapinæ sint & malitiæ pleua. Matth. 23, 25. Tit. 1, 15.

40 Dementes, quasi vero non idem qui exteriora fecit, etiam interiora fecerit.

41 Facite modo benigne ex iis quæ suppetunt, ita fiet ut vobis omnia munda sint. Es. 58, 7. Dan. 4, 27. Infr. 12, 33.

42 Sed væ vobis Pharisæis, qui mentam, rutam, denique omne olus decimatis, & æquitatem Deique amorem prætermittitis. Debebant & hæc fieri, & illa non omitti. 1. Sam. 15, 22. Os. 6, 6. Mich. 6, 8. Matth. 9, 13. & 12, 7. & 23, 23.

43 Væ vobis Pharisæis, qui primum sedendi locum in Synagogis, & salutationes in foris amatis. Infr. 20, 46. Matth. 23, 6. Marc. 12, 38.

44 Væ vobis Scribæ & Pharisæi personati, qui perinde estis atque abdita sepulchra, super quæ inscientes gradiuntur homines. Matth. 23, 27.

45 Tum sic eum allocutus est quidam legisperitus: Magister, ita dicens, nobis quoque facis injuriam.

46 At ille: Et vobis legisperitis, inquit, væ, qui alios gravissimis oneratis oneribus, quæ onera vos ne uno quidem digito attingitis. Es. 10, 1. Matth. 23, 4. Act. 15, 10.

47 Væ vobis, quod vatum monimenta extruitis, cum vestri majores eos interfecerint. Matth. 23, 29.

48 Ergo vobis majorum vestrorum facta placere testamini, dum quos illi peremerunt, eorum vos monimenta extruitis.

49 Itaque divina sapientia sic fata est: Mittam ad eos vates & legatos, quos partim interficient, partim persequentur, Matth. 10, 16. & 23, 35. Supr. 10, 3. Ioh. 16, 2. Act. 7, 51. 52. Hebr. 11, 35.

50 Ut de hac natione supplicium sumatur sanguinis omnium vatum, ab orbe condito effusi: Matth. 23, 35.

51 Ab Abelis sanguine, usque ad Zachariæ sanguinem, qui inter aram & ædem peremptus est. Ita est, inquam vobis, sumentur de hac natione pœnæ. Gen. 4, 8. 2. Par. 24, 21.

52 Væ vobis legisperitis, qui scientiæ clavem abstulistis, nec ipsi intrastis, & intrantes impedivistis. Matth. 23, 13.

53 Hæc eo ad illos dicente, cœperunt legisperiti & Pharisæi acriter instare, & ejus orationem multis rationibus insidiose captare,

54 Conantes aliquid ex ejus ore aucupari, quo eum criminarentur.

CAP. XII.

Pharisæorum fermentum. Quis nobis timendus. Dei de suis cura. Quos Iesus tandem agnoscet. Cui non ignoscetur unquam. Doctor Spiritus Sanctus. Avari consilium vanum. Dei de nobis providentia. Thesaurus ubi statuendus. Servus malus percussor. Sciens, imprudens. Ignis a Christo. Orbis dissidia.

INterea cum tot vulgi millia convenissent, ut inter se opprimerent, cœpit ille sic ad suos discipulos verba facere: Inprimis cavete vobis a Pharisæorum fermento, hoc est simulatione.

Matth. 16, 6. Marc. 8, 15.

2 Nihil enim tam tectum est, quod non sit detegendum, neque tam occultum, quod non sit cognoscendum.

Iob. 12, 22. Supr. 8, 17. Matth. 10, 26. Marc. 4, 22.

3 Itaque quicquid in tenebris dixeritis, id in luce audietur: & quod in aurem in penetralibus locuti fueritis, id in tectis prædicabitur.

4 Hoc autem vobis amicis meis dico: Ne eos timete qui corpus quidem interficiunt, sed deinde quid amplius faciant, non habent.

Ier. 1, 8. Matth. 10, 28. 1. Pet. 3, 14.

5 Sed vobis demonstrabo quem timeatis. Timete eum, qui postquam interfecit, potestatem habet in gehennam conjiciendi: hunc, inquam, timete.

6 Cum veneant quinque passerculi duobus assariis, tamen eorum nullus in oblivione est apud Deum. Matth. 10, 29.

7 At vestrum etiam capitis capilli sunt omnes numerati. Quare ne timete, longe passeres antecellitis. 1. Sam. 14, 45. 2. Sam. 14, 11. 1. Reg. 1, 52. Infr. 21, 18. Act. 27, 34.

8 Illud quidem sic habetote: quisquis me apud homines agnoverit, hunc vicissim homine natus agnoscet apud divinos Angelos: Supr. 9, 26. Matth. 10, 32. Marc. 8, 38. 2. Tim. 2, 12. 1. Ioh. 2, 23.

9 Qui vero me apud homines abnegaverit, abnegabitur apud divinos Angelos.

10 Et quisquis aliquid adversus homine natum dixerit, ignoscetur ei: sed ei, qui Sancto Spiritui maledixerit, non ignoscetur. Matth. 12, 31. Marc. 3, 28. Hebr. 10, 26. 1. Joh. 5, 16.

11 Cum autem in Synagogas, & ad Magistratus potestatesque sistemini, ne solliciti estote, quomodo, aut quid respondeatis aut dicatis. Matth. 10, 19. Marc. 13, 11. Infr. 21, 14.

12 Sanctus enim Spiritus docebit vos eadem hora quæ dicenda sint.

13 Di-

13 Dixit autem ei quidam ex turba: Magister, jube meo fratri, ut mecum hereditatem partiatur.

14 Cui ille: Homo, inquit, quis me vobis judicem aut divisorem constituit?

15 Deinde illos alloquens: Videte, ut avaritiam caveatis. Non enim in eo cujusque vita sita est, si facultatibus abundet.
1. Tim. 6, 7.

16 Tum eis hujusmodi similitudinem dixit: Quidam dives homo, cum ejus fundus abunde extulisset,

17 Sic secum ipse cogitabat: Quid agam, cum non habeam, quo meas fruges congeram?

18 Hoc agam, inquit: Horrea mea diruam, & majora construam, eoque omnes meos proventus, & bona congeram,

19 Atque ita animæ meæ dicam: Anima, habes multa bona in multos annos condita, requiesce, comede, bibe, indulge voluptati. Eccl. 11, 9. Sir. 11, 19.
1. Cor. 15, 32. Iac. 5, 5.

20 At Deus sic eum interpellavit: O demens, hac nocte reposcetur a te anima tua: quæ vero parasti, cujus erunt?
Iob. 20, 22. & 27, 8. Ps. 52, 7. & 39, 7. Ier. 17, 11.

21 Sic accidit ei, qui sibi ipsi congerit, neque Deo dives est.

22 Hanc ob rem vobis ita dico (inquit suis discipulis) ne solliciti este de vita vestra, quid comesuri, neque de corpore, quid induturi sitis.
Ps. 55, 23. Matth. 6, 25. 1. Tim. 6, 8. Phil. 4, 6. 1. Pet. 5, 7.

23 Vita plus est quam alimentum, & corpus quam indumentum.

24 Contemplamini corvos, qui neque serunt neque metunt, neque cellam, aut horreum habent, tamen eos nutrit Deus: quanto vos volucribus præstatis? Iob. 39, 3. Ps. 147, 9.

25 Quis autem vestrum sua cura possit staturam suam augere uno cubito? Matth. 6, 27.

26 Quod si ne minima quidem potestis, quid de cæteris sollicitamini?

27 Contemplamini lilia, ut crescant, cum neque laborent, neque neant. Atqui scitote ne Solomonem quidem in suo tanto splendore vestiri solitum, ut eorum quodlibet.

28 Quod si herbam, quæ hodie est in agro, & cras in clibanum conjicitur, tamen Deus ita vestit, quanto magis vos? o parum fidentes.

29 Vos igitur ne requirite quid esuri bibiturive sitis; neve pendete:

30 Hæc enim omnia mundi gentes requirunt; quæ vobis opus esse scit Pater vester:

31 Sed quærite Dei regnum, & hæc omnia vobis addentur.
1. Reg. 3, 13. Ps. 37, 25. & 73, 25.

32 Ne formidate, o parvum ovile; nam visum est Patri vestro vobis dare regnum.
Matth. 11, 25, 26.

33 Vendite facultates vestras, & egentibus largimini. Facite vobis crumenas quæ non veterascant, thesaurum inexhaustum in cœlis, quo neqve fur

accedit, neque tinea corrumpit.
Matth.6,20. & 19,21. Luc.16,9.
Act 2,45. & 4,34.1. Tim 6, 19.

34 Nam ubi est thesaurus vester, ibi etiam erit vester animus.

35 Sint vobis latera succincta, & ardentes lucernæ:
Eph. 6, 14. 1. Pet. 1, 13.

36 Similesque hominibus este dominum suum expectantibus, quando discedet a nuptiis, ut simulac venerit & pulsaverit, ei aperiant.

37 Felices illi servi, quos cum venerit dominus, invenerit vigilantes. Mihi credite, accinget se, eosque accumbere jubebit, & eis ministratum veniet.

38 Quod si, seu secunda, seu tertia venerit vigilia, idem invenerit, felices sunt illi servi.

39 Illud autem scitote, si sciret paterfamilias qua hora fur venturus esset, vigilaturum esse, neque domum suam perfodi passurum.
Matth. 24, 43. 1. Thess 5, 2.
2. Pet. 3, 10. Apoc. 3, 3. & 16, 15.

40 Vos igitur este parati: nam qua hora non putatis, homine natus venturus est.
Matth. 24, 44. & 25, 13. Marc. 13, 33. Infr. 21,34. 1. Thess. 5,6.

41 Tum Petrus, Domine, inquit ei, ad nosne similitudinem istam dicis, an etiam ad omnes?

42 Et Dominus: Si quis est fidelis dispensator & prudens, inquit, quem præfecerit herus suæ familiæ, ut suo tempore demensum præbeat:
Matth.24, 45. & 25, 21 1.Cor.4,2.

43 Beatus est ille servus, quem cum venerit ejus herus, invenerit officium suum facientem.

44 Mihi certo credite, eum suis omnibus facultatibus præficiet.

45 Sin cogitaverit servus ille cum animo suo, herum suum diu non venire, cœperitque famulos & famulas pulsare, epularique & potare, & inebriari:

46 Veniet herus illius servi inexpectato ei die, ignotaque hora, eumque dissecabit, & in infidelium numero habebit.
Matth. 24, 51.

47 Is vero servus, qui cum heri sui voluntatem sciret, non mandata fecerit, nec ejus voluntati paruerit, gravius vapulabit.
Iac. 4, 17.

48 Qui vero nesciverit, & plagis digna fecerit, levius vapulabit. At cuicunque multum traditum fuerit, ab eo multum exigetur: & quanto cuiquam plus commissum fuerit, tanto plus ab eo reposcetur.

49 Ignem veni injectum in terram, qui si jam incensus est, quid volo? Matth. 10, 34.

50 Baptismo baptizandus sum, qui dum absolvetur, vehementer angor.
Matth. 20, 2. Marc. 10, 38.

51 An me ad pacem in terris conciliandam venisse arbitramini? Nequaquam, inquam vobis, sed potius discordiam.
Matth. 10, 34. Mich. 7, 6.

52 Erunt enim deinceps quinque in una domo dissidentes, tres a duobus, & duo a tribus.

53 Dis-

53 Dissidebit pater a filio, & a patre filius: mater a filia, & a matre filia: socrus a nuru sua, & a socru nurus.

Matth. 10, 35.

54 Deinde ad vulgus: Dum videtis, inquit, exorientem ab occasu nubem, continuo dicitis adventare pluviam, atque ita fit.

Matth. 16, 2.

55 Et dum spirantem austrum, dicitis æstum futurum, id quod fit.

56 Ficti homines, terræ cœlique faciem discernere scitis: tempus hoc, qui fit, ut non discernatis?

57 Aut cur ex vobis ipsis non judicatis ex æquo?

58 Cum enim una cum adversario tuo magistratum adis, da operam in via, ut ab eo libereris, ne te & ille ad judicem pertrahat, & judex lictori tradat, & lictor det in custodiam:

Prov. 25, 8. Matth. 5, 25.

59 Mihi crede, non exibis inde, quin ultimum etiam teruncium solveris.

CAP. XIII.

Galilæi per Pilatum cæsi, defensi a Christo. Exemplum ficus in vinea, abscindendæ. Curata mulier. Personati de sabbatho rejecti. Regnum Dei quibus simile sit rebus, nempi sinapi, fermento, angusta salutis, alieni servandi. Vulpes Herodes. Minæ in Hierosolymam.

ADfuerunt autem quidam eodem tempore, qui de Galilæis nunciarunt, quorum sangvinem Pilatus cum eorum sacrificiis miscuerat.

2 Quibus Iesus in hæc verba respondit: An putetis Galilæos illos omnium fuisse Galilæorum improbissimos, quod talia passi sint?

3 Nequaquam, inquam vobis, Sed vos, nisi ad frugem redieritis, omnes similiter peribitis.

4 Item illos duodeviginti, quos delapsa turris in Siloa interfecit, an fuisse putatis omnium Hierosolymitanorum nocentissimos?

5 Nequaquam, inquam vobis: sed vos nisi ad frugem redieritis, omnes similiter peribitis.

6 Dixit item hoc exemplum: Ficum habebat quidam in vinea sua satam, ex qua ficu fructum petitum venit, nec invenit.

Es. 5, 2. Matth. 21, 19.

7 Itaque dixit vinitori: Ego jam per tres annos fructum ex hac ficu petitum venio, nec tamen invenio: abscinde eam: quorsum terram inutiliter occupat?

8 Cui ille: Domine, inquit respondens, sine eam etiam hunc annum, dum ego eam ablaqueem atque stercorem,

9 Si forte fructum edat: Sin minus, tu eam postea abscindes.

10 Docebat autem aliquando in quadam Synagoga Sabbathis.

11 Et aderat quædam mulier spiritum habens debilitatis jam annos duodeviginti, eaque sic incurva, ut se erigere prorsus non posset.

12 Eam visam vocavit Iesus, eique dixit: Mulier, soluta es ab infirmitate tua:

13 Eique manus imposuit: atque illa protinus correcta, Deo gratias agebat.

14 Hic Synagogæ magister, Iesum Sabbatho curasse indignans, his verbis plebem alloquitur: Sex dies sunt, in quibus agi debet: in iis igitur venite ut curemini; non die Sabbathi.

Exod. 20, 9. 21. Deut. 5, 3.

15 At Dominus sic ad eum contra locutus est: O personate, nonne vestrum quisque Sabbatho bovem asinumque suum solvit a præsepi, & potum ducit? Exod 23, 5. Deut. 22, 4. Matth. 12, 1. 11. Marc. 3, 2. Supr. 6, 7. Infr. 14, 3. Ioh. 7, 23.

16 Hanc vero, quæ sit Abrahamo prognata, quam vinctam habuit Satanas annos jam duodeviginti, non oportebat ab hoc vinculo solvi die Sabbathi?

17 Hæc eo dicente, pudebat omnes ejus adversarios, at vulgus omne tot præclaris, quæ ab eo fiebant, rebus lætabatur.

18 Dicebat item: Cui simile est divinum regnum? aut cui id assimilem?

Matth. 13, 31. Marc. 4, 30.

19 Simile est grano sinapis, quod sumit homo, & in hortum suum jacit, idque sic crescit, ut fiat arbor tanta, ut aereæ volucres in ejus ramis nidificent.

20 Itemque dixit: Cui divinum regnum assimilem?

Matth. 13, 33.

21 Simile est fermento, quod mulier sumit, & in farinæ sata tria recondit, dum tota fermentetur.

22 Igitur cum oppidatim vicatimque vadens doceret, & ad Hierosolymam iter faceret,

Matth. 9, 35. Marc. 6, 6.

23 Quidam sic ex eo quæsivit: Domine, an pauci sunt servandi?

24 Et ille: contendite, inquit eis, intrare per angustam portam: Nam multi (ut hoc sciatis) qui intrare conabuntur, non poterunt. Matth. 7, 13.

25 Postquam intraverit paterfamilias, ostiumque clauserit, & vos foris stare, & ostium pulsare cœperitis, dicentes: Domine, Domine, aperi nobis, ille vobis ita respondebit: Nescio vos unde sitis. Matth. 7, 21. 23. & 25, 11. 12. Supr. 6, 46.

26 Tum vos ita dicere insistetis: Epulati sumus coram te & bibimus, & tu in nostris plateis docuisti.

27 At ille: profecto nescio vos, inquiet, unde sitis. Facessite a me omnes malefici: Ps. 6, 9. Matth. 7, 23. & 25, 41.

28 Illic erit ploratus stridorque dentium, dum Abrahamum, Isaacum & Iacobum, omnesque vates in Dei regno conspicietis, vos vero foras ejici: Matth. 8, 11. 12. & 13, 42. & 24, 51.

29 Venientque ab Oriente, & Occidente, & Borea, & Austro, qui in divino regno accumbant. Es. 2, 2. 3. Mal. 1, 11. Matth. 8, 11.

30 Et quidem ultimi sunt, qui primi erunt: & primi sunt, qui erunt ultimi. Matth. 9, 30. & 20, 16. Marc. 10, 31.

31 Eodem die Pharisæi quidam eum his verbis convenerunt: Abi, & hinc discede: Nam Herodes vult interficere te.

32 Quibus ille: Ite, inquit, dicite isti vulpi, me dæmonia eje-

ejecturum, sanationesque peracturum esse hodie & cras: tertio autem die perfectum iri.

33 Veruntamen mihi hodie & cras & tertio die ambulandum esse: quoniam non licet ullum vatem extra Hierosolymam perire.

34 Hierosolyma, Hierosolyma, quæ vates interficis, & ad te missos lapidas, quoties volui tuos natos congregare, quomodo Gallina suum nidum sub alas: neque voluistis.

Ps. 17, 8. & 91, 4. Matth. 23, 37.

35 Scitote futurum esse, ut vobis vestra domus deserta relinquatur. Atque illud sic habetote, vos non prius esse visuros me, quam tempus veniat, quo dicetis, Bene sit venienti in nomine Domini. Ps. 69, 26. & 118, 26. Es. 1, 7. Ier. 7, 23. Mich. 3, 12. Matth. 23, 38. Act. 1, 20.

CAP. XIV.

Jesus Pharisæi conviva. De sabbato disceptatio. Modestia piorum. Qui vocandi ad epulas. Ad convivium vocati miseriores. Quis Christi discipulus. Sal infatuatum.

CUm autem in domum venisset cujusdam Pharisæorum primarii Sabbatho ad capiendum cibum,

2 Et illi eum observarent, adessetque tum homo quidam hydropicus ante eum,

3 Iesus Legisperitos & Pharisæos alloquens, quæsivit, an Sabbatho curare fas esset.

Matth. 12, 10.

4 Atque illis tacentibus, Iesus illum prehendit sanavitque & dimisit:

5 Illosque sic affatus est: Quis vestrum est, qui si ejus asinus aut bos in puteum cadat, non eum protinus extrahat die Sabbathi?

Exod. 23, 5. Deut. 22, 4. Supr. 13, 15.

6 Ad hæc illi ei contra respondere non potuerunt:

7 Dixit item invitatis exemplum (animadvertens ut prima accubandi loca deligerent) eos sic alloquens:

8 Si fueris ab aliquo vocatus ad nuptias, noli accubare primo loco, ne si quis honoratior te sit ab eo invitatus, Prov. 25, 6.

9 Veniat is qui & te & illum vocavit, tibique ut illi locum des, jubeat, atque ita sit tibi ultimus locus cum pudore occupandus.

10 Sed cum fueris invitatus, i accubitum ultimo loco, ut cum venerit, qui te invitaverit, dicat tibi: Amice, ascende superius, id quod tibi erit apud eos, qui tecum accumbent, gloriosum. Prov. 25, 7.

11 Nam quisquis seipsum evexerit, deprimetur: & qui se depresserit, evehetur. Iob. 22, 29. Prov. 29, 23. Matth. 23, 12. Supr. 1, 51. Infr. 18, 14. Iac. 4, 6. 10. 1. Pet. 5, 5.

12 Dixit item ei, qui se invitaverat: Cum prandium cœnamve facis, ne vocato tuos amicos, nec fratres, nec cognatos, nec vicinos, nec divites, ne illi te vicissim invitent, tibique referatur gratia; Neh. 8, 12. Tob. 4, 7. Prov. 3, 9. 28.

13 Sed

13 Sed cum convivium celebras, voca pauperes, mutilos, claudos, cœcos.

14 Et felix eris, quoniam te remunerari nequeunt. Reddetur enim tibi in resurrectione justorum.

15 His auditis quidam convivarum dixit ei: Felix qui cibum capiet in divino regno.

16 Et ille: Homo quidam (inquit ei) fecit magnam cœnam, multosque invitavit. Es. 25,6. Matth. 22,2. Apoc. 19,9.

17 Et hora cœnæ servum suum misit, qui invitatos venire juberet: jam enim parata esse omnia. Prov. 9, 2. 5.

18 At illi omnes ad unum se excusare. Primus sic ei dixit: Fundum emi, & eum visere necesse habeo, rogo te, habe me excusatum.

19 Alter item dixit: Iuga boum emi quinque, & ea expertum eo: rogo te, habe me excusatum.

20 Item alius: Uxorem duxi, inquit, ideoque ire non possum.

21 Hæc servus domino suo renunciatum ivit: Tum iratus paterfamilias dixit servo suo: Egredere e vestigio in urbis areas atque vicos, & pauperes, mutilosque, & claudos, & cœcos huc introducito.

22 Deinde servus: Domine, inquit, factum est ut imperasti: sed superest locus.

23 Tum Dominus: Proficiscere in vias, inquit, & in septa, & intrare coge, ut domus mea compleatur.

24 Nam illud scitote, neminem, hominum illorum invitatorum esse meam cœnam gustaturum.

25 Cum autem eum ingens hominum turba comitaretur, conversus dixit eis:

26 Si quis ad me venit, nec suum patrem & matrem, & uxorem, & liberos, & fratres, & sorores, atque adeo suam ipsius animam odit, non potest meus esse discipulus. Deut. 13,6. & 33,9. Matth. 10, 37.

27 Et qui non portat suam crucem, & me sequitur, non potest meus esse discipulus. Matth. 10,38. & 16,24. Marc. 8,34. Supr. 9, 23.

28 Quis enim vestrum volens turrim construere, non prius sedens sumptum computat, an habeat quæ ad perfectionem requirantur?

29 Ne si jactis fundamentis absolvere non valeat, omnes qui id spectabunt, eum illudere incipiant,

30 Dicentes, eum hominem, quæ ædificare cœperit, exædificare nequivisse.

31 Aut quis rex ad prælium cum alio rege committendum profecturus, non ante sedens deliberat, an possit cum decem millibus obviam ire illi, qui se cum viginti millibus adoriatur?

32 Alioquin adhuc illo procul absente, legatos de pace mittit.

33 Sic igitur quicunque vestrum non suis omnibus vale dicit, non potest meus esse discipulus.

34 Bonum est sal: verum si sal infatuatum fuerit, quo condietur? Matth. 5, 13. Marc. 9,50.

35 Nec

35 Nec terræ est, nec stercori accommodatum: foras projicitur. Qui aures habet ad audiendum, audiat.

CAP. XV.

Malos cur Iesus non abigat. Ovis perdita, drachma reperta, filius dissolutus, ad frugem rediens. Frater invidus.

FRequentabant autem eum omnes publicani & improbi, ejus audiendi gratia. Matth. 9, 10. Marc. 2, 15. Supr. 5, 29.

2 Et fremebant Pharisæi atque Scribæ, dicentes eum improbos admittere, cumque eis cibum capere.

3 Atque ille eis hujusmodi similitudinem in hæc verba dixit:

4 Quis homo vestrum est, qui si centum habeat oves, & earum unam perdiderit, non relinquat in saltu nonaginta novem, & ad perditam vadat, donec eam inveniat?

5 Quam inventam suis imponit humeris, gaudens:

6 Domumque profectus, convocatos suos amicos & vicinos admonet, ut sibi congratulentur, qui suam ovem perditam invenerit. 1. Pet. 2, 25.

7 Scitote eodem modo majorem fore in cœlo lætitiam ob unum sontem qui redeat ad frugem, quam ob nonaginta novem insontes, qui vitæ correctione non egeant. Supr. 5, 32.

8 Aut quæ mulier est, quæ si drachmas habeat decem, & unam drachmam amittat, non lucernam accendat, domum que verrat, & diligenter conquirat, donec inveniat?

9 Ac ea inventa, convocat amicas & vicinas, easque ut sibi congratulentur, monet: sese enim quam perdiderat invenisse drachmam.

10 Eodem modo scitote apud divinos Angelos lætitiam fieri ob unum sontem qui ad frugem redeat.

11 Item illud dixit: Habebat homo quidam duos filios,

12 Quorum junior patri dixit: Pater, da mihi competentem bonorum partem: itaque ille divisit eis facultates,

13 Ac non multis post diebus, junior filius, congestis omnibus, in longinquam regionem peregre profectus est, atque illic facultates suas luxuriose vivendo prodegit.

14 Postquam omnia absumpsit, orta in illa regione gravi fame, cœpit indigere.

15 Itaque adiit ejus regionis civium quendam, & apud eum hæsit, atque ille eum in prædium suum misit ad pascendos porcos:

16 Isque eo venit, ut cuperet ventrem suum replere siliquis, quas porci comedebant, nec ei quisquam dabat.

17 Igitur ad sese reversus ita cogitare: Quam multi mei patris mercenarii panibus cicumfluunt: & ego fame pereo.

18 Recipiam me ad meum patrem, eique dicam: Pater, & in cœlum, & adversum te peccavi,

19 Ita ut jam non sim dignus qui dicar tuus filius: utere me perinde ac uno tuorum mercenariorum.

20 Ita

20 Ita profectus venit ad patrem suum. Quem adhuc procul absentem conspicatus pater, misertus accurrit, eique in collum insiliit, & eum deosculatus est. Act. 2, 39. Eph. 2, 12. 17.

21 Et filius sic illum allocutus est: Pater, & in cœlum & adversum te peccavi, ita ut jam non sim dignus qui dicar tuus filius.

22 At pater: Proferte (inquit suis servis) priorem stolam, eumque induite, & ejus manui annulum adhibete, & calceos pedibus,

23 Eductumque vitulum altilem mactate, læteque epulemur.

24 Nam hic filius meus, qui mortuus erat, revixit: & qui perditus erat, inventus est. Itaque lætari cœperunt.

25 Erat autem ejus filius natu grandior ruri. Is cum veniens domui propinquasset, audito concentu atque choris:

26 Vocato uno famulorum suorum, sciscitatus ex eo est, quid ea sibi vellent.

27 Cui ille: Venit tuus frater, inquit: itaque mactavit tuus pater altilem vitulum, quod eum receperit incolumem.

28 Ille vero natus noluit ingredi. Cumque pater ejus egressus eum hortaretur, ille patri respondit in hunc modum:

29 Ego tot annos tibi servio, nec unquam contra tuum præceptum feci, & tu mihi nunquam vel hædum dedisti, ut cum meis amicis lætarer.

30 At iste tuus filius, qui facultates tuas cum scortis abliguriit, ubi venit, tu ei altilem vitulum mactasti.

31 At ille: Nate, inquit ei, tu mecum semper es, & omnia mea tua sunt.

32 Enimvero lætari, & gaudere oportuit, quod tuus hic frater, cum mortuus esset, revixit: cum perditus esset, inventus est.

CAP. XVI.

Callidus dispensator. Opum utilitas. Dominium repugnans. Pietas sim passa. Repudium: Lazarus felix. Divitis miseria.

DIxit item suis discipulis: Homo quidam dives dispensatorem habebat, qui apud eum, tanquam qui ejus bona dilapidaret, delatus est.

2 Et ille vocatum eum sic allocutus est: Quid est quod audio de te? Redde tuæ dispensationis rationem: nec enim tibi licebit amplius dispensatorem esse.

3 Tum dispensator sic secum cogitare: Quid agam? cum meus herus a me dispensationem auferat? Fodere non valeo, mendicare erubesco.

4 Scio quid agam, ut cum abdicatus dispensatione fuero, sint qui me in suas domos accipiant.

5 Igitur advocatis singulis heri sui debitoribus, dixit primo: Quantum debes hero meo?

6 Centum batos olei, inquit. Et ille: Accipe tuum scriptum, inquit ei, & sede continuo, & scribe quinquaginta.

7 Deinde alteri dixit: Tu vero

vero quantum debes? Centum frumenti coros. Accipe tuum scriptum, inquit, & scribe octoginta.

8 Itaque laudavit herus dispensatorem iniqvum, quod prudenter fecisset. Nam hujus seculi homines sunt in suo genere prudentiores, quam homines lucis.

Eph. 5, 8. 1. Thess. 5, 5.

9 Et ego hoc vobis dico: Facite vobis amicos ex falsis opibus, ut cum defuncti fueritis, admittant vos in æterna domicilia. Matth. 6, 19. & 19, 21. 1. Tim. 6, 19.

10 Qui in minima re fidus est, idem in magna fidus est; & qui est in re minima injustus, idem in magna injustus est.

Infr. 19, 17.

11 Quod si in falsis opibus fidi non fueritis, veras quis vobis credat?

12 Et si in alieno fidi non fueritis, vestrum quis vobis committat?

13 Nullus famulus potest servire duobus dominis: aut enim alterum oderit, alterum amabit: aut alterum tuebitur, alterum contemnet. Non potestis & Deo servire, & opibus. Matth. 6, 24.

14 Audiebant autem hæc omnia etiam Pharisæi, qui erant avari, eumque deridebant.

Matth. 23, 14.

15 Itaque ille sic eis dixit: Vos ii estis, qui vos hominibus probetis: sed Deus vestros animos novit: nam quod est apud homines sublime, id apud Deum est abominandum.

Ps. 7, 10. 1. Sam. 16, 7.

16 Lex & vates usque ad Ioannem: postea divinum regnum nunciatur, atque in id omnes irrumpunt.

Matth. 11, 12. 13.

17 Est autem facilius cœlum & terram interire, quam legis vel unum apicem intercidere.

Ps. 102, 27. Es. 40, 8. & 51, 6. Matth. 5, 18. 2. Pet. 2, 7. 10.

18 Quisquis uxorem suam dimittit, & aliam ducit, adulterat: & quisquis a viro dimissam ducit, adulterat. Matth. 5, 32. & 19, 9. Marc. 10, 11. 1. Cor. 7, 10.

19 Erat autem homo quidam dives, qui purpura & bysso vestiebatur, quotidie laute voluptatibus indulgens.

20 Erat & quidam pauper nomine Lazarus, qui ad ejus vestibulum jacebat ulcerosus,

21 Cupiensque saturari micis, quæ de divitis mensa decidebant. Quin & canes veniebant, & ejus ulcera lingebant.

22 Accidit autem ut moreretur pauper, & ab Angelis in Abrahami gremium auferretur. Mortuus est & dives, & sepultus.

23 Atque is in Orco, sublatis oculis, cum esset in cruciatibus, aspicit Abrahamum procul, & in ejus gremio Lazarum,

24 Et: Pater Abrahame (inquit clamans) miserere mei, & mitte Lazarum, qui summo digito suo in aqua intincto, mihi linguam refrigeret: crucior enim in hac flamma. Es. 66, 24. Zach. 14, 12. Marc. 9, 44.

25 At Abrahamus: Nate, inquit, memineris & te tuis bonis in

in vita tua, & Lazarum malis esse defunctum. Nunc & hic in solatio, & tu in dolore es.
Ioh. 21, 13.

26 Præterea constat omnino inter vos & nos vasta vorago, ut qui velint hinc ad vos transire, non possint, neque qui istic sunt, ad nos trajiciant.

27 Tum ille: Rogo igitur te, Pater, ut eum in mei patris domum mittas,

28 Ut meos fratres (habeo enim quinque) commonefaciat, ne ipsi quoque in hunc cruciatus locum veniant.

29 At Abrahamus: Habent Mosem & vates, inquit ei: eos audiant. Es. 8, 20. & 34, 16. Ioh. 5, 39. 43. Act. 15, 21. & 17, 11.

30 Et ille: At vero, Pater Abrahame, si quis a mortuis ad eos fuerit profectus, corrigent se.

31 Si Mosem (inquit ille) & vates non audiunt, ne si quidem quispiam ex mortuis resurgat, obtemperabunt.

CAP. XVII.

Offensionum necessitas. Offendentis miseria. Benignitas in hostes. Leprosi X. gratus unus. Christi reditus. Iudicium repentinum.

DIxit autem discipulis: Non possunt non evenire offensiones: sed væ ei per quem eveniunt:
Matth. 18, 6. 7. Marc. 9, 42.

2 Satius esset ei, circumjecta ejus collo asinaria mola, in mare dejici, quam vel minimum horum offendere.

3 Cavete vobis. Quod si in te peccaverit tuus frater, reprehende eum: & si eum pœniteat, ignosce ei. Lev. 19, 17.
Prov. 17, 10. Eccl. 19, 13. Matth. 18, 15. 21. Iac. 5, 19.

4 Quod si vel septies uno die in te peccaverit, & septies eodem die ad te redierit, & se pœnitere dixerit, ignosces ei. Matth. 18, 21.

5 Dixerunt autem Apostoli Domino: Adauge nobis fidem.

6 Et Dominus: Si tantum fidei haberetis, inquit, quantum est granum sinapis, & huic caprifico juberetis, ut extirparetur & in mari plantaretur, obediret vobis. Matth. 17, 20. & 21, 21.
Marc. 11, 23.

7 Quis autem vestrum est, qui si arantem aut pascentem servum habeat, eum rure reversum protinus accubitum ire jubeat?

8 Ac non potius sic ei dicat: Para quod ego cœnem, accinctusque mihi ministra, donec comedero, ac bibero: postea comedes ac bibes tu.

9 Num gratiam habet ei servo, quod sibi mandata fecerit? Non puto.

10 Sic & vos cum omnia vobis mandata feceritis, dicite, vos inutiles esse servos, qui quod debueritis facere, feceritis:

11 Cum autem Hierosolymam contenderet, & per Samariam Galilæamque vaderet,

12 Ei in quendam vicum ingredienti occurrerunt decem homines leprosi, qui procul steterunt,

13 Et sublata voce dixerunt: Iesu præceptor, miserere nostri.

14 Quibus ille visis; Ite, inquit, ostensum vos sacerdotibus.

Atque

Atque illi inter abeundum purgati sunt.

Lev. 13, 2. & 14, 2. Matth. 8, 4. Supr. 5, 14.

15 Unus autem eorum, sese sanatum esse videns, rediit, Deum magna voce collaudans:

16 Et ad illius pedes pronus accidit, ei gratias agens. Erat autem is Samaritanus.

17 At Iesus sic locutus est: Nonne decem purgati sunt? ubi vero sunt novem?

18 Nullumne repertum esse, qui sit ad gloriam Deo tribuendam reversus, nisi hunc alienigenam?

19 Surge, inquit, abi: tua te fides servavit. Matth. 9, 22. Marc. 5, 34. & 10, 52. Luc. 7, 50. & 8, 48. & 18, 42.

20 Interrogatus autem a Pharisæis, quando venturum esset divinum regnum, sic eis respondit: Non ita venturum est divinum regnum, ut observetur,

21 Aut hic illicve esse demonstretur. Scitote enim, divinum regnum intra vos esse.

Infr. 21, 8. Matth. 24, 23. Marc. 13, 21.

22 Tum discipulos alloquens: Veniet tempus, inquit, cum vel unum homine nati dierum cernere cupietis, nec videbitis:

23 Vobisque hic aut illic adesse dicetur: nolite adire, nec insequi.

Matth. 24, 23. Marc. 13, 21.

24 Ut enim fulgur ab altero cœli extremo ad alterum extremum refulgens lucet, sic erit etiam homine natus in sua die.

Matth. 24, 17.

25 Sed prius oportet eum multa pati, & improbari ab hac natione.

Matth. 16, 21, & 17, 22. & 20, 18. Marc. 8, 31. & 9, 31. & 10, 33. Luc. 9, 22. & 18, 31. & 24, 7. 26.

26 At quemadmodum Noe temporibus accidit, sic accidet temporibus homine nati.

Gen. 6, 2. & 7, 7. Matth. 24, 37. 38. 1. Pet. 3, 20.

27 Comedebant, bibebant, ducebant uxores, nubebant, usque ad eum diem, quo ingresso in arcam Noa, venit diluvium, quod omnes perdidit.

28 Similiter ut & Loti temporibus accidit: comedebant, bibebant, emebant, vendebant, plantabant, ædificabant:

Gen. 19, 14.

29 Quo vero die exiit Sodomis Lotus, pluit ignis & sulphur de cœlo, quod omnes perdidit.

Gen. 19, 24. Deut. 29, 23. Es. 1, 19. Ier. 50, 40. Os. 11, 8. Amos 4, 11. Iudæ v. 7.

30 Itidem accidet, qva die homine natus patefiet.

31 In illa die qui in tecto erit, si erit ejus supellex domi, ne descendat ad eam auferendam. Itidem qui ruri, ne retro revertatur. Matth. 24, 17.

32 Memineritis autem uxoris Loti. Gen. 19, 26.

33 Qui animam suam servare conabitur, eam perdet: & qui eam perdiderit, conservabit.

Supr. 9, 24. Matth. 10, 39. & 16, 35. Marc. 8, 35. Ioh. 12, 25.

34 Hoc vobis dico: in ea nocte erunt in uno cubili duo,

quorum alter assumetur, alter relinquetur.

Matth. 24, 40. 41. 1. Thess. 4, 17.

35 Duarum, quæ simul molent, altera assumetur, altera relinquetur.

36 Duorum, qui ruri erunt, alter assumetur, alter relinquetur.

37 Et illi eum alloquentes: Ubi Domine? inquiunt. Quibus ille: Ubi corpus, inquit, erit, eo etiam coibunt aquilæ.

Iob. 39, 33. Matth. 24, 28.

CAP. XIIX.

Vidua Iudicem obtundens. Publicanus Pharisæo melior. Quis bonus. Semet in lege laudans. Opulentia damna. Prædicit mors, ac resurrectio. Discipulorum ineptia. Cæcus videns fide.

DIxit etiam eis exemplum, quo semper orandum esse, nec defatigari oportere, ostenderet.

Eccl. 8, 22. Luc. 11, 5. & 21, 36. Rom. 12, 12. Eph. 6, 8. Col. 4, 2. 1. Thess. 5, 17.

2 Iudex erat quidam in quadam urbe, inquit, qui nec Deum metuebat, nec homines reverebatur.

3 Erat in eadem urbe vidua quædam, quæ ad eum itabat, & ut se de adversario suo vindicaret, petebat.

4 Ille vero aliquandiu noluit. Sed postea sic secum dixit: Et si nec Deum metuo, nec homines revereor:

5 Tamen quia mihi negotium facessit hæc vidua, eam vindicabo, ne me assidue ventitans obtundat.

6 Audite, inquit Dominus, quid judex injustus dicat.

7 Ergo Deus electos suos, ad se dies noctesque quiritantes non ulciscetur? & tam erit in eos difficilis? Apoc. 6, 10.

8 Scitote eum cito ulturum esse eos. Cæterum homine natus cum veniet, scilicet fidem in terris inveniet?

9 Dixit item ad quosdam (qui sibi se justos esse persuaserant, aliosque contemnebant) hoc exemplum.

10 Homines duo in templum ascenderunt orandi gratia, alter Pharisæus, alter publicanus.

11 Ibi Pharisæus hæc apud se precabatur: Deus, ago tibi gratias, quod non sum quales reliqui hominum, rapaces, injusti, adulteri: aut etiam qualis hic publicanus:

12 Iejuno bis intra singula Sabbatha: decumas do omnium quæ possideo.

13 At publicanus procul absistens, ne oculos quidem in cœlum attollere audebat, sed sibi pectus tundebat, dicens: Deus, propitius esto mihi sonti.

14 Scitote hunc approbatum descendisse domum suam, illum non item: Nam quisquis seipsum extulerit, deprimetur: & qui se depresserit, extolletur.

Iob. 22, 29. Prov. 29, 23. Supr. 14, 11. Matth. 23, 12. Iac. 4, 6. 10. 1. Pet. 5, 5.

15 Afferebant autem ei etiam parvulos, ut eos tangeret. Quo viso, discipuli illos objurgabant.

Matth. 19, 13. Marc. 10, 13.

16 At

16 At Iesus accersitis parvulis: Sinite, inquit, pueros ad me venire, & eos ne prohibete: talium enim est divinum regnum.

Matth. 18, 3. & 19, 14. 1. Cor. 14, 20. 1. Petr. 2, 2.

17 Hoc vobis confirmo, qui divinum regnum non acceperit ut puer, is in id non intrabit.

Marc. 10, 15.

18 Item interrogavit eum quidam, honoratus, his verbis: Magister bone, quid faciendo vitam consequar æternam?

Matth 19, 16. Marc. 10, 17.

19 Cui Iesus: Quid me dicis bonum? inquit. Nullus est bonus, nisi unus Deus.

20 Præcepta nosti: Ne adulterato. Ne occidito. Ne furator. Ne falsum testimonium dicito. Tuum patrem atque matrem honorato. Exod. 20, 12. 13.

Deut. 5, 16. 17. Rom. 13, 9. Eph. 6, 2. Col. 3, 20.

21 Et ille: Hæc omnia, inquit, executus sum ab ineunte ætate.

22 His auditis, Iesus inquit ei: Adhuc unum tibi deest: quicquid habes vende, & dispertire pauperibus, habiturus in cœlo thesaurum: deinde ades, & me sequere. Matth. 6, 19. & 19, 21.

1. Tim. 6, 19.

23 At ille, his auditis, tristis est factus: quippe qui prædives esset.

24 Eum tristem factum videns Iesus, dixit: O quam difficulter, qui pecunias habent, in divinum regnum intrabunt?

Prov. 11, 28. Matth. 19, 23. Marc. 10, 23.

25 Facilius est enim rudentem per acus foramen trajici, quam divitem in divinum intrare regnum.

26 Tum auditores: Quis igitur servari possit? inquiunt:

27 Et ille: Quæ ab hominibus fieri nequeunt, ea a Deo fieri possunt.

Iob. 42, 2. Ier. 32, 17. Zach. 8, 6. Luc. 1, 37.

28 Tum Petrus: Nos quidem, inquit, omnibus relictis, te secuti sumus.

Matth. 4, 20. & 19, 27. Marc. 10, 28. Supr. 5, 11.

29 Et ille: Hoc certo scitote, inquit eis, neminem esse qui domum, qui parentes, qui fratres, qui uxorem, qui liberos divini regni causa reliquerit,

Deut. 33, 9.

30 Quin sit & in hoc tempore sæpe conduplicata, & in futuro seculo vitam æternam consecuturus. Iob. 42, 12.

31 Assumptis autem duodecim, dixit eis: En ascendimus Hierosolyma, & hominis nato accident plane omnia, quæ sunt a vatibus scripta.

Matth. 16, 21. & 17, 21. & 20, 17. Marc. 8, 31. & 9, 31. & 10, 32. Luc. 9, 22. & 24, 7. Ps. 22, 7. Es. 53, 7.

32 Tradetur enim extraneis, & illudetur, & contumeliis afficietur, & conspuetur,

Matth. 27, 2. Infr. 23, 1. Ioh. 18, 28. Act. 3, 13.

33 Et verberatus interficietur, & tertio die resurget.

34 At illi nihil horum intellexerunt, adeoque tecta eis erat

ea oratio, ut quæ dicerentur, ignorarent.

35 Eo autem Hierichunti propinquante, sedebat apud viam quidam cœcus mendicans.

Matth. 20, 29. Marc. 10, 46.

36 Is prætereuntem hominum turbam audiens scisciatus est, quid illud esset?

37 Cumque ei indicatum esset, Iesum Nazarenum præterire,

38 Clamavit his verbis: Iesu Davidide, miserere mei.

39 Et quamvis præcedentes increparent eum, ut taceret, ille multo magis clamabat: Davidide, miserere mei.

40 Tum Iesus restitit, & eum ad se duci imperavit. Ac ubi ille accessit, sic eum interrogavit:

41 Quid tibi vis faciam? Et ille: Domine, inquit, ut videam.

42 Et Iesus: Cerne, inquit ei: tua te fides servavit.

Supr. 17, 19.

43 Atque ille continuo vidit, eumq; secutus est, Deum collaudans. Quo viso, populus omnis Deo laudem tribuit.

CAP. XIX.

Christi Zachæus hospes. Varii minarum negotiatores. Ultimus secors. Iesus asello vectus. Urbis ruina instans. Vendentes pulsi fano.

EO autem ingresso, & per Hierichuntem eunte,

2 Erat quidam vir, qui nomine Zachæus vocabatur, publicanorum magister, isque dives.

3 Is cum conaretur Iesum videre quis esset, neque præ hominum turba posset, utpote qui esset statura parvus,

4 Præcurrit, & in caprificum ascendit, ut eum videret: nam illac transiturus erat.

5 Ad eum locum ubi venit Iesus, suspexit, & eo viso sic ei dixit: Zachæe, descende propere: hodie enim mihi domi tuæ manendum est.

6 Atque ille celeriter descendit, eumque lætus accepit.

7 Quo viso fremebant omnes, quod ad hominem improbum diversatum ivisset.

8 Zachæus vero Dominum sic alloqui institit: Scito me, Domine, dimidium facultatum mearum largiri pauperibus, quod si quem ulla re fraudavi, reddo quadruplum.

Supr. 3, 16.

9 Tum Iesus ei dixit: salutem eo die partam esse ei domui, quatenus ipse quoque Abrahamides esset:

10 Venisse enim homine natum ad perdita quærenda, atque servanda.

Matth. 10, 6. & 15, 24. & 18, 11. Act. 13, 46.

11 Illis autem hæc audientibus, subjecit exemplum, quod ipse prope Hierosolymam esset, & illi adfuturum mox divinum regnum arbitrarentur.

12 Ait ergo: Homo quidam nobilis profecturus in longinquam regionem, ut in regni possessionem invaderet: deinde rediturus.

Matth. 25, 14. Marc. 13, 34.

13 Vocatis suis decem servis dedit decem minas, eisque mandavit ut negotiarentur, donec ipse reveniret.

14 Ejus

14 Ejus autem cives eum odeant: itaque missis post eum legatis, negarunt se velle ut is in se regnaret.

15 Postquam ille regnum adeptus rediit, jussit ad se servos illos accersi, quibus argentum dederat, ut sciret quid quisque negotiando lucratus esset.

16 Ergo primus advenit: &, Domine, inquit, tua mina decem minas peperit.

17 Cui ille: Recte bone serve: quoniam in tantilla re fidelis fuisti, habeto in decem oppida potestatem. Luc. 16,10.

18 Deinde venit alter: Domine, inquit, tua mina quinque minas confecit.

19 Et ille: Tu quoque (inquit etiam huic) præesto quinque oppidis.

20 Item venit alius: Domine, inquit, ecce mina tua quam ego in linteo compositam habui:

21 Metuebam enim te, utpote hominem severum, qui & quod non deposuisti, tollas, & quod non seminasti, metas.

22 At ille: Ex tuo ipsius ore te damnabo, inquit ei, serve nequam. Sciebas me hominem severum esse, qui & quod non deposui tollam, & quod non seminavi metam:

2. Sam. 1,16. Matth. 12, 37.

23 Cur ergo non dedisti meum argentum ad mensam, & ego reversus id cum fœnore recepissem?

24 Auferte ei minam, inquit eis qui aderant, & ei date qui decem minas habet.

25 At illi: Domine, habet decem minas.

26 Ergo scitote omni habenti dandum esse, inquit: non habenti autem, etiam quod habet, auferendum.

Supr. 8,18. Matth. 13,12. & 25, 29. Marc. 4,25.

27 Cæterum inimicos illos meos, qui me in se regnare noluerunt, adducite huc, & coram me jugulate.

28 Hæc fatus progredi perrexit, Hierosolymam ascendens.

Marc. 10, 32.

29 Ut autem prope Bethphagem & Bethaniam venit ad montem, qui vocatur Olivarum, misit discipulorum suorum duos, cum his mandatis:

Matth. 21, 1. Marc. 11, 1.

30 Ite in vicum qui est e regione, in quem ingredientes, invenietis asellum vinctum, quem nemo unquam hominum insedit: eum solvitote, & adducitote.

31 Quod si quis vos cur solvatis interroget, sic ei dicetis, Domino eum opus esse.

32 Igitur profecti qui erant missi, invenerunt quod eis ille dixerat.

33 Cumque ex eis asellum solventibus quæsivissent ejus domini, cur asellum solverent,

34 Dixerunt, eum Domino opus esse,

35 Eumque ad Iesum adduxerunt: & injectis in asellum suis vestimentis, eo Iesum imposuerunt.

2. Reg. 9, 13. Matth. 21, 7. Ioh. 12, 14.

36 Atque eo vadente, insternebant suis vestimentis viam.

37 Ac ubi jam prope montis Olivarum descensum venit, cœpit universa discipulorum multitudo Deum læta laudare magna voce, de tot quæ viderant miraculis, his verbis:

38 Bene sit venienti regi in nomine Domini: pax in cœlo, & gloria in supremis.
Ps. 118, 26. Luc. 2, 14. Eph. 2, 14.

39 At quidam Pharisæorum ex turba dixerunt ei: Magister, objurga tuos discipulos.

40 Quibus ille respondens: Scitote, inquit, si taceant hi, clamaturos esse lapides.
Hab. 2, 11.

41 Deinde ut propius accessit visa urbe deploravit eam, dicens: Inf. 21, 6. Matth. 24, 1. Marc. 13, 1.

42 O si scires tu, & quidem hac ipsa tua die quæ tibi saluti forent: sed nunc tuos latent oculos.

43 Venient enim tibi dies, cum te tui hostes vallo circundabunt, & circumsidebunt & prement undique,

44 Teque & tuos in te natos complanabunt, nec in te lapidem lapidi impositum relinquent: quoniam tempus, quo tui habita cura fuerit, non noveris. 1. Reg. 9, 7. 8. Mich. 3, 12.

45 Deinde in templum ingressus, cœpit vendentes in eo & ementes ejicere, dicens eis:
Matth. 21, 1 . Marc. 11, 11.

46 Scriptum est: Mea domus, supplicationis domus est: at vos ex ea latronum speluncam fecistis. 1. Reg. 8, 29. Es. 56, 7. Ier. 7, 11, Matth. 21, 13. Marc. 11, 17.

47 Docebat autem quotidie in templo. Pharisæi vero & Scribæ eum perimere conabantur, nec non populi primarii:
Marc 11, 8. Ioh. 7, 19. & 8, 37.

48 Sed quid agerent, non inveniebant, quod cunctus populus ab ejus ore pendebat.

CAP. XX.

Vineæ cultores perdendi. Lapis offensionis. Officium in Deum, in principem. Sadducæi rejecti, de resurrectione, ac vidua 7. conjugii. Davidis Dominus geminus. Pharisæorum cum fastus, tum avaritia.

QUodam autem illorum dierum eo populum in fano docente ac instituente, adfuerunt Pontifices & Scribæ cum senatoribus, eumque sic allocuti sunt: Matth. 21, 23. Marc. 11, 27. Act. 4, 7. & 7, 27.

2 Dic nobis, qua potestate ista facias, aut quis tibi potestatem istam dederit?

3 Quibus ille respondens: Interrogabo vos ego vicissim quiddam, inquit, quod mihi dicite:

4 Ioannis baptismus a cœlo ne erat, an ab hominibus?
Supr. 15, 18.

5 Illi vero sic apud se ratiocinati: Si dixerimus a cœlo, dicet: Cur ergo non ei credidistis?

6 Sin ab hominibus dixerimus, universus populus nos lapidabit: persuasum est enim ei, Ioannem esse vatem:

7 Itaque responderunt, se nescire unde.

8 Et Iesus: Nec ego vobis dico, inquit eis, qua potestate hæc faciam.

9 Cœ-

9 Cœpit autem ad populum hoc exemplum dicere: Homo quidam vineam consevit, & ea colonis elocata, domo abfuit satis diu.

Es. 5, 1. Ier. 2, 21. & 12, 10. Matth. 21, 33. Marc. 1 , 1.

10 Deinde suo tempore misit ad colonos servum, ut illi ei de vineæ fructu darent. At coloni eum verberatum, dimiserunt inanem.

11 Ille alterum item servum misit, & illi eum quoque verberatum & contumelia affectum dimiserunt inanem.

12 Cumque tertium item misisset, illi eum etiam vulneratum expulerunt.

13 Tum vineæ dominus: Quid agam? inquit; mittam filium meum charissimum: fortassis hunc visum reverebuntur.

14 At coloni, eo viso, sic inter sese dicere: Hic est hæres, agite perimamus eum, ut nostra fiat hæreditas. Gen. 37, 18 Ps. 2, 18. Matth. 26, 3. & 27, 1. Ioh. 11, 35. Heb. 1, 2.

15 Itaque ejectum ex vinea occiderunt. Quid ergo faciet eis vineæ dominus?

16 Veniet & colonos illos perdet, aliisque vineam elocabit. Hoc audito illi dixerunt: Absit.

17 Et ille eos intuitus: Quid ergo est scriptum illud? Quem lapidem improbaverant ædificatores, is adhibitus est caput anguli.

Ps. 118, 22. Es. 8, 14. & 28, 16. Matth. 21, 42. Marc. 12, 10. Act. 4, 11. Rom. 9, 33. 1. Pet. 2, 4. 7.

18 In eum lapidem quisquis inciderit, collidetur: & in quem inciderit ipse, eum comminuet.

Esa. 8, 15. Zach. 12, 3.

19 Igitur Pontifices & Scribæ ei manus injicere eadem hora conati sunt: intellexerunt enim, eum adversum se illud exemplum dixisse, sed populum timuerunt.

20 Itaque illud observarunt, ut mitterent emissarios, qui se viros bonos simularent, ut eum verbis caperent, atque ita magistratui, & prætoris potestati traderent.

Matth. 22, 15. Marc. 12, 13.

21 Atque hi sic eum interrogarunt: Magister, scimus te recte dicere, ac docere, neque personæ rationem habere, sed vere divinam vitæ viam docere:

Matth. 22, 16.

22 Licet ne nobis Cæsari tributum pendere, an non?

23 At ille eorum versutiam intelligens; Quid me tentatis? inquit:

24 Ostendite mihi denarium: Cujus habet imaginem, & titulum? Cæsaris, inquiunt illi respondentes.

25 Et ille: Solvite igitur, inquit eis, Cæsariana Cæsari, & divina Deo.

Matth. 17, 25. & 22, 21. Rom. 13, 7.

26 Ita illi, cum nullum ejus verbum apud populum carpere potuissent, ejus responsionem admirati, tacuerunt.

27 Tum eum aggressi Sadducæorum quidam, qui resurrectionem

ctionem esse negant, sic interrogarunt: Matth. 22, 23.
Marc. 12, 18. Act. 23, 8.

28 Magister, scripsit nobis Moses, si cujus frater mortuus fuerit, uxorem habens, isque sine liberis mortuus fuerit, ut ducat ejus frater uxorem, fratrique suo prolem suscitet:
Deut. 25, 5.

29 Iam vero septem fuere fratres, quorum primus uxore ducta mortuus est sine liberis,

30 Duxitque secundus uxorem, & is item sine liberis mortuus est.

31 Atque illam duxit tertius, itidemque septem, neque liberos reliquerunt.

32 Atque illis mortuis, postrema omnium mortua est etiam fœmina.

33 Igitur in resurrectione cujus eorum futura est uxor? cum septem eam in matrimonio habuerint.

34 Et Iesus eis ita respondit: Hujus vitæ homines & ducunt uxores & nubunt:

35 At quibus vitam illam assequi, & ex mortuis surrexisse contigit, ii nec ducunt uxores, nec nubunt,

36 Quippe cum jam mori nequeant, sunt enim Angelorum similes, & Dei filii sunt, qui sint resurrectionis homines.
1. Ioh. 3, 2.

37 Mortuos autem resurgere, etiam Moses indicavit in rubo, ubi Dominum dicit & Abrahami Deum, & Isaaci Deum, & Iacobi Deum. Exod. 3, 6.
Matth. 22, 32. Marc. 12, 16.
Act. 7, 32. Hebr. 21, 16.

38 Deus quidem non mortuorum est, sed viventium, utpote cum ei vivant omnes.

39 Tum quidam Scribarum sic eum alloqvuntur: Magister, probe dixisti.

40 Neque deinceps audebant eum quicquam interrogare.

41 Et ille: Qui fit, ut dicant, Christum Davide prognatum fore?
Matth. 22, 41. Marc, 12, 35.

42 Cum ipse David dicat in Psalmorum libro: Ait Dominus Domino meo, Sede ad meam dexteram,
Ps. 110, 1. Act. 2, 34. 1. Cor. 15, 2. Hebr. 1, 13. & 10, 13.

43 Donec efficiam ex tuis hostibus tuorum pedum subsellium.

44 Quod si eum David Dominum vocat, qui fit ut sit eo prognatus?

45 Tum audiente cuncto populo, dixit suis discipulis:

46 Cavete Pharisæos, qui stolati libenter ambulant, & in foris salutationes, & in Synagogis primas sessiones, & primas in cœnis accubationes amant:
Supr. 11, 43. Matth. 23, 5. 6.
Marc. 12, 38. 39.

47 Qui viduarum domos per speciem prolixarum precum devorant, eoque graviores pœnas luent.
Matth. 23, 14. Marc. 12, 40.
2. Tim. 3, 6. Tit. 1, 11.

CAP. XXI.

Viduæ ternuncii in fiscum. Fani ruina impendens. Orbis calamitates. Piorum plagæ. Urbis excidium.

Cum

CUm autem aspiciens vidisset conferentes sua munera in fiscum divites, 2. Reg. 12, 9. Marc. 12, 41.

2 Cumque vidisset etiam quandam pauperculam viduam eo duos conferentem teruncios, dixit:

3 Hoc certo vobis dico, hanc viduam plurimum omnium contulisse. 2. Cor. 8, 12.

4 Nam omnes hi ex eo quod sibi supererat contulerunt in divina donaria: at hæc ex inopia sua, quicquid facultatum habebat, contulit.

5 Item quibusdam de fano dicentibus, pulchris esse lapidibus & donariis ornatum, dixit: Supr. 19, 43. Matth. 24, 1. Marc. 13, 1.

6 Videtis hæc? veniet dies, cum nullus lapidi lapis impositus relinquetur, qui non dissolvatur. 1. Reg. 9, 7. 8. Mich. 3, 12.

7 Et illi eum interrogantes: Magister, inquiunt, Quando igitur ista fient? & quo signo ista futura significabuntur?

8 Et ille: Videte, inquit, ne decipiamini, Multi enim venient meo nomine, qui se eum esse dicant: & quidem tempus instat: Nolite igitur eos assectari. Ier. 29, 8. & 14, 14. & 23, 21. Matth. 24, 4. Eph. 5, 6. 2. Thess. 2, 2. 3. Col. 2, 18. 1. Ioh. 4, 1.

9 Cum vero bella & seditiones audietis, nolite expavescere: oportet enim hæc omnia prius fieri, sed non continuo finis erit.

10 Consurget & gens in gentem (inquiebat tum eis) & regnum in regnum: Es. 19, 2.

11 Magnique terræ motus nonnullis in locis, & fames, & pestes erunt, terriculaque, & signa de cœlo magna.

12 Sed ante hæc omnia injicientur vobis manus, & vexabimini, inque Synagogas & custodias trademini, atque ad reges & prætores mei nominis causa perducemini: Matth. 10, 17. & 24, 8. Marc. 13, 9. Ioh. 16, 2. Apoc. 2, 10. Act. 4, 3. & 5, 18. & 12, 4. & 16, 24. & 25, 23.

13 Id quod vobis erit testimonio.

14 Igitur animum inducite, causæ dictionem non præmeditari. Supr. 12, 12. Matth. 10, 19. Marc. 13, 11.

15 Ego enim vobis ejusmodi os & sapientiam dabo, ut ei contradicere aut resistere nequeant omnes adversarii vestri. Exod. 4, 12. Es. 54, 17. Act. 6, 10.

16 Prodemini autem etiam a parentibus, & fratribus, & cognatis, & amicis, qui vestrum nonnullos necabunt, Mich. 7, 6. Act. 7, 59. & 12, 2.

17 Eritisque cunctis invisi propter nomen meum. Matth. 10, 22. Marc. 13, 13.

18 Verum ne pilus quidem vestri capitis peribit. Matth. 10, 30. 1. Sam. 14, 45. 2. Sam. 14, 11. 1. Reg. 1, 52.

19 Vestra patientia, vestræ saluti consulite.

20 Cum autem circumdatam exercitibus Hierosolymam videbitis, tum scitote, ejus instare vastitatem. Matth. 24, 15. Marc. 13, 14. Dan. 9, 27.

21 Tum qui erunt in Iudæa, fugiant

giant in montes: & qui erunt in ejus medio, discedant: & qui in agris erunt, ne intrent in eam.

22 Nam supplicii tempora erunt illa, ut eveniant omnia quæ scripta sunt.

Dan. 9, 26. 27. Zach. 11, 1.

23 Hei uterum ferentibus & lactantibus per ea tempora. Nam hæc regio graviter premetur, & in hunc populum atrociter sævietur,

24 Ut gladiorum acie cadant & per omnes gentes exulent, calceturque a gentibus Hierosolyma, donec exterarum gentium tempora compleantur.

Rom. 11, 25.

25 Et erunt signa in sole & luna, & sideribus, & in terris tantus gentium angor trepidantium, mari undisque resonantibus, Es. 13, 10. Ez. 32, 7. Matth. 24, 29. Marc. 13, 14. 2. Pet. 3, 10. 12.

26 Ut homines eorum metu & expectatione, quæ orbi immineant, exanimentur: nam cœlestes potestates concutientur. Ioel. 2, 10. & 23. 15. Apoc. 6, 12.

27 Ac tum aspicietur homine natus veniens in nube, cum ingenti potestate, atque gloria. Dan. 7, 10. Matth. 25, 31. Marc. 13, 26. 2. Thess. 1, 10. Apoc. 1, 7.

28 His autem fieri incipientibus suspicitote, & capita attollitote, quoniam vestra instabit liberatio. Rom. 8, 23.

29 Tum eis similitudinem dixit: Cernite ficum, & omnes arbores: Matth. 24, 32.

30 Cum jam frondescunt, id vos per vos ipsos cernentes, cognoscitis jam prope esse æstatem.

31 Similiter & vos, cum hæc fieri videbitis, scitote prope esse divinum regnum.

32 Hoc vobis confirmo, non prius esse præterituram ætatem hanc, quam fiant omnia.

33 Etiam si cœlum & terra pereant mea dicta non peribunt. Ps. 102, 27. Es. 51, 6. Matth. 24, 35. Heb. 1, 11. 2. Pet. 3, 7. 10.

34 Verum cavete ne forte obruantur animi vestri crapula & ebrietate, & hujus vitæ curis: atque ita vos nec opinantes illa dies opprimat. Rom. 13, 13. 1. Thess. 5, 6. 1. Pet. 4, 7.

35 Adveniet enim tanquam decipula omnibus in totius terræ solo degentibus. 1. Thess. 5, 2. 2. Pet 3, 10. Apoc. 3, 3. & 16, 15.

36 Vigilate igitur, omni tempore orantes, ut vobis hæc omnia eventura effugere liceat; & coram hominis nato consistere. Matth. 24, 42. Marc. 13, 33. 1. Thess. 5, 6.

37 Ita interdiu docebat in fano: in nocte autem exibat, & in monte, qui vocatur Olivarum, versabatur: Ioh. 8, 1. 2.

38 Atque omnis populus ad eum mane ventitabat in templum, ejus audiendi gratia.

CAP. XXII.

Ad Antistites proditor. Cœna. Qui piorum princeps. Preces pro Petro, hujus temeritas. In olivéto Iesu preces. Angelus ad eum. Captus Iesus. Pugnans Petrus, ter mox mendax. Iesu calamitates.

Instabat autem azymorum festum, quod Pascha dicitur. Exod. 12, 15. Matth. 26, 1. Marc. 14, 1.

2 Et

2 Et quærebant Pontifices & Scribæ ejus interficiendi modum: timebant enim plebem.
Ps. 2, 2. Ioh. 11, 47. Act. 4, 27.
3 Intravit autem Satanas in Iudam cognomine Iscariotam, qui erat ex duodecim numero.
Matth. 26, 14. Marc. 14, 10. Ioh. 13, 2. 27.
4 Itaque is Pontifices & antistites aggressus, verba cum eis fecit, quo pacto eum traderet eis.
5 Quo lætati illi, pacti sunt, ei se daturos argentum.
6 Itaque pollicitus, quærebat opportunitatem, eum illis sine turba tradendi.
7 Postquam autem venit azymorum dies, in quo immolandum erat Pascha,
Matth. 26, 17. Marc. 14, 12. 13.
8 Misit Iesus Petrum & Ioannem: Ite, inquit, paratum nobis Pascha, ut polluceamus.
9 Et illi: Ubi vis paremus? inquiunt ei.
10 Quibus ille: Simulac in urbem intraveritis, inquit, incidetis in hominem aquæ fictile ferentem. Eum sequimini in domum quo ingredietur,
11 Et sic ejus domus patrifamilias dicitote: Quærit ex te magister, ubinam sit mansio ubi Pascha cum suis discipulis polluceat?
12 Atque ille vobis cœnaculum ingens instratum ostendet; illic paratote.
13 Igitur digressi, & quæ ille prædixerat, nacti, pararunt Pascha.
14 Ac postquam venit hora, accubuit, & duodecim Apostoli cum eo,
Matth. 26, 20. Marc. 14, 17. 18.
15 Eosque sic allocutus est: Hujus vobiscum pollucendi Paschæ cupiditate ductus sum, antequam supplicio afficiar.
16 Hoc enim sic habetote, me eo non pollucturum esse, donec in Dei regno compleatur.
Matth. 26, 29. Marc. 14, 25.
17 Tum sumpto poculo, actisque gratiis, dixit: Accipite hoc, & inter vos dividite.
18 Scitote enim, non ante me bibiturum esse de fructu vitis, quam Dei regnum veniat.
19 Item sumptum panem actis gratiis fregit, eisque dedit, dicens: Hoc est corpus meum pro vobis dandum: hoc facite in mei recordationem. Matth. 26, 26. Marc. 14, 22. 1. Cor. 11, 23. 24.
20 Similiter & poculum, postquam cœnatum est, dicens: Hoc poculum est novum fœdus, quod fit per meum sangvinem, qui est pro vobis effundendus.
21 Cæterum scitote mei proditoris manum esse mecum in mensa. Matth. 26, 21. 23. Marc. 14, 18. 19. Ioh. 13, 21.
22 Et homine quidem natus abit, ut est definitum: verum væ homini illi, per quem prodendus est. Ps. 41, 10. Act. 1, 16.
23 Illi vero cœperunt inter sese quærere, quisnam eorum foret, qui id facturus esset.
24 Extitit etiam inter eos contentio, quis eorum maximus esse videretur.
Matth. 20, 25. Marc. 10, 42.
25 At ille: Gentium reges (in-

(inquit eis) in eas dominantur: quique imperant, gubernatores appellantur.

26 At vos non ita: quin vestrûm maximus perinde sit ac minimus: & qui præest, perinde ac qui ministrat.

1. Pet. 5, 3. Supr. 9, 48.

27 Uter enim major est? qui accumbit, an qui ministrat? nonne qui accumbit? Atqui ego sum inter vos perinde ac qui ministret. Matth. 20, 28.

Ioh. 13, 14. Phil. 2, 7.

28 Vos vero ii estis, qui mecum permanseritis in meis adversis:

29 Et ego regnum, quemadmodum mihi pater meus legavit, sic vobis lego,

Sup. 12, 32. Matth. 24, 47.

30 Ut comedatis, & bibatis in mea mensa in regno meo, & in tribunalibus sedeatis, jus dicentes duodecim tribubus Israelitarum.

Matth. 19, 28. Apoc. 3, 21.

31 Dixit item Dominus: Simon, Simon, conatus est quidem Satanas cribrare vos, ut frumentum: 1. Petr. 5, 8.

32 Verum ego pro te oravi, ne te fides deficeret. Tu vicissim aliquando recreatus, confirmato fratres tuos.

33 At ille: Domine, inquit ei, tecum paratus sum & carcerem & mortem adire.

34 Et ille: Sic habeto, Petre, inquit: non prius gallum hodie cantaturum, quam tu me tibi notum esse, ter negaveris.

Matth. 26, 34. Marc. 14 30. Ioh. 13, 38.

35 Cæterum dum vos sine crumena, inquit eis, & pera & calceis dimisi, num qua re caruistis: Nulla, inquiunt. Matth. 10, 9. Marc. 6, 8. Supr. 9, 3. & 10, 4.

36 At nunc, inquit eis, & crumenam qui habet, ferat, itidemque peram: & qui non habet, vendat suum pallium, & gladium emat.

37 Scitote enim, in me comprobandum adhuc esse scriptum illud: Et inter nefarios habitus est; habent enim meæ res finem.

Es 53, 12. Marc. 15, 28.

38 Et illi: Domine, ecce hic duo gladii. Satis est, inquit eis.

39 Tum egressus contendit de more in Olivarum montem, eumque secuti sunt discipuli.

Matth. 26, 36. Marc. 14, 32. Ioh. 8, 1. & 18, 1.

40 Atque ubi ad locum venit, dixit eis: Orate, ne in tentationem veniatis. Matth. 26, 41. Marc. 14, 38.

41 Tum ab eis ferme ad lapidis jactum digressus, positis genibus precatus est hujusmodi verbis:

42 Pater, averte, si vis, hoc à me poculum. Quanquam non mea, sed tua voluntas fiat.

43 Apparuit autem ei Angelus de cœlo, qui eum confirmaret.

44 Atque ille cum esset in æstu, contentius orabat, & sudore manabat simili sanguineis guttis ad terram delabentibus.

Ioh. 12, 27. Heb. 5, 7.

45 Deinde precatus surrexit, & ad suos discipulos venit, quos præ ægritudine dormientes nactus dixit eis:

46 Quid

46 Quid dormitis? surgite, orate, ne in tentationem veniatis.

47 Atque adhuc eo loquente, supervenit hominum turba, quibus is qui Iudas dicebatur, unus ex duodecim, præibat. Is ad Iesum osculandum accessit.

Matth.26,47. Marc. 14,43. Ioh. 18, 3.

48 Et Iesus sic eum allocutus est: Iuda, tune osculo homine natum prodis?

49 Videntes autem sui quid futurum esset, dixerunt ei: Domine, feriemusne gladio?

50 Percussitque quidam eorum Pontificis servum, eique dexteram abscidit auriculam. Matth. 26,51. Marc.14,47. Ioh.18,10.

51 Et Iesus respondens: Sinite hactenus, inquit: & tacta illius auricula, eum sanavit.

52 Dixit autem Iesus eis qui se invaserant, pontificibus & fani antistitibus, ac senatoribus; Tanquam ad latronem exiistis cum gladiis & fustibus:

53 Cum quotidie essem apud vos in fano, non injecistis mihi manus; sed hæc vestra est hora, & tenebrarum potestas.

54 At illi comprehensum duxerunt, & in Pontificis domum introduxerunt; Petrus autem procul sequebatur.

Matth.26,57. Marc. 14,53. Ioh. 18, 12. 24.

55 Cumque illi ignem in medio atrio incendissent, & consedissent, sedebat etiam Petrus inter eos.

Matth.26,69. Marc.14,45.66. Ioh.18, 16. 25.

56 Eum sedentem ad ignem conspicata, & intuita quædam ancilla, dixit: Hic quoque cum eo erat.

57 At ille eum negavit, dicens: Mulier, non novi eum.

58 Item paulo post alius eo viso dixit: Et tu ex eis es. At Petrus: Homo, inquit, non sum.

59 Deinde interposita una fere hora alius quidam sic affirmabat: Profecto hic quoque cum eo erat, etenim Galilæus est.

60 At Petrus: Homo, inquit, nescio quid dicas. Tum statim, eo adhuc loquente, cecinit gallus.

Matth.26, 75.

61 Et conversus Dominus Petrum aspexit: Et Petrus Domini dictum recordatus, qui ei fore dixerat, ut priusquam gallus caneret, eum ter negaret;

Matth. 26,34.75. Marc.14,72. Ioh. 13,38. & 18, 27.

62 Foras egressus, acerbe flevit.

63 Iesum autem qui tenebant homines, illudebant verberantes:

Iob. 16, 10. Es. 50, 6. Matth. 26, 67. &c.

64 Eoque velato, tundebant ei faciem, & ita interrogabant: Divina, quis sit qui te percussit:

65 Atque alia multa contumeliose dicebant in eum.

66 Deinde orto die coivit populi senatus, Pontifices & Scribæ, & in suum consessum adducto sic dixerunt: Ps. 2, 2.

Matth. 27, 1. Marc. 15, 1. Ioh. 18, 28.

67 Dic nobis, an tu Christus sis: Quibus ille: Si vobis dixero, non credetis;

68 Quod si vos etiam interroga-

rogavero, non mihi respondebitis, aut me absolvetis.

69 Futurum est, ut sedeat homine natus ad dexteram potentis Dei. Dan. 7, 6. Matth. 16, 27. & 25, 31. Marc. 14, 62. &c.

70 Tu igitur Filius Dei es? inquiunt omnes. Et ille: Cum quem vos esse me dicitis, inquit eis.

71 Tum illi: Quid jam nobis testimonio opus, inquiunt, cum ipsi ex ejus ore audiverimus?

CAP. XXIII.

Ad Pilatum Iesus. Falsa crimina. Ad Herodem Iesus tacitus. Reditus in gratiam Regis, ac prætoris. Pro Christo prætor. Populi furor. Cyrenæus. Duo latrones. Pro carnificibus Iesus: Illusiones, dicteria, titulus. Felix latro, mundi tenebræ. Veli scissio. Christi mors. Verus Centurio. Iosephi pietas. Munimentum novum.

I Gitur surrexit omnis eorum multitudo, & eum duxit ad Pilatum: Matth. 27, 2. Marc. 15, 1. Ioh. 18, 28.

2 Eumque accusare institerunt, dicentes, se ab eo gentem everti deprehendisse, & eum Cæsari tributa solvi vetare, dicentem se Christum esse regem. Matth. 17, 25. & 22, 21. Marc. 12, 17. Luc. 20, 25. Rom. 13, 7. Act. 17, 7.

3 Et Pilatus eum interrogavit: Tune Iudæorum rex es? Cui ille respondens: Tu tu dicis, inquit. Matth. 27, 11. Marc. 15, 2. Ioh. 18, 33. 1. Tim. 6, 13.

4 Pilatus vero Pontificibus & hominum multitudini negavit, ullum se in eo homine crimen deprehendere.

5 At illi urgere: Excitat populum, inquiunt, docens per totam Iudæam exorsus à Galilæa hucusque.

6 Hic Pilatus, audita Galilæa, quæsivit, an homo Galilæus esset?

7 Ac postquam eum ditionis Herodis esse cognovit, misit eum ad Herodem, qui & ipse Hierosolymis per eos dies erat. Luc. 3, 1.

8 Herodes viso Iesu magnopere lætatus est, quippe qui eum jam diu videre cuperet (quod multa de eo audiebat) & se aliquid ab eo prodigiose visurum speraret. Luc. 9, 7. Matth. 14, 1.

9 Verum licet eum multis de rebus interrogaverit, ille ei nihil respondit:

10 Quamvis etiam Pontifices & Scribæ qui aderant, eum acriter accusarent.

11 Itaque despicatus eum Herodes cum suis militibus ac ludificatus, indutum veste splendida Pilato remisit.

12 Factique sunt inter sese amici Pilatus & Herodes eo ipso die: nam antea inter eos intercedebat simultas. Act. 4, 27.

13 Pilatus autem convocatos Pontifices & magistratus ac populum sic allocutus est: Matth. 27, 23. Marc. 15, 14. Ioh. 18, 38. & 19, 4.

14 Adduxistis hunc hominem mihi tanquam qui populum avertat: atqui ego in vestra præsentia examinans, nullum eo-

eorum crimen in hoc homine deprehendi, quibus vos eum accusatis:

15 Sed nec Herodes: ad eum enim misi vos, & videtis nihil morte dignum ab hoc factum esse.

16 Itaque eum castigabo ac relaxabo. Ioh. 19, 1.

17 Habebat autem necesse eis unum relaxare per festum.

Matth. 27, 15. Marc. 15, 6. Ioh. 18, 39.

18 Igitur illi universa multitudine exclamarunt, ut eum tolleret, sibique Barrabam remitteret, Act. 3, 14.

19 Qui fuerat propter seditionem quandam in urbe factam & cædem conjectus in carcerem.

20 Cumque rursum Pilatus Iesum absolvere volens, clamasset:

21 Illi sic reclamare: crucifige, crucifige eum.

22 Quid enim is mali fecit? inquit, eos tertium alloquens. Nullum in eo capitale crimen deprehendi: Itaque eum castigabo, & absolvam.

23 At illi magnis clamoribus instare, flagitantes ut is crucifigeretur, gliscentibus eorum Pontificumque vocibus.

24 Itaque Pilatus eorum postulata facere decrevit: Matth. 27, 26. Marc. 15, 15. Ioh. 19, 16.

25 Eisque eum, qui propter seditionem & cædem fuerat in custodiam datus, & quem flagitabant, absolvit: Iesum autem eorum arbitrio tradidit.

26 Hoc illi abducto, Simonem quendam Cyrenæum, rure venientem comprehenderunt, eique crucem post Jesu tergum ferendam imposuerunt.

Matth. 27, 32. Marc. 15, 21.

27 Sequebatur autem eum ingens hominum multitudo, & mulierum, quæ plangebant, eumque lamentabantur.

28 Ad quas Iesus conversus dixit: Hierosolymitanæ fœminæ, ne me deplorate, sed vos vestrosque natos deplorate.

29 Nam scitote fore tempus, quo beatæ dicentur steriles, & uteri qui non genuerint, & ubera quæ non lactaverint:

30 Cum quidem eo venietur, ut dicant homines montibus, corruite in nos: & collibus, obruite nos. Es. 2, 19. Os. 10, 8. Apoc. 6, 16. & 9, 6.

31 Nam si viridi arbori fiunt hæc, aridæ quid fiet?

Ier. 25, 29. 1. Pet. 4, 16.

32 Ducebantur autem etiam alii duo facinorosi cum eo interficiendi. Ioh. 19, 18. Es. 53, 12.

33 Atque ubi ad locum ventum est, qui Calvaria vocatur: illi eum ibi, & facinorosos, alterum ad dexteram, alterum ad sinistram crucifixerunt. Matth. 27, 33. Marc. 15, 22. Ioh. 19, 17.

34 Et Iesus: Pater, inquit, ignosce eis, nesciunt enim quid faciant. Illi vero ejus vestimenta sorte jacta partiti sunt. Ps. 22, 19. 1. Cor. 4, 12. Act. 3, 17. & 7, 60.

35 Adstabarque spectans populus, & magistratus quoque eum cum eis deridebant: Alios servavit, inquiebant, servet seipsum, si is Christus est Dei electus. Matth. 15, 29. & 27, 39.

36 Acce-

36 Accedebant etiam milites, qui ei illuderent, & acetum ei offerebant,

37 Et: Si tu Iudæorum rex es, inquiebant, serva te ipsum.

38 Erat titulus supra eum, Græcis, Romanis, & Hebraicis literis scriptus: HIC EST IUDÆORUM REX.

Matth. 27, 37. Marc. 15, 26. Ioh. 19, 19.

39 Atque unus pendentium facinorosorum, ei maledicebat, ita dicens: Si tu Christus es, serva & te ipsum & nos.

40 At alter eorum contrà, sic eum objurgare: An tu Deum non metuis, qui sis in eodem supplicio?

41 Et nos quidem merito; nam nostris digna factis accipimus: at hic nullum facinus commisit.

42 Tum ad Iesum: Memento mei, Domine, inquit, cum veneris in regnum tuum.

43 Cui Iesus: Hoc tibi confirmo, inquit, te hodie fore mecum in Paradiso.

44 Erat autem hora fere sexta, & tenebræ per totam terram extiterunt usque ad horam nonam: Matth. 27, 45. Marc. 15, 33.

45 Et sol infuscatus est, & templi velum medium scissum est.

46 Et Iesus ingenti voce clamans, dixit: Pater, tibi in manus commendo spiritum meum. Atque hæc locutus expiravit. Ps. 31, 6. Ioh. 19, 30. Act. 7, 59. 60.

47 Ea re visa, centurio Deo gloriam tribuit dicens: Profecto hic homo justus erat.

48 Et omnis hominum multitudo, qui ad hoc spectaculum venerant, videntes quæ facta forent, tundentes sua pectora reversi sunt.

49 Astabant autem omnes ejus noti procul, nec non fœminæ, quæ eum fuerant à Galilæa secutæ, ea aspicientes.

50 Tum vir quidam nomine Iosephus senator, isque vir bonus & justus, Matth. 27, 57. Marc. 15, 42. 43. Ioh. 19, 38.

51 Qui illorum consilio & facto non assensus erat, ab Arimathæa Iudæorum oppido, qui & ipse Dei regnum expectabat: Luc. 2, 25. 38.

52 Is, inquam, Pilatum aggressus, Iesu corpus postulavit.

53 Idque detractum, linteo involvit, & in exciso monimento posuit, ubi nemo adhuc situs fuerat.

54 Erat autem ea dies Præparatio, qua Sabbathum illucescebat. Matth. 27, 62.

55 Et mulieres subsecutæ, quæ ex Galilæa cum eo venerant, monimentum aspexerunt, & ut ejus corpus positum sit:

56 Reversæque præpararunt aromata & unguenta, & Sabbatho quidem ex præcepto quieverunt. Exod. 20, 10.

CAP. XXIV.

Ad monimentum aromata. Iesus non inventus. Angeli duo. Mulieres ad Apostolos. Ad sepulcrum Petrus. Christus cum duobus in itinere: plagæ Christi attrectatæ. In Bethania Iesus in cœlum. Discipulorum caritas.

Pri-

PRimo autem post Sabbathum die, summo mane venerunt ad monimentum, ferentes quæ paraverant aromata, quibusdam eas comitantibus: Matth. 28, 1. Marc. 16, 1. Ioh. 20, 1.

2 Saxumque invenerunt a monimento avolutum.

3 Et ingressæ, Domini Iesu corpus non invenerunt.

4 Atque hic cum ea de re consternatæ essent, ecce duo viri eis in vestibus astitere coruscantibus:

5 Qui perterritas, & vultum ad terram inclinantes, sic allocuti sunt: Quid quæritis viventem inter mortuos?

6 Non est hic, sed surrexit. Mementote ut vobis locutus sit, cum esset adhuc in Galilæa, Supr. 9, 22. & 18, 32. Matth. 16, 21. & 17, 23. & 20, 18. Marc. 8, 31. & 9, 31. & 10, 33.

7 Dicens oportere homine natum in hominum improborum manus tradi, & crucifigi, & tertio die resurgere.

8 Tum illæ eius verborum recordatæ sunt: Ioh. 2, 22.

9 Et a monimento reversæ, hæc omnia undecim omnibusque cæteris renunciarunt. Matth. 28, 8. Marc. 16, 10.

10 Erat autem Magdalena Maria, & Ioanna, & Maria, Iacobi mater, & reliquæ una cum eis, quæ hæc Apostolis dixerunt: Luc. 8, 3.

11 Sed illis earum verba pro nugis habita sunt, nec eis crediderunt.

12 Petrus autem surgit, & ad monimentum currit: & introspiciens aspicit lintea sola posita, & abiit, secum ipse eam rem admirans. Ioh. 20, 3. 6.

13 Proficiscebantur autem eorum duo eo ipso die in vicum distantem a Hierosolyma stadia sexaginta, cuius nomen erat Emaus, Marc. 16, 12.

14 Et inter sese de omnibus iis rebus colloquebantur.

15 Atque eis colloquentibus ac disputantibus, ipse Iesus accedit, & cum eis iter facit. Matth. 18, 20. Inf. v. 36.

16 Ita autem tenebantur eorum oculi, ut eum non agnoscerent.

17 Atque ille: Qui sunt isti sermones, inquit eis, quos inter vos confertis ambulantes, idque tristes?

18 Cui unus, nomine Cleophas, ita respondit: Tune solus adeo Hierosolymæ hospes es, ut ea nescias, quæ in ea per hosce dies acciderunt?

19 Quænam? inquit eis. De Iesu Nazareno, inquiunt, qui vir vates fuit, re verbisque potens, & in Dei, & in totius populi conspectu: Matth. 21, 11. Luc. 7, 16. Ioh. 4, 19. & 6, 14.

20 Utque eum tradiderint Pontifices magistratusque nostri ad capitale iudicium, & in crucem sustulerint:

21 Et tamen nos eum esse sperabamus, qui Israelitas liberaturus esset: Accedit ad hæc omnia, quod tertius hic dies agitur, ex quo hæc facta sunt. Act. 1, 6.

22 Quanquam mulieres quædam ex nostris stupefeceruntnos:

quæ mane ad monimentum profectæ, Matth. 28, 8.
Marc. 16, 10. Ioh. 20, 18.

23 Neque corpus nactæ, redierunt, & se Angelorum visum vidisse dixerunt, qui eum vivere dicerent.

24 Et sociorum nostrorum quidam ad monimentum profecti, sic esse compererunt, quemadmodum dixerunt fœminæ: ipsum quidem non viderunt.

25 Et ille: O socordes, inquit eis, & animo tardi ad credenda quæ tam multa dixere vates.

26 Quasi vero non ea pati Christum, & ita suam inire glotiam oportuerit. Es. 50, 6. & 53. toto. Phil. 2, 7. &c. Hebr. 12, 2. 1. Petr. 1, 11.

27 Tum exorsus a Mose omnes obiens vates, eis per omnia scripta, quæ de se ipso dicta forent, interpretabatur.
Gen. 3, 15. & 2 , 18. & 26, 4. & 49, 10. Ps. 16, 8. 9. 10. & 22. toto. 132, 11. Dan. 9, 24. &c.

28 Deinde ubi prope vicum, quo proficiscebantur, ventum est, ipse se longius ire simulabat.

29 Sed illi eum coegerunt, dicentes: Mane nobiscum: appetit enim vespera, & dies inclinavit. Itaque ingressus est ad manendum cum eis. Gen. 19, 3. Act. 16, 15. Hebr. 13, 2.

30 Atque inter accumbendum cum eis, panem sumpsit, eumque, fausta super eo precatione usus, fregit, & eis præbuit.

31 Et illi, apertis eorum oculis, eum agnoverunt: atque ille ex eorum conspectu evanuit.

32 Tum illi inter sese sic dicere: Nimirum nobis ardebat animus, cum nos in via alloqueretur, cumque nobis scripta aperiret.

33 Ergo ea ipsa hora surgunt, & Hierosolymam redeunt, & congregatos inveniunt undecim, eorumque socios,

34 Qui dicebant reipsa surrexisse Dominum, seque Simoni ostendisse. 1. Cor. 15, 5.

35 Atque ipsi quæ in via contigissent, narrare cœperunt, utque eis frangendo pane cognitus fuisset.

36 Hæc eis loquentibus, ipse Iesus in eorum medio stetit, &: Saluete, inquit.
Marc. 16, 14. Ioh. 20, 19.

37 Cumque pavefacti ac perterriti se spiritum cernere putarent, dixit eis:

38 Quid turbati estis? aut cur istæ subeunt animos vestros cogitationes?

39 Aspicite meas manus atque pedes, quod ipse ego sum. Attrectate me, & aspicite: nam spiritus quidem carnem & ossa non habet, ut habere me videtis. Iac. 20, 20. 27.

40 Hæc locutus, ostendit eis manus atque pedes.

41 Cumque adhuc præ gaudio diffiderent, ac mirarentur, dixit eis: Habetis hic aliquid edulii? Ioh. 21, 10.

42 Tum illi tosti piscis partem, & favi mellis, præbuerunt,

43 Et ille coram eis sumpsit ac comedit.

44 Et ad eos sic verba fecit: Hæc sunt quæ vobis, dum adhuc

huc vobiscum eram, dixi. Scilicet oportere omnia in Mosis lege, vatibusque & Psalmis, de me scripta perfici.

Matth. 16, 21. & 17, 22. & 20, 18. Marc. 8, 31. & 9, 31. & 10, 33. Supr. 9, 22. & 18, 31. & 24, 6.

45 Tum eis mentem ad intelligenda scripta aperuit,

46 Et ita dixit: Sic scriptum fuit, & sic Christum supplicio affici oportuit, & tertia die ex mortuis resurgere, Supr. v. 16. Ps. 22, 7. Act. 17, 3.

47 Eiusque nomine vitæ correctionem, & peccatorum veniam per omnes gentes, facto a Hierosolymis initio, prædicari, Act. 13, 38. 1. Ioh. 2, 12.

48 Atque horum vos testes estis, & ego sum vobis Patris mei promissum missurus.

Ioh. 14, 26. & 15, 26. & 17, 7. Act. 1, 4. & 2. toto.

49 Vos vero manete in urbe Hierosolyma, donec potestatem desuper induatis.

50 Eduxit autem eos foras Bethaniam usque, sublatisque manibus bene ominatus est.

Act. 1, 12.

51 Et inter ominandum eis discessit ab eis, & in cœlum sublatus est.

Marc. 16, 19. Act. 1, 9.

52 Atque illi eum venerati Hierosolymam cum ingenti lætitia redierunt.

53 Et erant continenter in templo, Deum collaudantes, eique gratias agentes. Amen.

EVANGELIUM
AUTORE
IOANNE.

CAP. I.

Sermo ille ante secula ex DEO genitus. Et qui semper apud patrem residebat. Homo factus est. Ioannes quorsum a DEO missus. Concio ipsius de officio Christi. Testimonium eiusdem sacerdotibus redditum. Andreæ vocatio, Petri, Philippi, Nathanaelis.

IN principio erat sermo, & sermo erat apud Deum, & Deus erat is sermo.

1. Ioh. 1, 1. 2. Apoc. 19, 13. Infr. 10, 33. 36.

2 Is erat in principio apud Deum.

3. Omnia per eum facta sunt, & absque eo factum est nihil, quod factum sit. Eph. 3, 9. Col. 1, 17. Heb. 1, 2. Infr. 5, 26. & 8, 12, & 9, 5. & 12, 46. 1. Ioh. 5, 11.

4 In eo vita erat, & vita erat lux hominum.

5 Et lux in tenebris lucet, nec eam comprehenderunt tenebræ.

Infr. 3, 19.

6 Fuit homo missus a Deo, nomine Ioannes. Matth. 3, 1. Marc. 1, 2. Luc. 3, 3. & 7, 17. Act 13, 24.

7 Is venit ob testimonium, ut de Luce testaretur, ut omnes per eum crederent.

8 Non erat ille ipsa Lux, sed qui de luce testaretur.

9 Erat ipsa vera lux, quæ collustrat omnem hominem, veniens in mundum. Inf. 5, 19. & 8, 12. & 9, 5. & 12, 46.

10 In mundo erat, & mundus per eum factus fuit, & mundus eum non cognovit. Heb. 1, 2.

11 In sua venit, & sui eum non acceperunt.

12 Quicunque autem eum acceperunt, iis eam potestatem dedit, ut Dei filii fierent, fidem habentibus ejus nomini:

Rom. 8, 15. Gal. 3, 26. 2. Petr. 1, 4. 1. Ioh. 3, 1.

13 Qui non ex sanguine, nec ex voluntate carnis, nec ex voluntate viri, sed ex Deo geniti sunt. Infr. 3, 5. Iac. 1, 18. 1. Petr. 1, 23.

14 Et sermo caro factus est, & apud nos gratiæ veritatisque plenus habitavit: ejusque splendorem, ut unigenæ a Patre splendorem aspeximus.

Matth. 1, 16. & 17, 2. Luc. 1, 31. & 2, 7. 1. Petr. 1, 17. Col. 1, 19. & 2, 3. 9.

15 De eo testificatus est Ioannes, clamans his verbis: Hic est quem dixi, qui post me veniens, ante me fuit, quippe qui prior me sit: Matth. 3, 11. Marc. 1, 7. Luc. 3, 16. Inf. v. 26. seqq & 3, 31.

16 Atque ex ejus plenitudine nos omnes sumpsimus, & gratiam pro gratia: Col. 1, 19. & 2, 9.

17 Siquidem lex per Mosen tradita est: gratia & veritas per Iesum Christum contigit.

Exod. 20, 1. &c. Deut. 5, 6. &c.

18 Deum nemo vidit unquam: unigena filius, qui in sinu Patris, is exposuit. Exod. 33, 20. Deut. 4, 12. Inf. 6, 46. 1. Ioh. 4, 12. 1. Tim. 6, 16. Matth. 11, 27. Luc. 10, 22.

19 Atque hoc est Ioannis testimonium, tum cum miserunt Iudæi Hierosolyma Sacerdotes & Levitas, qui ex eo quærerent quis esset. Ioh. 5, 33.

20 Atque ille confessus est, neque negavit: confessus est, se non esse Christum.

Inf. 3, 28. Act. 13, 25.

21 Quid ergo? inquiunt illi interrogantes. Elias es tu? Non sum, inquit. Vates es tu? Non, inquit ille respondens.

Deut. 18, 15.

22 Et illi: Quis es? inquiunt ei, ut responsum demus eis, qui nos miserunt. Quid de ipso dicis?

23 Ego sum, inquit, vox in solitudine clamantis: Corrigite Domini viam, quemadmodum dixit Esaias vates.

Es. 40, 3. Matth. 3, 3. Marc. 1, 3. Luc. 3, 4. Supr. v. 15.

24 Tum qui erant missi (erant autem ex Pharisæis) sic eum interrogarunt:

25 Qvid ergo baptizas, si tu neque Christus es, nec Elias, nec vates? Deut. 8, 15.

26 Ego aqua baptizo, inquit, eis respondens Ioannes, sed inter vos adest, quem vos non nostis:

Matth. 3, 11. Marc. 1, 7. Luc. 3, 16. Act. 1, 5. & 11, 16. & 19, 4.

27 Is est qui & post me venit, & ante me fuit, cujus ego non sum

sum dignus qui calcei corrigiam solvam.

28 Hæc Bethabaræ facta sunt, trans Iordanem, ubi baptizabat Ioannes.

29 Postridie aspicit Ioannes venientem ad se Iesum, & dicit: Ecce agnus Dei qui mundi peccatum tollit. Exod 12, 3. Es. 53, 8. Inf. v. 36. 1. Pet. 1, 19. Act. 8, 32.

30 Hic est de quo dixi: Post me venit vir, qui ante me fuit, quippe prior me. Supr. v. 15.

31 Equidem eum non noveram, sed ut patefiat Israelitis, propterea veni ego aqua baptizatum.

32 Atque his verbis testificatus est Ioannes: Vidi spiritum descendentem, veluti columbam, de cœlo, & super eo manentem. Matth. 3, 16. Marc. 1, 10. Luc. 3, 21.

33 At equidem non noveram eum; sed qui me ad aqua baptizandum misit, is mihi sic dixit: Super quem descendere, & manere Spiritum videris, is est qui Sancto Spiritu baptizat. Matth. 3, 11.

34 Ego vero & vidi, & hunc esse Dei filium testatus sum.

35 Postridie rursus aderat Ioannes, nec non ejus discipulorũ duo:

36 Et conspicatus ambulantem Iesum, dicit: Ecce agnus Dei. Supr. v. 29.

37 Ejus verbis auditis, duo illi ejus discipuli Iesum secuti sunt.

38 Et Iesus conversus, & eos sequentes intuitus, dixit eis: Quid quæritis? Cui illi: Rabbi (quod perinde est ac si dicas Magister) ubi manes?

39 Venite visum, inquit eis: Et illi iverunt, & apud eum manserunt eum diem: Erat autem hora circiter decima.

40 Erat Andreas Simonis Petri frater, unus ex duobus, qui eum audito Ioanne secuti fuerant. Matth. 4, 18.

41 Is prior fratrem suum Simonem nactus, dicit ei: Invenimus Messiam, (quod verbum unctum declarat.)

42 Eumque duxit ad Iesum. Eum intuitus Iesus, ait: Tu es Simon Ionæ filius; tu vocabere Cephas: id verbum Petrum sonat. Matth. 16, 18.

43 Postero die voluit Iesus in Galilæam proficisci, & Philippum nactus dixit ei: Sequere me.

44 Erat autem Philippus a Bethsaida, Andreæ & Petri urbe. Ioh. 12, 21.

45 Philippus Nathanaelem nactus, sic alloquitur: Quem scripsit Moses in lege, & vates, invenimus, Iesum Iosephi filium a Nazaretha.

Inf. 21, 2. Gen. 3, 15. & 22, 18. & 49, 10. Deut. 18, 15. 2. Sam. 7, 12. Es. 7, 14. & 9, 5. & 40, 10. 11. & 53, 1. Ier. 23, 5 & 33, 14. Ezech. 34, 23. & 37, 24. Dan. 9, 24. Mich. 5, 2. Zach. 6, 12. & 9, 9.

46 Cui Nathanael: A Nazaretha, inquit, potest aliquid bonum esse? Et Philippus: veni visum, inquit ei.

Matth. 2, 23. Luc. 2, 4. Inf. 7, 41. 42.

47 Vidit Iesus venientem ad se Nathanaelem, & de eo dixit:

Ecce vere Israelita, in quo dolus non est. Ps. 32, 2.

48 Et Nathanael: unde me nosti? inquit ei. Cui Iesus respondens: Antequam te Philippus vocaret, inquit, cum esses sub ficu, ego te videbam.

49 Tum Nathanael: Rabbi (inquit eum alloquens) tu es DEI Filius, tu Rex es Israelitarum.

50 Et Iesus: Quoniam tibi dixi (inquit ei) te a me sub ficu esse visum, credis: majora his videbis.

51 Hoc vobis (inquit ei) etiam atque etiam confirmo, futurum esse, ut apertum cœlum videatis, & Dei Angelos ascendentes & descendentes ad homine natum. Gen. 28, 12.

Matth. 4, 11. Luc. 22, 43. & 24, 4. Act. 1, 10.

CAP. II.

Christus aquam in vinum mutatam fecit signorum suorum principium. Capharnaum descendit: hinc Hierosolymam ascendit, & mercatum e templo ejicit. Templum, nempe corpus suum, solvendum a Iudæis prædicit. Multi credunt in eum ob signa, quæ edebat.

TErtio autem die nuptiæ factæ sunt Canæ in Galilæa, ubi & Iesu mater erat.

2 Et Iesus, ejusque discipuli ad nuptias vocati sunt.

3 Cumque defecisset vinum, Iesum mater sic alloquitur: Vinum non habent.

4 Cui Iesus: Quid tum postea? mulier, nondum venit hora mea.

5 Mater ministros monuit, ut quod ille eis jussisset, facerent.

6 Erant illic posita sex lapidea solia, ut ferebat Iudæorum purificatio, binarum ternarumve metretarum capacia. Marc. 7, 3.

7 Ea solia ut aqua replerent, jussit eis Iesus. Cumque ad summum usque repleuissent,

8 Iussit ut nunc haurirent, & convivii magistro ferrent. Atque illi tulerunt.

9 Ut vero gustavit convivii magister factum ex aqua vinum, ignarus unde esset (nam ministri quidem sciebant, qui aquam hauserant) sponsum accersit,

10 Et sic alloquitur: Cum omnes homines primum bonum vinum apponant, deinde potis convivis deterius, tu bonum vinum hucusque servasti.

11 Hoc præbuit miraculorum initium Iesus Canæ in Galilæa, suamque gloriam ostendit, & ei fidem habuerunt eius discipuli.

12 Postea descendit Capernaum una cum sua matre, & fratribus, & discipulis, atque illic mansere non multos dies.

13 Cumque instaret Iudæorum Pascha, ascendit Hierosolymam Iesus.

14 Et nactus in templo vendentes boves, & oves, & columbas, & numularios sedentes, Matth. 21, 12. Marc. 11, 15. Luc. 19, 45.

15 Facta ex loris scutica, omnes ejecit ex fano, ovesque & boves, & mensariorum æs effudit, evertitque mensas.

16 Et columbarum venditoribus dixit: Hæc auferte hinc, & ex mei

mei Patris domo ne facite mercatoriam domum.

17 Recordati sunt autem eius discipuli, ita scriptum esse: Tuæ domus studio conficior.
Ps. 68, (69.) 10.

18 At Iudæi sic eum contra allocuti sunt: Ede nobis aliquod prodigium, quo intelligamus ista tibi licere. Matth. 12, 38. & 16, 1. Marc. 8, 11. Luc. 11, 29. Ioh. 6, 30.

19 Qvibus respondens Iesus: Dissolvite hoc templum, inquit, & tribus diebus id excitabo.
Matth. 26, 61. & 27, 40. Marc. 14, 58. & 15, 29.

10 Et Iudæi: Quadraginta sex annis constructum est hoc templum, inquiunt, & tu id tribus diebus excitabis?

21 At ille de sui corporis templo dicebat.

22 Itaque postquam ex mortuis surrexit, recordati sunt eius discipuli, id eum illis dixisse: scriptoque, & Iesu dicto crediderunt. Luc. 24, 8.

23 Cum autem Hierosolymis esset in festo Paschæ, frequentes in eius nomen crediderunt, videntes quam mira faceret.

24 At ipse Iesus non se eis credebat, propterea quod cognoscebat omnes:

25 Nec ei opus erat, ut de homine à quoquam moneretur, quippe qui nosset quid inesset in homine. Inf. 6, 64. Act. 1, 24. Apoc. 2, 23.

CAP. III.

Christus Nicodemum ab ipsis fundamentis Christianæ regenerationis instituit. Serpens in deserto, Ioannes baptizat, & suos docet, se non esse Christum.

ERat autem homo quidam ex Pharisæis, nomine Nicodemus, Iudæorum primarius:
Infr. 7, 50. & 19, 39.

2 Is Iesum noctu adiit, & eum sic est allocutus: Magister, scimus te venisse doctorem a Deo. Nam ista tam miranda facere quæ tu facis, nemo possit, nisi adsit ei Deus.
Ioh. 9, 16. 33. Act. 10, 38.

3 Cui Iesus respondens: Hoc tibi etiam atque etiam confirmo, inquit, qui denuo natus non fuerit, eum non posse divinum regnum videre. Tit. 3, 5.

4 Et Nicodemus: Quo pacto possit homo nasci qui sit senex? Nunquid potest iterum in ventrem suæ matris ingredi, atque nasci?

5 At Iesus ei respondens: Hoc tibi magnopere confirmo, qui ex aqua & Spiritu natus non fuerit, non posse in divinum regnum intrare.

6 Quod ex carne natum est, caro est: & quod ex spiritu natum est, spiritus est.

7 Noli mirari quod tibi dixerim, vobis esse renascendum.

8 Ventus quovis flat, eiusque sonitum tu audis: sed unde veniat, aut quo abeat, nescis: Sic est, quisquis ex spiritu natus est.
Eccl. 11, 5. 1. Cor. 2, 11.

9 At Nicodemus contra: Quo pacto possunt ista fieri? inquit.
Inf. 6, 52. 60.

10 Cui respondens Iesus: Tu Israelitarum doctor es, & hæc nescis? Hebr. 5, 12.

11 Hoc iterum atque iterum tibi confirmo, nos quod dicimus & testificamur, id scire ac vidisse, & tamen testimonium nostrum non accipitis. Ioh. 7, 16, & 8, 28. & 12, 49. & 14, 24. Inf. v. 32.

12 Si cum terrestria vobis dixerim, tamen non creditis, quomodo si dixero cœlestia, credetis?

13 Atqui cœlum nemo conscendit, nisi qui ex cœlo descendit, homine natus qui est in cœlo. Infr. 6, 62. Eph. 4, 9.

14 Ac quemadmodum Moses serpentem extulit in solitudine, sic oportet homine natum extolli, Num. 21, 9. 2. Reg. 18, 4. Infr. 8, 28, & 12, 32.

15 Ut quisquis ei fidem habeat, non pereat, sed vitam obtineat sempiternam. Inf. v. 36. Luc. 19, 10. 1. Ioh. 5, 10.

16 Sic enim amavit Deus mundum, ut filium suum unicum dederit, ut quisquis in eum credat, non pereat, sed vitam obtineat sempiternam.

Rom. 5, 8. & 8, 32. 1. Ioh. 4, 9.

17 Non enim misit Deus filium suum in mundum, ut mundum damnet, sed ut servetur per eum mundus. Infr. 9, 39. & 12, 47. Luc. 9, 56. 1. Ioh. 4, 14.

18 Qui in eum credit, non damnabitur: qui vero non credit, jam damnatus est, quod in unigenæ Dei filii nomen non crediderit.

Infr. 5, 24. & 6, 40. 47. & 20, 31.

19 Hæc est autem damnatio, quod cum venerit in mundum lux, tenebras magis quam lucem amaverint homines, quippe quorum prava forent opera.

Sup. 1, 5. 10. 11.

20 Quisquis enim vitiosa facit, lucem odit, nec in lucem prodit, ne ejus facta arguantur.

Iob. 24, 13. & seqq.

21 Sed qui vera facit, is in lucem prodit, ut patefiant ejus opera, utpote facta divinitus.

Eph. 3, 5. 8.

22 Postea venit Iesus una cum suis discipulis in Iudæam terram, & illic cum eis degens baptizabat. Infr. 4, 1.

23 Ioannes vero in Aenone prope Salim baptizabat, quod ibi multa erat aqua, ventitabantque homines, & baptizabantur.

1. Sam. 9, 4. Matth. 3, 6. 16. Marc. 1, 5. Luc. 3, 7.

24 Nondum enim erat coniectus in carcerem Ioannes.

Matth. 14, 3.

25 Orta igitur quæstione inter Ioannis discipulos & Iudæos de purificatione,

26. Ioannem adierunt, eumque sic allocuti sunt: Magister, qui tecum erat trans Iordanem, cui tu testimonium dedisti, eum scito baptizare, & omnes ad eum itare. Sup. 1, 7. 15. 26. 34. Matth. 3, 11. Marc. 1, 7. Luc. 3, 16.

27 Et Iohannes ita respondit: Nihil usurpare potest homo, nisi sit ei de cœlo datum.

1. Cor. 4, 7. Iac. 1, 17.

28 Ipsi vos testes estis, me dixisse, non esse me Christum, sed ei præmissum.

Sup. 1, 20. 30. Mal. 3, 1. Matth. 11, 10. Marc. 1, 2. Luc. 1, 17. & 7, 27.

29 Qui

29 Qui sponsam habet, sponsus est: Sponsi autem amicus, qui & astat, & eum audit, voluptatem ex sponsi voce capit. Hæc igitur mea voluptas expleta est.

30 Illum crescere, me decrescere oportet.

31 Qui superne venit, supra omnes est: qui a terra est, is & terrestris est, & terrestria loquitur. Qui a cœlo venit, supra omnes est: Ioh. 8, 23. 1. Cor. 15, 47.

32 Quodque & vidit & audivit, id testatur, & tamen ejus testimonium admittit nemo.

Joh. 5, 20. & 8, 26. & 12, 49. & 14, 10.

33 Qui ejus testimonium admittit, is veracem esse Deum consignat:

Rom. 3, 4. 1. Joh. 5, 10.

34 Quippe cum is quem Deus misit, Dei verba eloquatur, utpote quem Deus sine modo spiritu donet. Supr. 1, 16. Eph. 4, 7.

35 Amat Pater Filium, eique omnia tradidit in manum.

Matth. 11, 27. & 28, 18. Luc. 10, 22. Joh. 5, 22. & 17, 2. Heb. 2, 8.

36 Qui Filio fidem habet, vitam consecuturus est æternam. Qui vero Filio non paret, is vitam non videbit, sed ei imminet ira divina. Habac. 2, 4. 1. Joh. 5, 11. Joh. 3, 15. 16. & 6, 47.

CAP. IV.

Iesus fatigatus potum petit a muliere Samaritana. Veram adorationem docet. Fatetur se esse Messiam. Cibus ipsius. Samaritani credunt in eum. Regii filium sanat.

VT igitur cognovit Dominus Pharisæos audivisse, Iesum plures facere discipulos, & baptizare quam Joannem,

Supr. 3, 22. 26.

2 (Quanquam Iesus ipse non baptizabat, sed ejus discipuli)

3 Reliquit Iudæam, & rursus abiit in Galilæam.

4 Erat autem ei per Samariam iter faciendum.

5 Itaque venit ad oppidum Samariæ, nomine Sichar, prope locum, quem Iacobus Iosepho filio suo donavit,

Gen. 33, 9. & 48, 12. Ios. 24, 32.

6 Ubi Iacobi fons erat. Igitur Iesus ex itinere fessus, ibi apud fontem resedit, hora ferme sexta.

7 Venit mulier a Samaria haustum aquam. Et Iesus ei ita dixit: Da mihi bibere.

8 Ejus enim discipuli iverant in urbem, ut cibos emerent.

9 At mulier Samaritana sic ei respondit: Qui fit, ut tu Iudæus a me muliere Samaritana potum petas? non enim habent Iudæi cum Samaritanis commercium. Luc. 9, 52. 53. Ioh. 8, 48. Act. 10, 28. 2. Reg. 17, 24.

10 Et Iesus ei respondens: Si Dei donum intelligeres, inquit, & quisnam sit qui a te potum postulat, tu peteres ab eo, tibique ipse daret aquam vivam.

Es. 12, 3. Ioh. 6, 35. & 7, 38. 39.

11 Tum mulier: Domine, inquit ei, neque tu haustrum habes, & puteus est profundus: unde igitur habet istam aquam vivam? Ier. 2, 13.

12 Num tu major es parente nostro Iacobo, qui nobis puteum

tradidit, & hac aquatione usus est tum ipse, tum ejus nati atque pecora?

13 Cui Iesus ita respondit: Quisquis ex hac aqua bibit, tamen rursum sitit: Inf. 6, 58.

14 Sed qui ex aqua, quam ego ei dedero, biberit, is nunquam sitiet: quin aqua, quam ei dedero, fiet in eo fons scaturiens ad vitam æternam.

Inf. 6, 27. 35. & 7, 38. 39.

15 Et mulier: Domine, imperti me ista aqua, ne sitiam, aut huc haustura veniam.

16 Cui Iesus: I evocatum virum tuum, & huc venito.

17 Non habeo virum, inquit ei respondens mulier. Et Iesus: Recte dicis non habere te virum.

18 Quinque enim viros habuisti: nunc quem habes, non est tuus vir. Istud vere dixisti.

19 Hic mulier: Domine, inquit ei, video te vatem esse.

Inf. 6, 14. Luc. 7, 16. & 24, 19.

20 Majores nostri in hoc monte Deum coluerunt: atqui vos dicitis, Hierosolymis esse locum, ubi sit colendus. Deut. 12, 5. 11.

1. Reg. 9, 3. 2. Par. 7, 12.

21 Cui Iesus: Mulier, crede mihi, adventat hora, cum nec in hoc monte, nec Hierosolymis Patrem coletis.

22 Vos quid colatis, nescitis: nos quid colamus, scimus: quippe quia Salus a Iudæis est.

4. (2) Reg. 17, 29. Es. 2, 3. Luc. 24, 47. Rom. 3, 2. & 9, 4.

23 Sed adventat hora, & nunc est, cum veri cultores Patrem animo & vere colent. Etenim Pater à talibus se coli postulat.

24 Animus est Deus: & qui eum colunt, animo & vere debent colere. 2. Cor. 3, 17.

25 Et mulier: Scio, inquit ei, venturum esse Messiam (qui Unctus dicitur.) Is cum venerit, rem omnem nobis explicabit.

26 Et Iesus: Ego is sum, inquit ei, qui tecum loquor.

Inf. 9, 37.

27 Interea supervenerunt ejus discipuli, & eum cum fœmina loqui mirati sane sunt: nullus tamen quid quæreret, aut quid cum ea loqueretur, percontatus est.

28 Igitur mulier, relicta sua situla, urbem petiit, hominesque monuit,

29 Ut hominem viserent, qui sibi omnia facta sua dixisset: fortassis eum esse Christum.

30 Itaque ex urbe egressi, venerunt ad eum.

31 Interea sic eum hortati sunt ejus discipuli: Magister, cape cibum.

32 At ille: Ego cibum habeo comedendum, inquit eis, quem vos nescitis.

33 Ac quærentibus inter sese ejus discipulis, num quis ei cibum attulisset?

34 Iesus sic eos alloquitur: Mihi pastus est, ejus voluntatem exequi qui me misit, ejusque opus absolvere.

35 Vos quidem dicitis, hinc ad quatuor menses futuram esse messem. At ego sic vobis dico: Erigite oculos & rura aspicite, ut jam alba sint ad messem:

Matth. 9, 37. Luc. 10, 2.

36 Et messor mercedem accipit

pit, & ſator fruges congerit ad victum perpetuum, ut & ſator ſimul gaudeat & meſſor.

37 Nam in hoc dictum illud comprobatur: Alius eſt qui ſerit, alius qui metit.

38 Ego vos miſi ad metendum quod vos non laboraſtis. Alii laborarunt, vos in eorum laborem invaſiſtis.

39 Ex ea autem urbe multi Samaritanorum in eum crediderunt propter fœminæ ſermonem, teſtificantis eum ſibi, quicquid ipſa feciſſet, dixiſſe.

40 Igitur ut ad eum venerunt Samaritani, rogarunt ut apud ſe maneret: itaque manſit illic duos dies,

41 Multoque plures ob ejus ſermonem crediderunt,

42 Mulierique dicebant, non ſe jam propter ipſius mulieris orationem credere, ipſos enim audiviſſe, ſcireque eum vere mundi ſervatorem eſſe Chriſtum. Joh. 17, 8.

43 Deinde biduo poſt illinc profectus, diſceſſit in Galilæam.

44 Ipſe enim Ieſus teſtatus eſt, nullum vatem in ſua patria in honore eſſe. Matth. 13, 57. Marc. 6, 4. Luc. 4, 24.

45 Ut ergo venit in Galilæam, acceperunt eum Galilæi, ut qui omnia vidiſſent, quæ Hieroſolymis in feſto fecerat: nam & ipſi ad feſtum iverant.

46 Venit igitur Ieſus rurſum Canam Galilææ, ubi fecerat ex aqua vinum. Erat autem quidam regius, cujus filius ægrotabat Capernai. Sup. 2, 1. 11.

47 Is audiens Ieſum ex Iudæa venire in Galilæam, eum adiit, rogavitque ut deſcenderet, ſuumque filium ſanaret: nam jam jam moriturus erat.

48 Et Ieſus niſi oſtenta & miracula videritis, inquit ei, non ſitis credituri. 1. Cor. 1, 22.

49 At regius: Domine, inquit, deſcende, priuſquam moriatur puer meus.

50 Et Ieſus: Abi, inquit, vivit tuus filius. His Ieſu verbis auditis credidit homo, & diſceſſit.

51 Iam vero eo deſcendente, ei obviam facti ejus ſervi, nunciarunt ejus puerum vivere:

52 Eique ſciſcitanti qua hora melius habuiſſet, dixerunt: pridie hora ſeptima liberatum fuiſſe febre.

53 Cognovit itaque pater eam ipſam horam eſſe, qua ei dixerat Ieſus, ejus filium vivere: Crediditque tum ipſe, tum ejus univerſa domus.

54 Hoc item alterum oſtentum edidit Ieſus, cum ex Iudæa veniſſet in Galilæam.

CAP. V.

Chriſtus ad piſcinam decumbentem ſanat in Sabbato. Phariſæos præcipiti judicio factum ſuum calumniantes, autoritate Patris ſui convincit. Divinam ſuam virtutem multis argumentis, Moſis etiam teſtimonio comprobat.

POſtea cum eſſet Iudæorum feſtum, aſcendit Ieſus Hieroſolymam. Lev. 23, 2. Deut. 16, 1.

2 Eſt autem Hieroſolymis apud oviaticam piſcinam, ea quæ Hebraice Betheſda nuncupatur, quinque porticus habens,

3 In

3 In his jacebat ingens ægrotantium multitudo, cæcorum, claudorum, tabidorum, aquæ motionem expectantium.

4 Angelus enim certo tempore descendebat in piscinam, aquamque turbabat: post quam aquæ turbationem qui primus L. in piscinam G. descendebat, sanus evadebat, quocunque tandem morbo teneretur.

5 Erat illic homo quidam annum agens in morbo duodequadragesimum.

6 Hunc ut vidit Iesus decumbentem, & jam diu decubuisse cognovit, dicit ei: Vis sanus fieri?

7 Cui ægrotus: Domine, inquit respondens, hominem non habeo, qui me, dum turbata est aqua, conjiciat in piscinam. Interim dum eo ego, alius ante me descendit.

8 Tum Iesus: Surge, inquit ei, tolle grabatum tuum & ambula. Matth. 9, 6. Marc. 2, 11. Luc. 5, 24.

9 Atque homo confestim sanus evasit, & sublato suo grabato, ambulabat. Erat autem ea die Sabbathum. Inf. 9, 14.

10 Itaque dicebant Iudæi curato: Sabbathum est: non licet tibi tollere grabatum.

Exod. 20, 10. Deut. 5, 13, Neh. 13, 19. Ier. 17, 21. Matth. 12, 2. Marc. 2, 24. Luc. 6, 2.

11 Quibus ille sic respondit: Qui me sanum effecit, is mihi jussit ut grabatum meum tollerem, & ambularem.

12 Igitur eum interrogarunt quis esset homo, qui ei jussisset ut suum grabatum tolleret, & ambularet.

13 At ille sanatus nesciebat quis esset. Iesus enim sese subduxerat, cum esset hominum turba in eo loco.

14 Postea nactus eum Iesus in fano sic alloquitur: En sanus evasisti: noli amplius peccare, ne quid tibi deterius accidat.

Matth. 12, 45, Inf. 8, 11.

15 Homo Iudæis nunciatum ivit, Iesum esse qui ise sanum effecisset.

16 Hanc ob causam insectabantur Iesum Iudæi, & occidere conabantur, quod ea Sabbatho faceret.

17 At Iesus contra sic eis dixit: Pater meus hactenus operatur, & ego operor. Joh. 14, 10.

18 Hanc igitur ob rem magis eum interficere Judæi conabantur, quod non solum Sabbathum rumperet, sed etiam Patrem suum diceret Deum, sese Deo parem faciens. Inf. 7, 19. & 8, 38. & 9, 4. & 10, 33. Phil. 2, 6.

19 Respondit igitur eis Iesus hujusmodi verbis: Illud vobis etiam atque etiam confirmo, Nihil posse filium ex seipso facere, nisi quid facientem Patrem viderit; quæ enim ille facit, hæc Filius quoque similiter facit.

Inf. v. 30. & 8, 38.

20 Nam Pater Filium amat, eique ostendit omnia quæ facit ipse: quin etiam his majora ei monstrabit opera, ut vos admiremini. Joh. 3, 35.

21 Ut enim Pater mortuos suscitat ac vivificat, sic etiam filius quos vult vivificat.

22 Nec

22 Nec enim Pater quenquam judicat, sed omne judicium Filio dedit, Matth. 11, 27. & 28, 18. Joh. 3, 35. & 17, 2. Act. 17, 31.

23 Ut omnes Filium honorent, quemadmodum Patrem honorant. Qui Filium non honorat, Patrem non honorat, qui eum misit. 1. Joh. 2, 23.

24 Illud etiam atque etiam certo scitote: qui sermonem meum audit, & ei credit qui me misit, is vitam habet æternam: nec in judicium venturus est, sed ex morte migravit in vitam,

Joh. 3, 18. & 6, 46. 47. & 8, 51. Rom. 8, 24. Eph. 2, 6. 1. Joh. 3, 2. Luc. 23, 43.

25 Illud iterum atque iterum sic certo habetote, venire horam, & nunc esse, cum mortui audient filii Dei vocem, & qui audiverint, revivisent.

Eph. 2, 1. 5. 1. Tim. 5, 6. Apoc. 3, 1. Rom. 6, 4. Gal. 2, 20.

26 Ut enim Pater vita præditus est, sic etiam Filio dedit vita præditum esse,

27 Eique potestatem dedit etiam judicium exercendi, quoniam homine natus est.

28 Nolite hoc mirari, nam venit hora, in qua omnes, qui in monimentis erunt, audient ejus vocem: Dan. 11, 2. 1. Cor. 15, 52. 1. Thess. 4, 16.

29 Et prodibunt, qui bona fecerint, ut ad vitam resurgant: qui vero vitiosa egerint, ut ad supplicium resurgant.

Matth. 25, 46.

30 Nihil possum ex me ipso facere. Ut audio, sic judico, justumque est meum judicium; quippe qui non meæ, sed ejus, qui me misit, Patris voluntati studeam. Supr. v. 19. Inf. 6, 38.

31 Si ego de meipso testor, meum testimonium verum non est. Inf. 8, 14.

32 Alius est qui de me testatur, ac verum esse testimonium quod de me dicit, scio.

Es. 42, 1. Matth. 3, 17. & 17, 5.

33 Vos ad Joannem misistis, isque verum testatus est:

Supr. 1, 19.

34 Ego vero non ab homine testimonium admitto: sed hæc dico, ut vos salvi sitis.

35 Ille ardens lucensque lucerna erat, cujus in lumine vos ad tempus exultare voluistis:

36 At ego testimonium habeo majus, quam Ioannis. Quæ enim opera mihi perficienda Pater tradidit, hæc, quæ ego facio, opera de me testantur, me a Patre esse missum:

Matth. 3, 17. & 17, 5. Marc. 1, 11. & 9, 7. Luc. 3, 22. & 9, 35. Joh. 1, 33. & 6, 27. & 8, 18. & 10, 25. & 12, 28. 2. Pet. 1, 17.

37 Et qui misit me Pater, is de me testatus est, & vos ejus neque vocem audivistis unquam neque speciem vidistis.

Exod. 33, 20. Deut. 4, 12. 1. Tim. 6, 16. 1. Joh. 4, 12.

38 Neque sermonem habetis manentem in vobis, quoniam quem misit ille, huic vos non creditis.

39 Scrutamini Scripturas, quandoquidem in eis vos æternam habere vitam putatis, & eæ sunt, quæ de me testantur: Luc. 16, 29. Act. 17, 11. Deut. 18, 15.

40 Et

40 Et tamen ad me venire non vultis, ut vitam adipiſcamini.

41 Gloriam ab hominibus non admitto:

42 Verum vos novi non eſſe Dei amore præditos.

43 Ego in mei Patris nomine veni, nec accipitis me: ſi alius in ſuo nomine venerit, eum accipietis.

44 Qui poſſitis credere vos, qui & alii ab aliis gloriam accipiatis: neque gloriæ, quæ a ſolo Deo eſt, ſtudeatis?

Inf. 12, 43. Rom. 2, 29.

45 Ne putate fore ut ego vos apud Patrem accuſem: eſt qui vos accuſet, Moſes, in quo vos ſpem habetis.

46 Si enim Moſi crederetis, mihi crederetis, utpote cum is de me ſcripſerit.

Gen. 3, 15. & 22, 18. & 49, 10. Deut. 18, 15.

47 Quod ſi illius ſcriptis non creditis, quomodo meis verbis credetis?

CAP. VI.

Quinque panibus, & duobus piſciculis cibantur. Secedens Chriſtus, diſcipulos navigantes aquis inambulans aſſequitur. De vero & non perituro pane vitæ diſſerit. Murmurant Iudæi: & diſcipuli plerique recedunt ab eo. Apoſtoli Dei filium eſſe fatentur.

POſtea trajecit Ieſus Galilææ lacum Tiberiadis,

2 Sequente eum frequenti hominum multitudine, quod viderent quam portentoſa faceret in ægrotantibus.

3 Conſcendit autem Ieſus montem, & ibi cum ſuis diſcipulis reſedit,

4 Cum quidem inſtaret Paſcha Iudæorum feſtum.

Exod. 12, 18. Levi. 23, 5. Num. 28, 16. Deut. 16, 1.

5 Sublatis igitur oculis Ieſus videns ingentem hominum multitudinem ad ſe venire, dicit Philippo: Unde panes ememus, quos hi comedant?

Matth. 14, 15. Marc. 6, 35. Luc. 9, 12.

6 Id autem dicebat, ejus tentandi gratia: ſciebat enim ipſe quid facturus eſſet.

7 Cui Philippus ita reſpondit: Ducentorum denariorum panes non ſatis ſunt eis, ut eorum quiſque paululum quid accipiat.

8 Tum unus ex ejus diſcipulis, Andreas Simonis Petri frater, ſic eum alloquitur:

9 Eſt hic quidam puer, qui habet quinque panes hordeaceos, & duos piſces: ſed hæc quantula ſunt ad tam multos?

2. Reg. 4, 43.

10 Et Ieſus: Facite, inquit, ut homines diſcumbant. Erat autem in eo loco multum graminis. Igitur diſcubuere viri, numero circiter quinquies mille.

11 Et Ieſus ſumptos panes, actis gratiis, diſtribuit diſcipulis, diſcipuli porro diſcumbentibus, itidemque ex piſcibus quantum voluerunt. 1. Sam 9, 13.

12 Atque illis expletis, juſſit diſcipulis ſuis, ut ſuperantia fruſta colligerent, ne quid periret.

13 Itaque collegerunt, & duodecim caniſtra ex quinque hordeaceis panibus replevere fruſtis, quæ convivis ſuperfuerant.

14 Igitur homines videntes quod

quod ostentum edidisset Iesus, dicebant eum vere vatem illum esse, qui in orbem venturus esset. Deut. 18, 15. Luc. 7, 16. & 24, 19. Joh. 1, 21. & 4, 19. & 7, 40.

15 At Iesus intelligens venturos esse, & se rapturos, ut regem facerent, secessit rursus in montem ipse solus.

16 Deinde sub vesperam descenderunt ejus discipuli ad lacum, Matth. 14, 22. Marc. 6, 47.

17 Et conscensa navi, contendebant trans lacum ad Capernaum: & jam contenebraverat, nec ad eos venerat Iesus.

18 Et lacus vehementi flante vento concitabatur.

19 Postquam igitur stadia fere vingintiquinque aut triginta remigarunt, aspiciunt ambulantem in lacu Iesum, ac prope navem progressum: itaque territi sunt.

20 Et Iesus dixit eis: Ego sum, ne timete.

21 Et illi eum in navem accipere voluerunt, ac protinus appulit navis ad terram, ad quam tendebant.

22 Postero die hominum turba, quæ trans lacum erat, videns nullam illic aliam esse navim, nisi unam illam, quam conscenderant ejus discipuli, neque Iesum cum suis discipulis ingressum esse navim, sed solos ejus discipulos abiisse;

23 Alias autem naves a Tiberiade, venisse prope eum locum, ubi illi panem actis à Domino gratiis comederant:

24 Cum, inquam, vidisset hominum turba illic, nec Iesum adesse, nec ejus discipulos, conscenderunt & ipsi naves, & ad Capernaum venerunt, Iesum quærentes.

25 Quem trans lacum nacti, sic alloqvuntur: Magister, quando huc venisti?

26 Quibus ita respondit Iesus: Profecto, profecto, inquam, non ideo me quæritis, quia portenta vidistis, sed quia panes comedistis ad satietatem.

27 Procurate non periturum cibum, sed in omnem perennitatem permansurum, quem vobis homine natus dabit; hunc enim Pater consignavit Deus: Joh. 1, 32. & 4, 14. & 5, 37. & 6, 40. 54. & 8, 18. Matth. 3, 17. & 17, 5. Marc. 1, 11. & 9, 7. Luc. 3, 22. & 9, 35. 2. Pet. 1, 17.

28 Et illi: Quid agemus, inquiunt, ut divina opera faciamus?

29 Quibus respondens Iesus: Hoc divinum opus est, inquit, ut in eum credatis quem ille misit. 1. Joh. 3, 23.

30 Et illi: Quod ergo tu specimen das, ut eo viso, tibi credamus? Quid facis? Matth. 12, 38. & 16, 1. Marc. 8, 11. Luc. 11, 29. 1. Cor. 1, 22.

31 Majores nostri Manna in solitudine comederunt, quemadmodum scriptum est: Panem de cœlo dedit eis comedendum. Exod. 16, 4. 14. Num. 11, 7. Ps. 77, (78.) 24. Sap. 16, 20. 1. Cor. 10, 8.

32 Quibus Iesus: Hoc vobis, inquit, etiam atque etiam confirmo, non Mosem vobis panem dedisse

dedisse de cœlo: sed meus Pater verum vobis de cœlo panem dat.

33 Nam divinus panis est qui de cœlo descendit, vitamque dat mundo.

34 Tum illi: Domine, da nobis perpetuo panem istum.

35 Et Iesus: Ego sum panis vitalis. Qui venit ad me, nunquam esuriet: & qui mihi fidem habet, nunquam sitiet.

Eccl. 24, 29. Es. 55, 1. Ioh. 4, 14. & 7, 37.

36 Sed hoc vobis dico: vos & videtis me, neque creditis.

37 Quicquid mihi dat Pater, ad me veniet: & venientem ad me ego non ejicio foras.

38 Descendi enim de cœlo, non ut meam, sed ut ejus, qui me misit, voluntatem exequar:

Matth. 26, 39. Marc. 14, 36. Luc. 22, 42. Ioh. 4, 34. & 5, 30.

39 Hæc est autem ejus qui me misit, Patris voluntas, ut quicquid mihi dederit, nihil ex eo deperdam, sed id ultimo die exuscitem.

Joh. 10, 28. & 17, 12. & 18, 9.

40 Hæc est autem ejus, qui me misit, voluntas, ut quisquis filium videt, in eumque credit, vitam adipiscatur æternam, & ego eum ultimo die exuscitem.

Sup. 3, 15. 16.

41 At Judæi de eo fremere, quod se dixerat esse panem qui de cœlo descendisset.

42 Nonne hic est Iesus, dicebant, Josephi filius, cujus nos patrem matremque novimus? Qui fit ergo, ut is se de cœlo descendisse dicat? Matt. 13, 55. Marc. 6, 3. Luc. 4, 22.

43 At Iesus sic eis contra respondit: Ne mussate inter vos;

44 Nemo potest ad me venire, nisi Pater, qui me misit, eum trahat, a me ultimo die suscitandum.

45 Scriptum est in vatibus: Eruntque omnes divinitus docti. Quisquis ergo ex patre audivit ac didicit, is ad me venit.

Es. 54, 13. Ier. 31, 34. Heb. 8, 10. & 10, 16.

46 Non quia Patrem viderit quisquam, nisi qui est a Deo, is Patrem vidit. Matth. 11, 27. Luc. 10, 22. Sup. 1, 18.

47 Hoc etiam etiamque vobis confirmo, qui in me credit, vitam habet æternam.

Sup. 3, 16. 18. 36.

48 Ego sum panis vitalis.

49 Majores vestri, qui Manna vixerunt in deserto, tamen mortui sunt.

Exod. 16, 15. Num. 11, 7. Ps. 78, 24. 1. Cor. 10, 5. Heb. 3, 16. 19.

50 Hic est panis qui de cœlo descendit, quo qui vescatur, non sit moriturus.

51 Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendit: quo pane qui vescetur, vivet in perpetuum. Panis autem quem ego dabo, caro mea est, quam ego pro mundi vita dabo. Ioh. 3, 13.

52 At Iudæi sic inter sese decertare: Quomodo potest hic nobis carnem L. suam G. dare comedendam? Sup. 3, 9.

53 Et Iesus: Hoc certo certoque scitote, inquit eis, nisi homine

mine nati & carnem comederitis, & sanguinem biberitis, non esse vos vita præditos.
Matth. 26, 26. 1. Cor. 11, 23. &c.

54 Qui mea carne vescitur, meumque sanguinem bibit, is vitam habet æternam, eumque ego ultima die suscitabo.
Supr. 4, 14.

55 Caro enim mea vere est cibus, & sanguis meus vere est potio.

56 Qui mea carne vescitur, meumque sanguinem bibit, is in me manet & ego in eo.

57 Quemadmodum vivit Pater, qui me misit, ita & ego per Patrem vivo: & qui me vescetur, is quoque per me vivet.

58 Hic est panis qui de cœlo descendit, non quale Manna, quo cum vixerint majores vestri, tamen mortui sunt. Hoc pane qui vescetur, vivet in sempiternum. Sup. 3, 13.

59 Hæc dixit in Synagoga docens Capernai.

60 Quibus auditis multi ex ejus discipulis dixerunt: Durus est hic sermo, quis eum audire possit?

61 At Iesus apud seipsum intelligens, suos discipulos de eo mussare, sic eos affatur: Hoc vos offendit?

62 Quid si videatis hominem natum eo ascendentem ubi erat antea? Sup. 3, 13. Marc. 6, 19. Luc. 24, 51. Act. 1, 9. Eph. 4, 8.

63 Spiritus est qui vivificat: caro nihil prodest. Verba, quæ ego vobis loquor, spiritus sunt & vita sunt. 2. Cor. 3, 6.

64 Sed sunt ex vobis quidam, qui non credunt. Sciebat enim a principio Iesus, quinam essent, qui non crederent, & quis se proditurus esset.
Sup. 2, 25. Inf. 13, 11.

65 Hanc ob causam, inquit, dixi vobis, neminem ad me venire posse, nisi id ei datum fuerit a Patre meo. Sup. v. 44.

66 Ex illo multi ejus discipulorum retro abierunt, nec amplius cum eo versabantur.

67 Igitur Iesus duodecim sic allocutus est: Num vos quoque vultis discedere?

68 Cui Simon Petrus ita respondit: Domine, ad quem abeamus? Tu æternæ vitæ verba habes: Act. 5, 20.

69 Et nos credimus & novimus, te esse Christum viventis Dei filium. Matth. 16, 16. Marc. 8, 29. Luc. 9, 20. Inf. 11, 27.

70 Et Iesus: Cum ego vos duodecim elegerim (inquit eos alloquens) unus vestrum diabolus est.
Luc. 6, 13. Inf. 8, 44.

71 Dicebat autem Iudam Simonis filium Iscariotam: is enim eum proditurus erat, cum unus esset ex duodecim.

CAP. VII.

Christus affines ad festum tabernaculorum profectos, clam sequitur. Docet in templo. Varia de illo sunt vulgi iudicia. Sacerdotes jubent eum comprehendi. Dissidium in turba propter eum. Et inter Pharisæos & satellites ad capiendum eum missos. Et Nicodemum.

POstea versabatur Iesus in Galilæa: nolebat enim in Iudæa versari, quod eum conarentur interficere Iudæi.

2 Instabat autem Iudæorum festum Umbraculorum.
Lev. 23, 34.

3 Et eum sic allocuti sunt ejus fratres: Migra hinc, & in Iudæam proficiscere, ut tui quoque discipuli ista, quæ tu facis, opera videant. Matth. 12, 46. Marc. 3, 31. Act. 1, 14.

4 Nemo enim quicquam facit in occulto, qui se celebrem esse studeat. Si ista facis, patefacito te ipsum mundo.

5 Nec enim ejus fratres fidem ei habebant.
Marc. 3, 21.

6 Et Iesus ait eis: Nondum adest meum tempus: at vestrum tempus semper est paratum.

7 Non potest mundus odisse vos: at me odit, quoniam ego testor eius opera esse mala.
Ioh. 3, 19. & 14, 17. & 15, 18.

8 Vos ascendite ad hoc festum: ego nondum ad hoc festum ascendo, quod meum tempus nondum est completum.
Infr. 8, 20.

9 Hæc ad eos fatus mansit in Galilæa.

10 Deinde postquam ascenderunt eius fratres, ascendit & ipse ad festum non palam, sed subocculte.

11. Igitur Iudæi eum in festo requirebant, & ubinam esset ille, quærebant:

12 Multusque de eo fremitus erat vulgo, partim eum bonum esse dicentibus, partim negantibus, sed vulgus hominum ab eo decipi.
Sup. 6, 14. Infr. v. 40. & 9, 16. & 1, 19. Matth. 21, 46. Luc. 7, 16.

13 Nemo tamen aperte de eo loquebatur, præ Iudæorum metu. Infr. 9, 22. & 12, 42. & 19, 38.

14 Iam vero medio festo ascendit Iesus in fanum, & docebat,

15 Mirantibus Iudæis, & quo pacto literas nosset quærentibus, cum non didicisset.

16 Quibus Iesus hac oratione respondit: Mea doctrina, mea non est, sed ejus qui me misit.
Inf. 8, 28. & 12, 49. & 14, 10. 24.

17 Si quis volet eius voluntati parere, cognoscet de doctrina, utrum ea sit a Deo, an ego mea sponte loquar.

18 Qui sua sponte loquitur, suæ ipsius gloriæ studet: qui vero ejus a quo missus est gloriæ studet, is verax est, & ab injustitia alienus. Supr. 5, 41.

19 Moses legem vobis tradidit, & tamen nullus vestrum legi paret. Quid me interficere conamini? Exod 20, 1. & 24, 3. Sup. 5, 16. 18. Infr. 10, 39. & 11, 53. Matth. 12, 14. Marc. 3, 6. Act. 7, 53.

20 Et vulgus: Tu furis, inquiunt respondentes: Quis te conatur interficere?
Inf. 8, 48. 52. & 10, 20.

21 Quibus Iesus ita respondit: Ego opus unum feci, & vos omnes miramini.

22 Ideo vobis circumcisionem tradidit Moses non quod ea sit a Mose, sed a maioribus: & circum-

cumciditis Sabbatho hominem.
Gen. 17, 10. Lev. 12, 3.

23 Si circumcisionem accipit homo Sabbatho, ut non solvatur Mosis Lex: mihi succensetis, quod totum hominem sanum effeci in Sabbatho?

24 Ne ex aspectu judicate, sed justum judicium facite.
Deut. 1, 16. Prov. 24, 23. Iac. 2, 1.

25 Dicebant ergo quidam Hierosolymitanorum: Nonne hic est quem conantur occidere?

26 Atqui aperte loquitur, nec ei quicquam contradicitur: Num vere norunt proceres, eum vere esse Christum?

27 Sed hunc scimus unde sit: at Christus cum venerit, unde sit, nemo sciet. Matth. 13, 55.
Marc. 6, 3. Luc. 4, 22.

28 At Iesus in fano clamans, docebat huiusmodi verbis, scilicet vos me nostis, & unde sim nostis: ego vero mea sponte non veni, sed ab eo missus, qui verax est, quem vos non nostis.
Inf. 8, 26. 42, 55. Rom. 3, 4.

29 At ego eum novi, quippe cum ab eo sim, cumque is me miserit. Matth. 11, 27. Inf. 10, 15.

30 Illi vero eum comprehendere conabantur, nec tamen quisquam ei manus injecit, quoniam nondum venerat ejus hora.
Marc. 11, 18. Luc. 19, 47. & 20, 19. Sup. v. 19. Inf. 8, 20. 37.

31 At ex plebe frequentes ei fidem habuerunt, & ita dictitabant: Christus cum venerit num plura portenta edet, quam hic edidit? Infr. 8, 30.

32 Hæc vulgo de eo mussari audientes Pharisæi, miserunt tum ipsi, tum Pontifices ministros, qui eum comprehenderent.

33 Quibus Iesus ita dixit: Postquam adhuc parvo tempore apud vos fuero, discedam ad eum qui me misit.
Inf. 13, 33. & 6, 16.

34 Quæretis me, nec invenietis: atque ubi ero ego, eo vos venire non potestis.
Inf. 8, 21. & 13, 33.

35 At Iudæi sic apud sese dictitare: Quonam abiturus est hic, ut nos eum non simus inventuri? Num in dispersas Græcorum nationes discessurus est, docturusque Græcos?

36 Quod est id dictum, quo dixit: Quæretis me, nec invenietis: & ubi ero ego, eo vos venire non potestis:

37 Postremo autem eo die, qui erat festi celeberrimus, constitit Iesus, & hisce verbis clamavit: Si quis sitit, veniat ad me, & bibat. Lev. 23, 36. Es. 55, 1. Sup. 4, 14. & 6, 35. Apoc. 22, 17.

38 Qui mihi fidem habet, ut perhibent literæ, eius ex ventre fluent perennis aquæ flumina.
Deut. 18, 15. Es. 12, 3. Sup. 4, 14.

39 Id autem dicebat de Spiritu, quem accepturi erant, qui in eum crederent. Nondum enim erat Spiritus Sanctus, utpote cum Iesus nondum gloriosus esset factus. Ioel. 2, 28. Act. 2, 17. Inf. 16, 7.

40 Plerique igitur ex plebe, audita ea oratione, dicebant eum esse vere vatem.
Deut. 18, 15. Matth. 21, 46. Luc. 7, 16. Sup. 1, 21. & 4, 42. & 6, 14.

41 Alii dicebant esse Christum: alii Christum a Galilæa profecturum negabant:
Sup. 1, 46. Inf. v. 52.

42 Quippe cum in literis haberetur, ex Davidis semine, & a Bethlehema (quo in vico fuerat David) profecturum esse Christum. 1. Sam. 16, 1. 4. Ps. 132, 11. Mich. 5, 2. Matt. 2, 5. Luc. 2, 4.

43 Itaque propter eum extitit in vulgo dissidium:
Infr. 9, 16. & 10, 19.

44 Atque eorum nonnulli eum comprehendere volebant, sed nullus ei manus injecit.

45 Venerunt igitur ministri ad Pontifices & Pharisæos, & quærentibus illis, cur eum non adduxissent,

46 Responderunt, nullum unquam hominem sic locutum esse, ut is homo.

47 At Pharisæi contra: Num vos quoque decepti estis? inquiunt eis:

48 Num quis ex proceribus in eum credidit, aut ex Pharisæis?
Infr. 12, 42. 1. Cor. 1, 20. & 2, 8. Act. 6, 7.

49 At ista plebs ignara legis, nefaria est.

50 Hic Nicodemus, qui eum noctu convenerat? & erat ex eorum numero, sic ad eos verba facit: Sup. 3, 2.

51 An lex nostra hominem damnat, nisi prius eum audiverit, ejusque factum cognoverit?
Exod. 23, 1. Levit. 19, 15. Deut 1, 17. & 17, 4. 8. & 19, 15.

52 Cui illi sic responderunt: An tu quoque a Galilæa es? Perscrutare & videbis, nullum ex Galilæa extitisse vatem.
Es. 9, 1. 2. Matth. 4, 15. Sup. 1, 46.

53 Ita in suam quisque domum discesserunt.

CAP. VIII.

Mulieri in adulterio deprehensæ condonantur peccata. Christus lux mundi. Pharisæi quærunt ubi sit ipsius Pater. Filii Abrahæ. Filii DEI. Satan mendacii pater. Abraham vidit diem Christi.

IESUS autem in olivarum montem discessit.

2 Deinde mane rursus venit in fanum: omnique ad eum veniente populo, considet & eos docet.

3 Adducunt autem ad eum Scribæ & Pharisæi mulierem in adulterio deprehensam, eaque in medio constituta,

4 Sic eum alloqvuntur: Magister, hæc mulier deprehensa est in ipso facinore, cum adulteraret.

5 In lege autem Moses nobis tales lapidandas esse præcepit. Tu igitur quid ais?
Lev. 20, 10. Deut. 22, 22.

6 Hoc autem dicebant, ejus tentandi causa, ut eum accusare possent. At Iesus sese proclinare, & digito humum exarare.

7 Ac illis eum interrogare pergentibus, erexit se, &, qui vestrûm peccati expers est, primus in eam lapidem jaciat. Deut. 17, 7.

8 Hæc locutus, sese rursum proclinat, & terram inscribit.

9 Quo audito illi discedunt singuli, a senioribus exorsi: relictusque est solus Iesus, & astans in medio fœmina.

10 Tum

10 Tum Iesus ut sese erexit, & neminem, excepta muliere, vidit, dixit ei: Mulier, ubi sunt illi accusatores tui? Nullus te condemnavit?

11 Nullus Domine, inquit illa. Et Iesus: Nec ego te condemno. Abi & deinceps peccare noli.

12 Item eos Iesus sic allocutus est: Ego sum lux mundi. Qui me sequetur, non in tenebris gradietur, sed vitæ lumen habebit.

Sup. 1,5.9. Infr. 9,5. & 12,46.

13 Et Pharisæi: Tu de teipso testaris, inquiunt ei, testimonium tuum verum non est.

14 Quibus Iesus contra: Et si ego de me ipso testor, est tamen verum meum testimonium, ut qui sciam unde venerim, & quo abeam; vos neque unde venerim, neque quo discedam scitis.

Sup. 5,31.

15 Vos more hominum judicatis: ego neminem judico.

16 Et si judicarem ego, judicium meum verum esset: utpote qui non sim solus, sed una mecũ etiam adsit, qui misit me pater.

17 In vestra quoque lege scriptum est, duorum hominum testimonium esse verum. Deut. 17, 6. & 19, 15. Matt. 18, 16. 2. Cor. 13, 1. Heb. 10, 20.

18 De me & ego ipse testimonium dico, & dicit etiam is, qui misit me Pater.

19 Et illi: Ubi est tuus pater? inquiunt ei. Vos neque me nostis (respondit Iesus) neque patrem meum. Si me nossetis, etiam patrem meum nossetis.

20 Hanc orationem habuit Iesus apud fiscum, docens in fano nec eum comprehendit quisquam, quod nondum venerat ejus hora. Sup. 7, 8 30.

21 Sic autem eos rursus allocutus est Iesus: Ego abiturus sum, & vos me requiretis, atque in vestro peccato moriemini. Quo ego abibo, vos non potestis venire. Sup. 7, 34. Inf. 13, 33.

22 Et Iudæi: Num ipse se interficiet, inquiunt, ut dicat, quo ipse abiturus est, non posse venire nos?

23 At ille, vos inferne estis, inquit eis, ego superne sum. Vos ex hoc mundo estis, ego non sum ex hoc mundo.

24 Itaque dixi vobis, vos in peccatis vestris morituros. Nisi enim me eum esse credideritis, in peccatis vestris moriemini.

25 Et illi: Tu quis es? inquiunt ei. Quibus Iesus: Id quod jam dudum vobis eloquor, inquit.

26 Multa habeo de vobis dicere, & quidem cum judicio: sed ut qui me misit, verax est, sic ego ea demum, quæ ex eo audivi, apud mundum eloquor.

Sup. 7, 28.

27 Cum illi eum sibi de patre loqui non intelligerent,

28 Iesus sic eos alloquitur: Postquam homine natum extuleritis, tum intelligetis eum esse me, qui mea sponte faciam nihil: sed sicut me docuit Pater meus, hæc loquar:

29 Eumque qui me misit, adesse mihi. Non me deseruit solum Pater, quandoquidem ego semper, quæ ei acceptasint, facio.

30 Hæc eo loquente, frequentes in eum crediderunt.

31 Igitur Iesus eos Iudæos, qui sibi fidem habebant, sic allocutus est: Si vos in meis dictis manebitis, vere mei discipuli eritis,

32 Veritatemque cognoscetis, quæ veritas vos in libertatem vindicabit.

33 Illi contra: Abrahami progenies sumus, neque cuiquam unquam servivimus: qui fit ut tu dicas, nos liberos factum iri?

34 Quibus Iesus respondit: Certe, certe inquam vobis, quisquis peccatum facit, peccati servus est. Rom 6, 16. 20. 2. Petr. 2, 19.

35 Servus autem domi non manet perpetuo: filius manet perpetuo.

36 Quod si vos filius liberos fecerit, reipsa liberi eritis.

37 Scio vos Abrahami progeniem esse: sed cupitis interficere me, quoniam oratio mea in vobis locum non habet.

38 Ego quod a meo patre cognovi, loquor: itidem vos quod didicistis a patre vestro, facitis.

39 Cui illi contra: Pater noster Abrahamus est. Et Iesus: Si Abrahami nati essetis, inquit eis. Abrahamo digna faceretis.

40 At nunc cupitis me perimere, hominem, qui verum vobis effatus sum, quod ex Deo audivi. Istud non fecit Abrahamus.

41 Vos patre vestro digna facitis: Cui illi: Nos ex stupro nati non sumus; unum patrem habemus Deum.

42 Si Deus esset pater vester (inquit eis Iesus) amaretis me: ego enim a Deo profectus veni: Nec enim mea sponte veni, sed ille me misit.

43 Cur meam orationem non agnoscitis? quia mea dicta audire non potestis.

44 Vos ex patre diabolo estis, patrisque vestri libidinibus libenter obtemperatis. Ille ab initio fuit homicida, nec in veritate perstitit; quippe qui non sit veritate præditus. Quando falsum loquitur, de suo loquitur, ut qui sit mendax, mendaciique pater.

1. Ioh. 3, 8. Iud. v. 6.

45 At mihi vos, qui verum dico, non creditis.

46 Quis me vestrûm coarguerit peccati? quod si verum dico, cur mihi vos non creditis?

47 Qui a Deo est, Dei verba audit. Vos ideo non auditis, quod a Deo non estis. 1. Ioh. 4, 6.

48 Tum contra Iudæi: An non recte dicimus nos, te esse Samaritanum, & dæmonium habere? Sup. 7, 20. Inf. 10, 20.

49 Quibus Iesus respondit: Ego dæmonium non habeo, sed Patrem meum honoro: vos vero me probro afficitis.

50 Sed non ego meæ gloriæ studeo: est qui studeat & cum ratione.

51 Hoc vobis etiam atque etiam confirmo, si quis meæ orationi paruerit, eum nunquam visurum esse mortem.

52 Tum Iudæi: Nunc intelligimus, te dæmonium habere. Abrahamus ipse mortuus est, ipsique vates: tu dicis, si quis orationi tuæ paruerit, eum nunquam visurum esse mortem.

53 Num

53 Num tu major es patre nostro Abrahamo? qui tamen mortuus est, & vates ipsi mortui sunt. Quem tu te facis?

54 Respondit Iesus: Si ego me ipsum laudarem, laudatio mea nihil esset: est Pater meus qui me laudat, quem vos dicitis, esse vestrum Deum.

55 Et tamen eum non novistis: At ego eum novi: & si eum mihi notum esse negarem, vestri similis essem, mendax. Sed eum novi, ejusque dictis pareo.

56 Abrahamus ille parens vester meam diem videre gestivit, & vidit, idque lætatus est.

57 At Iudæi: Quinquaginta annos nondum habes, & Abrahamum vidisti?

58 Quibus Iesus: Hoc mihi certo, certoque credite, priusquam Abrahamus esset, ego sum.

59 Tum illi lapides sustulerunt, quos in eum conjicerent: At Iesus sese abdidit, & ex fano exiit.

Inf. 10, 31.

CAP. IX.

Christus cæci nati oculos in Sabbato aperit. Qui cum diu contra Phærisæos disputasset, a Synagoga ejectum Christus æternæ lucis cognitione donat.

PRæteriens autem Iesus vidit hominem a nativitate cœcum.

2 De quo sic eum interrogaverunt ejus discipuli: Magister, utrum quia peccaverit hic, an quia ejus parentes, cœcus natus est?

3 Quibus Iesus respondit: Neque quia ipse, neque quia ejus parentes peccaverint, sed ut in eo divina opera patefiant.

4 Mihi agenda sunt eius, qui me misit, negotia, dum dies est. Veniet nox, cum operari nemo potest.

5 Donec in mundo sum, lux mundi sum. Sup. 1, 5. 9. & 8, 12. Infr. 12, 35, 46.

6 Hæc locutus, spuit humi, & ex sputo lutum fecit, quod lutum cœci oculis illevit,

7 Eique jussit ut iret lotum in piscina Siloa, quod verbum idem est atque missus. Atque ille ivit, & lavit, rediitque videns.

8 Tum vicini & qui eum ante cœcum esse viderant, quærebant num is esset, qui antea sedebat & mendicabat.

9 Alii eum esse, alii ejus similem esse dicebant. Ipse, eum se esse ajebat:

10 Et sciscitantibus quo pacto ei aperti fuissent oculi?

11 Sic respondit: Homo, nomine Iesus, lutum fecit, & mihi oculos illevit, jussitque ut irem ad piscinam Siloam, & lavarem. Ego ivi, & lavi, & dispexi.

12 Et illi: Ubi est ille? Nescio, inquit.

13 Illi eum qui fuerat aliquando cœcus, ad Pharisæos ducunt.

14 Erat autem Sabbathum, quando Iesus facto luto ejus oculos aperuit.

15 Igitur eum rursus interrogarunt Pharisæi quo pacto dispexisset? Quibus ille: Lutum, inquit, imposuit meis oculis, & lavi, & video.

16 Tum quidam Pharisæorum dicere, eum hominem a Deo non esse.

esse, quod Sabbathum non ageret. Alii sic dicere: Qui posset improbus homo tam prodigiosa facere? Ita cum esset inter eos dissensio,

17 Sic cœcum rursus interrogant: Tu quid de eo dicis, qui tibi oculos aperuerit? Vatem esse, inquit ille.

18 At Iudæi eum & cœcum fuisse, & dispexisse non crediderunt, donec accersitos ejus parentes, qui dispexerat,

19 Sic interrogarunt: Hiccine filius est vester, quem vos dicitis cœcum esse natum? Qui fit ergo ut nunc cernat?

20 Quibus ejus parentes ita responderunt: Hunc filium esse nostrum, & cœcum fuisse natum, scimus:

21 Quomodo vero nunc cernat, nescimus: aut quis ei aperuerit oculos, nos nescimus: ipse jam grandis est, ipsum interrogate: ipse de se ipso loquetur.

22 Hæc eo dixerunt ejus parentes, quod Iudæos formidabant. Iam enim conspiraverant Iudæi, ut si quis eum Christum esse confiteretur, is Synagogæ communione privaretur.

Infr. 12, 42.

23 Hanc ob causam dixerunt ejus parentes, jam grandem esse: ipsum interrogarent.

24 Illi igitur denuo hominem evocarunt, qui cœcus fuerat; eique dixerunt: Tribue Deo gloriam: Nos scimus hunc hominem improbum esse.

25 Et ille respondens: An improbus sit, inquit, nescio: unum scio, me, qui cœcus fui, nunc videre.

26 Et illi rursum: Quid tibi fecit? inquiunt ei: quo pacto tuos oculos aperuit?

27 Quibus ille respondit: Iam vobis dixi, nec audivistis: quid rursum vultis audire? Num vos quoque vultis ejus discipuli fieri?

28 At illi ei convicium fecerunt: & tu es ejus discipulus, inquiunt, nos vero Mosis discipuli sumus.

29 Nos scimus, cum Mose locutum esse Deum; hic autem unde sit, nescimus. Sup. 8, 14.

30 At homo contra: Ergo in eo est admirabilitas, inquit, quod vos nescitis unde sit, & tamen oculos meos aperuit.

31 Iam scimus improbos a Deo non audiri: sed si quis pius est, & ejus voluntati paret, hunc audit.

Prov. 15, 29. & 28, 9. Es. 1, 15.

32 Nunquam fando auditum est, quenquam aperuisse oculos cœci nati.

33 Nisi esset is a Deo, nihil posset facere.

34 Tum illi: Tu totus in peccatis natus es, inquiunt ei, & nos doces? Itaque eum foras ejecerunt.

35 Iesus audiens, eum ab illis foras ejectum, nactus eum, sic est allocutus: Credisne in Dei Filium?

36 Et ille respondens: Quis vero is est, Domine, ut in eum credam?

37 Cui Iesus: Vides eum, inquit: is est, qui tecum loquitur.

38 Et

38 Et ille: Credo, Domine, inquit: eumque veneratus est.

39 Et Iesus: Ad ejusmodi discrimen ego in hunc, inquit, orbem veni, ut qui non vident, videant: & qui vident, cœci fiant.

Supr. 3, 19. Inf. 12, 47.

40 His auditis, Pharisæi qui una erant, dixerunt ei: An & nos cœci sumus?

41 Quibus Iesus: Si cœci essetis, inquit, non essetis in vitio: nunc quia dicitis vos cernere, manet vestrum peccatum.

Inf. 15, 22.

CAP. X.

Pharisæos Christus pastores malos: severo multis argumentis bonum comprobat. Dissidium propterea oritur. Lapides tollentium, & prehendere cupientium manus evadit.

CErto, certoque scitote, qui in ovium stabulum non per januam intrat, sed alia transcendit, eum furem & latronem esse.

2 Qui vero per januam intrat, pastor est ovium.

3 Huic janitor aperit, ejusque vocem audiunt oves, isque suas oves appellat nominatim, educitque.

4 Et emissis ovibus suis præit viam: eumque seqvuntur oves, cujus vocem agnoscant:

5 Alienum autem non sequantur, sed fugiant, quippe quæ alienorum vocem non agnoscant.

6 Hanc sententiam cum eis dixisset Iesus, nec illi intelligerent quid sibi vellent ea quæ eis dicebat,

7 Iesus porro dixit eis: Certo certoque scitote, me ovium esse januam.

8 Omnes quicunque ante me venerunt, fures sunt & latrones, nec eos audiverunt oves.

9 Ego sum janua: per me qui intrabit, servabitur, & intrabit, & exibit, & pascuum inveniet.

10 Fur non venit nisi ut furetur, ut mactet, ut perdat. Ego veni ut vitam habeant, & largius habeant.

11 Ego sum pastor bonus. Pastor bonus animam suam ponit pro ovibus suis. Esa. 40, 11.

Ezech. 34, 23. & 37, 24.

12 At mercenarius, qui pastor non est, cujus suæ non sunt oves, si venientem lupum videt, fugit, relictis ovibus: lupus oves rapit, ac dispergit.

13 At mercenarius fugit nempe mercenarius, nec ovium curam gerens.

14 Ego sum pastor bonus, & meas agnosco & a meis agnoscor.

15 Ut me novit Pater, sic ego Patrem novi, animamque meam pono pro ovibus.

16 Et alias oves habeo, quæ non sunt hujus ovilis: quæ etiam mihi adducendæ sunt, meamque vocem audient, & fiet unum ovile, unus pastor.

Ezech. 37, 22.

17 Ideo me Pater amat, quia animam meam pono, ut eam resumam. Esa. 53, 7.

18 Eam mihi nullus eripit, sed eam ipse mea sponte pono. Potestatem habeo eam ponendi, itemque potestatem habeo eam rursum sumendi. Hoc præceptum accepi a Patre meo.

19 Propter hæc dicta ortum est rursus inter Judæos dissidium:

20 Eorumque plerique dicebant: Dæmonium habet, & insanit, quid eum auditis?

Sup. 7, 20. & 8, 48. 52.

21 Alii dicebant: Hæ res dæmonium habentis non sunt: potestne dæmonium cæcorum oculos aperire?

22 Cum autem agerentur Hierosolymis Instauralia & hyems esset, 1. Macc. 4, 59.

23 Ambularetque Iesus in fano, in Solomonis porticu,

24 Iudæi eum circumfusi sic alloqvuntur: Quandiu suspensos tenebis animos nostros? Si tu Christus es, dic nobis aperte.

25 Quibus Iesus ita respondit: Dixi vobis, neque creditis. Opera, quæ ego mei Patris nomine facio, ea de me testantur:

Supr. 3, 36. Inf. v. 38.

26 Sed vos non creditis, quoniam ex meis ovibus non estis, quemadmodum vobis dixi.

Supr. 8, 29.

27 Oves meæ vocem meam audiunt, easque ego novi, & ipsæ me seqvuntur,

28 Et eis vitam do sempiternam, nec possunt unquam perire, nec mihi quisquam eas de manu eripuerit.

29 Meus Pater, qui mihi dedit, maximus est omnium, nec quisquam possit ex manu mei Patris extorquere. Inf. 14, 28.

30 Ego & Pater unum sumus:

31 Hic Iudæi rursum lapides sustulerunt, ut eum lapidarent.

Supr. 8, 59.

32 Quos Iesus sic contra allocutus est: Multa vobis præclara opera, meo Patre autore, edidi: propter quodnam eorum operum me lapidatis?

33 Cui Iudæi sic responderunt: Ob præclarum opus non lapidamus te, sed ob impia dicta: & quod homo cum sis, Deum te facis.

34 Et Iesus contra: Nonne scriptum est in vestra disciplina: Ego vos Deos appellavi?

Ps. 82, 6.

35 Si illos appellavit Deos, ad quos Dei sermo habitus est, nec scriptum rescindi potest,

36 Vos me, quem Pater consecravit, & in orbem misit, impie loqui dicitis, quod me Dei Filium esse dixerim?

37 Si Patre meo digna non facio, mihi ne credite.

38 Sin facio, si mihi minus creditis, at factis credite, ut & Patrem in me, & me in eo esse cognoscatis, ac credatis.

Inf. 14, 10. 11. & 17, 21. 22.

39 Hic illi eum rursum comprehendere conabuntur: Sed exiit ex eorum manu,

40 Abiitque rursus trans Iordanem in eum locum, ubi primum baptizaverat Ioannes, ibique mansit.

41 Ac frequentes ad eum veniebant: & Ioannem quidem nullum edidisse prodigium dicebant, sed quæcunque de eo Ioannes dixisset, ea esse vera:

42 Multique ei illic habuere fidem.

Cap.

CAP. XI.

Christus ostensurus se esse vitam & resurrectionem, Lazarum mortuum, & sepultum resuscitat. Consultantibus pontificibus, Caiphas unum pro multis occidendum prædicit. Præcipiunt ut, ubi fuerit, prehendatur.

ERat autem quidam ægrotus Lazarus a Bethania Mariæ & ejus sororis Marthæ vico.

2 Erat autem Maria ea, quæ Dominum unguento perfuderat, ejusque pedes suis capillis extersérat: cujus frater Lazarus ægrotabat. Inf. 12, 3.

Matth. 26, 7. Marc. 14, 3.

3 Miserunt igitur ejus sorores illi significatum ita: Domine, scito eum quem amas ægrotare.

4 Hoc audito Iesus ita dixit: Hic morbus lethalis non est, sed ob Dei gloriam est, ut per eum celebretur Dei filius.

5 Amabat autem Iesus Martham, ejusque sororem & Lazarum.

6 Ut igitur eum ægrotare audivit, tum quidem mansit in quo erat loco, duos dies.

7 Postea dixit suis discipulis: Petamus rursum Iudæam.

8 Cui discipuli: Magister, inquiunt, modo te conabantur lapidare Iudæi, & eodem rursus abis?

9 At Iesus contra: Cum duodecim horæ sint diei, si quis interdiu graditur, non offendit: hujus enim mundi lucem aspicit:

10 At si quis noctu graditur, offendit, quia lumine caret.

11 Hæc fatus, sic eos deinde alloquitur: Lazarus amicus noster obdormivit, sed ego ad eum expergefaciendum vado.

12 Tum ejus discipuli: Domine, inquiunt, si obdormivit, salvus est.

13 Dixerat autem Iesus de ejus morte: illi vero de somni sopore dicere opinabantur.

14 Itaque tum dixit eis Iesus aperte: Lazarus mortuus est,

15 Atque equidem me illic non adfuisse gaudeo vestra causa, ut credatis. Sed proficiscamur ad eum.

16 Et Thomas nomine Didymus: Eamus & nos, inquit discipulis, ut cum eo moriamur.

17 Igitur Iesus ubi venit eo, invenit eum quartum jam diem agentem in monimento.

18 Aberat autem prope Bethania Hierosolymis stadia circiter quindecim,

19 Multique Iudæorum ad Martham & Mariam venerant, ut eas de suo fratre consolarentur.

20 Igitur Martha ut IEsum venire audivit, ei obviam, sedente domi Maria, ivit,

21 Et sic eum allocuta est: Domine, si tu hic adfuisses, meus frater mortuus non fuisset.

22 Quanquam nunc quoque scio, quidquid a Deo petiveris, daturum esse tibi Deum.

23 Cui Iesus: Resurget frater tuus.

24 Scio, inquit ei Martha, resurrecturum esse in resurrectione in ultima die.

Supr. 5, 29. Luc. 14, 14.

25 Et Iesus: Ego sum, inquit

ei

ei resurrectio & vita. Qui in me credet, etiam si mortuus fuerit, reviviscet.

26 Et quisquis vivit, & in me credit, nunquam moriturus est. Credis hoc?

27 Etiam Domine, inquit illa. Ego credo, te Christum esse Dei filium, qui in mundum venturus eras. Matth. 16, 16. Supr. 4, 42. & 6, 69.

28 Atque hæc locuta, ivit accersitum Mariam sororem suam, eique clanculum dixit, magistrum adesse, qui eam vocaret.

29 Illa hoc audito celeriter surgit, & illum adit.

30 Nondum autem venerat Iesus in vicum, sed in eo erat loco, ubi ei occurrerat Martha.

31 Iudæi ergo, qui cum ea domi aderant, eamque consolabantur, videntes Mariam celeriter surrexisse, atque exiisse, secuti sunt eam, rati eam ad monimentum ire, ut ibi ploraret.

32 Igitur Maria ut eo venit, ubi erat Iesus, eo viso, ei ad pedes accidit: Domine, inquit ei, si tu hic adfuisses, non fuisset mortuus frater meus.

33 Tum Iesus, ubi eam plorantem, & comitatos eam Iudæos plorantes vidit, infremuit animo, conturbatusque dixit:

34 Ubi eum posuistis? Domine, inquiunt ei, veni visum.

35 Lacrymavit Iesus.

36 Itaque Iudæi dicebant: En quantopere eum amabat.

37 Item eorum quidam dicebant: Non poterat is, qui cæci oculos aperuit, efficere, ut hic quoque non moreretur? Supr. 9, 6.

38 Iesus igitur rursus apud se fremens, venit ad monimentum. Erat autem fossa, cui impositum erat saxum.

39 Et Iesus dixit: Auferte saxum. Cui mortui soror Martha: Domine, inquit, jam fœtet, nam quatuor dierum est.

40 At Iesus: Dixine ego tibi, inquit ei, te, si fidem habueris, visuram Dei gloriam?

41 Igitur illi saxum sustulerunt, ubi situs erat mortuus. Et Iesus sublatis sursum oculis, dixit: Pater, ago tibi gratias quod me audivisti.

42 Equidem sciebam, ut tu me semper audias: sed propter circumstantem hominum multitudinem dixi, ut me abs te missum esse credant.

43 Hæc ille fatus, ingenti voce clamavit: Lazare, veni foras.

44 Et mortuus exiit, pedes manusque vinctus fasciis, vultu sudario obvelato. Solvite eum, inquit eis Iesus, & abire finite.

45 Igitur multi Judæorum, qui ad Mariam venerant, & quæ fecisset Iesus viderant, in eum crediderunt.

46 At eorum quidam Pharisæos adierunt, & eis quæ fecisset Iesus, dixerunt.

47 Itaque Pontifices & Pharisæi coacto concilio, ita dicebant: Quid agimus? nam hic homo multa portentosa facit. Matth. 26, 3. Marc. 14, 1. Luc. 22, 2.

48 Si enim sic sinimus, omnes ei fidem adiungent: atque ita venient Romani, qui nos & loco & gente privabunt.

49 Tum

49 Tum eorum quidam Caiaphas, ejus anni Pontifex, sic ad eos verba fecit: Vos nihil scitis,

50 Neque cogitatis, conducibilius esse nobis, unum hominem mori pro populo, quam totam perire gentem. Inf. 18, 14.

51 Id autem non sua sponte dixit, sed quod esset ejus anni Pontifex, vaticinatus est, Iesum pro gente moriturum esse:

52 Nec solum pro gente, sed etiam ut dispersos Dei natos simul congregaret.

53 Igitur ex eo die de eo perimendo consultarunt.

54 Itaque Iesus non jam aperte versabatur in Iudæis, sed inde discessit in locum prope solitudinem, in oppidum Ephraim nomine, atque ibi commoratus est cum suis discipulis.

55 Instabat autem Iudæorum Pascha, & multi, qui ex ea regione Hierosolymam ante Pascha sui lustrandi gratia ascenderant,

56 Requirebant Iesum, & in fano stantes, sic inter sese dictitabant: Quid vobis videtur, quod non venerit ad festum?

57 Dederant autem Pontifices & Pharisæi mandatum, ut si quis sciret, ubinam is esset, indicaret, ut eum caperent.

CAP. XII.

Christo apud Lazarum cœnanti, pedes ungit Maria. Accusatur a Iuda. A Christo defenditur. Sacerdotes Lazarum sublatum cupiunt. Christo Hierosolymam venienti obviam itur. Græci eum videre cupiunt. Principes credentes in eum, & non confitentes ob metum, ad fidem hortatur.

1 Igitur Iesus sex diebus ante Pascha Bethaniam venit, ubi erat Lazarus, qui mortuus fuerat, quem ille ex mortuis excitaverat.

Matth. 26, 6. Marc. 14, 3.

2 Illic ei data cœna est, cum quidem Martha ministraret, & Lazarus ex eorum numero esset, qui cum eo accumbebant.

3 Maria vero sumpta libra pretiosi unguenti spicatæ nardi, Iesu pedes perfudit, eosdemque suis capillis extersit. Ejus unguenti odore cum domus repleta foret,

Supr. 11, 2.

4 Unus ex ejus discipulis, Iudas Simonis filius, Iscariota, qui eum proditurus erat, ita loquitur:

5 Cur hoc unguentum non est trecentis denariis venditum, & in pauperes erogatum?

6 Id autem dixit, non quod ei curæ essent pauperes, sed quod fur erat, & crumenam habebat, ac quæ conferebantur, portabat.

Inf. 13, 29.

7 Tum Iesus: Sine eam, inquit: id ad meæ sepulturæ diem reservavit.

8 Pauperes enim semper habebitis vobiscum: at me non semper habebitis.

Deut. 15, 11. Matth. 26, 11. Marc. 14, 7.

9 Igitur cum ingens Judæorum multitudo eum illic esse cognovisset, venerunt eo non solum propter Jesum, sed etiam ut Lazarum viderent, quem suscitaverat ex mortuis.

10 Consultarunt autem Pontifices etiam de Lazaro necando,

11 Quod

11 Quod propter eum multi Judæorum desciscebant, & in Iesum credebant.

12 Postero die frequens hominum turba, qui ad festum venerant, audientes Iesum adventare Hierosolymam.

Matth.21,8.Marc.11,7.Luc.19,35.

13 Sumptis palmarum ramis, ei obviam exierunt, atque ita clamabant: Hosanna, bene sit venienti in nomine Domini, regi Israelitarum, Ps.118, 25.26.

14 Nactus autem Iesus asellum, in eo sederat, quemadmodum scriptum est:

15 Ne metue Puella Sion: ecce tuus rex venit in asinæ pullo sedens. Zach.9,9.

16 Atque hæc quidem primum non intellexerunt ejus discipuli: sed postquam illustratus est Iesus, tum demum recordati sunt ea, & de eo fuisse scripta, & se ei præstitisse.

17 Testificabatur autem hominum multitudo, qui cum eo adfuerant, cum Lazarum evocavit ex monimento, & a mortuis excitavit.

18 Atque hanc ob causam occurrit ei vulgus, quod id eum edidisse prodigium audivissent.

19 Itaque Pharisæi sic inter sese dicebant: videtis nihil proficere vos, cum eum sequatur orbis.

20 Erant autem quidam Græci, ex iis qui ascenderant ut in festo adorarent.

21 Ii Philippum adierunt, eum qui erat a Bethsaida Galilææ, eumque sic rogarunt: Domine, vellemus Iesum videre.

22 Id Philippus Andreæ indicatum it, & porro Andreas & Philippus Iesu dicunt.

23 Et Iesus sic eis respondit: Venit hora, qua illustretur homine natus.

24 Profecto, profecto, inquam vobis, nisi frumenti granum ad terram lapsum moriatur, ipsum solum manet: sin moriatur, multum fructum fert.

25 Qui animam suam amabit, eam perdet: & qui animam suam in hoc mundo oderit, is eam in sempiternam vitam conservabit. Matth. 10,39. & 16,25. Marc. 8,35. Luc. 9,24. & 17,33.

26 Si quis mihi ministrat, me sequatur: atque ubi ero ego, ibidem meus etiam minister erit. Quod si quis mihi ministrabit, eum Pater honorabit.

Inf.14,3. & 17,24. 1. Thess.4,17.

27 Nunc mihi turbatus est animus: ecquid dicam? Pater defende me ab hac hora, sed ideo veni in hanc horam.

28 Pater illustra tuum nomen. Tum hæc vox de cœlo venit: Et illustravi, & rursus illustrabo.

29 Hoc audito, vulgus hominum qui aderant, dicebat extitisse tonitru. Alii Angelum cum eo locutum ajebant.

30 At Iesus ita locutus est: Non propter me vox hæc extitit, sed propter vos.

31 Nunc fit de hoc mundo judicium: nunc hujus mundi princeps exigetur foras. Inf. 16, 11.

32 Et ego si a terra evectus fuero, omnes ad me traham. Supr.3,14.

33 Id autem dicebat significans, quo letho moriturus esset.

34 Ei

34 Ei vulgus respondit: Nos audimus ex disciplina, Christum semper esse permansurum: Qui fit ut tu dicas, evehendum esse homine natum? Quis est iste homine natus?

2. Sam. 7, 13. Ps. 89, 30. 37. & 110, 4. Es. 9, 6. 7. Ezech. 37, 25. Dan. 2, 44. & 7, 14. 27.

35 Quibus Iesus: Adhuc parvo tempore vobis futura lux est. Ambulate dum lucem habetis, ne vos opprimant tenebræ: quoniam qui in tenebris ambulat, nescit quo eat. Supr. 1, 9.

36 Dum lucem habetis, credite in lucem, ut lucis filii fiatis. Hæc locutus Iesus discessit, & eis sese subduxit.

37 Sed quamvis tot in eorum conspectu ostenta fecisset, tamen in eum non credebant,

38 Ut illud ab Esaia vate dictum fieret, cum ait: Domine, quis credidit orationi nostræ? & Domini brachium cui patefactum est? Es. 53, 1. Rom. 10, 16.

39 Ideo credere non poterant, quod item dixit Esaias:

40 Eorum & oculos excœcavit & animos stupefecit, ne oculis videant, & animo intelligant, ad frugemque redeant, atque eos ego sanem.

Es. 6, 9. Matth. 13, 14. Marc. 4, 12. Luc. 8, 10. Act. 28, 26. Rom. 11, 8.

41 Hæc dixit Esaias, tum cum ejus splendorem vidit, deque eo locutus est.

42 Tametsi multi ex principibus in eum crediderunt: sed id propter Pharisæos non fatebantur, ne Synagogæ communitate privarentur.

43 Plus enim amabant hominum, quam Dei gloriam.

Supr. 5, 44.

44 Iesus autem clamavit his verbis: Qui in me credit, non in me credit, sed in eum qui me misit: 1. Pet. 1, 21.

45 Et qui me videt, eum videt, qui me misit.

46 Ego lux in mundum veni, ut quisquis in me crediderit, non maneat in tenebris.

Supr. 1, 5. 9. & 3, 19. & 8, 12. & 9, 5.

47 Quod si quis mea verba audierit, neque crediderit, ego eum non damno. Non enim ut mundum damnem veni, sed ut mundum conservem.

Supr. 3, 17. Marc. 16, 16.

48 Qui me repudiat, nec mea verba admittit, habet qui se damnet. Ipse sermo, quem ego habeo, eum damnabit in postremo die:

49 Quoniam ego non mea sponte loquor, sed qui me misit Pater, is mihi in mandato dedit, quid dicturus aut locuturus sim:

Inf. 14, 10.

50 Et scio ejus mandatum sempiternam esse vitam. Quæ igitur eloquor ego, quemadmodum mihi dixit Pater, sic eloquor.

CAP. XIII.

A cœna surgens Christus, humilitatem commendaturus Apostolis, pedes eorum lavat. Proditorem Iudam, certo signo denotat. Caritatem commendat. Et Petro lapsum abnegationis prædicit.

ANte festum autem Paschæ, sciens Iesus suam horam venisse, qua ex hoc mundo migraret

graret ad Patrem, cum suos, qui erant in mundo, amavisset, eos ad extremum amavit.

Matth. 26, 1. Marc. 14, 1. Luc. 22, 1.

2 Et cœna parata, cum jam diabolus Iudæ Simonis filio Iscariotæ mentem injecisset, ut eum proderet:

3 Sciens IEsus Patrem sibi omnia in manum dedisse, seque a Deo profectum, ad Deum discedere,

Matth. 28, 18. Supr. 3, 35. Infr. 17, 2.

4 Surgit ex cœna, depositisque vestibus, sumpto linteo, se præcingit.

5 Deinde immissa in pelvim aqua, discipulorum pedes lavare institit, & linteo, quo præcinctus erat, abstergere;

6 Sed ubi ad Simonem Petrum venit, ille sic ei dixit: Domine, te ne mihi lavare pedes?

7 Cui Iesus: Quid ego faciam, inquit respondens, tu nunc ignoras, sed postea cognosces.

8 Et Petrus: Nunquam meos pedes lavabis, inquit ei. At Iesus contra: Nisi te lavero, inquit, non eris meus particeps.

9 Tum Simon Petrus: Domine, inquit ei, non solum meos pedes, sed etiam manus atque caput.

10 Cui Iesus: Qui lotus est, inquit, huic non opus est, nisi ut pedes lavet, quin totus purus est. Et vos puri estis, sed non omnes. Inf. 15, 3.

11 Noverat enim suum proditorem: ideo dicebat, non omnes esse puros.

12 Postquam eorum pedes lavit, sumptis suis vestibus rursus accubuit, & eos sic allocutus est: Intelligitis quid vobis fecerim?

13 Vos me magistrum & dominum appellatis, & recte dicitis: sum enim.

Matth. 23, 8. 10. 1. Cor. 8, 6.

14 Si igitur ego vobis & Dominus & magister pedes lavi, vos quoque debetis alii aliorum lavare pedes.

15 Exemplum enim præbui vobis, ut quemadmodum ego vobis feci, vos quoque faciatis.

16 Certe, certe, inquam vobis, non est servus domino suo major, neque legatus eo major qui eum misit.

Inf. 15, 20. Matth. 10, 24. Luc. 6, 40.

17 Si hæc nostis, felices estis, si ea præstatis.

18 Non de omnibus vobis dico: ego scio quos elegerim. Sed oportet ut fiat quod scriptum habetur: Qui mecum cibum capit, is me calce petit.

Ps. 40, (41,) 10.

19 Iam nunc dico vobis antequam fiat: ut cum factum fuerit, credatis eum esse me.

20 Hoc vobis certo certoque dico, qui eum, quem ego misero, accipit, me accipit; & qui me accipit, eum accipit qui me misit. Matth. 10, 40. Luc. 10, 16.

21 Hæc locutus Iesus, turbatus est animo, & ita aperte dixit: Certo certoque scitote, futurum esse, ut unus vestrum me prodat. Matth. 26, 21. Marc. 14, 18. Luc. 22, 21.

22 Tum

22 Tum discipuli inter sese intueri, dubitantes de quo diceret.

23 Recumbebat autem unus discipulorum Iesu in ejus gremio, quem Iesus amabat.

24 Huic innuit Simon Petrus, ut sciscitaretur, quisnam is esset de quo diceret.

25 Atque ille in Iesu pectus incumbens: Domine, inquit ei, quis est?

26 Cui Iesus respondet: Is est, cui ego intinctam bucceam porrigam: tum bucceam intingit, & Iudæ Simonis filio Iscariotæ dat.

27 Ac tum post eam bucceam, intravit in eum Satanas. Et Iesus ei dixit: Quod facis, fac ocyus.

28 Id autem quorsum ei dixisset, nemo accumbentium intellexit.

29 Nonnulli enim arbitrabantur, quandoquidem crumenam habebat Iudas, Iesum mandare, ut emeret quæ ei opus esset ad festum, aut pauperibus ut aliquid daret. Sup. 12, 6.

30 Igitur ille simul ac sumpsit bucceam, exivit, cum quidem nox esset.

31 Quo egresso sic fatur Iesus: Nunc homine natus illustratur, & Deus illustratur in eo.

32 Si in eo Deus illustratur, eum quoque Deus in seipso illustrabit, & mox illustrabit.

33 Filioli, adhuc paulisper vobiscum sum. Quæretis me, ac quemadmodum Iudæis dixi, quo ego abeo, eos venire non posse, etiam vobis nunc dico,

Supr. 7, 34. & 8, 21.

34 Præceptum novum do vobis, ut inter vos ametis, quomodo ego vos amavi, ut vos ametis inter vos.

Infr. 15, 12. Lev. 19, 8. Matth. 22, 39. Gal. 6, 2. Iac. 2, 8. 1. Petr. 1, 22. 1. Ioh. 3, 11. & 4, 16. 21.

35 In eo cognoscent omnes, vos meos esse discipulos, si mutuo vos amore prosequamini.

36 Et Simon Petrus: Domine, quo abis? Cui Iesus respondit: Quo ego abeo, tu non potes me nunc sequi, sed tandem sequeris me. Inf. 21, 10.

37 At Petrus: Domine, inquit ei, cur te nunc sequi non possum? animam meam pro te ponam.

38 Cui respondit Iesus: Animam tuam pro me pones? Hoc tibi magnopere confirmo, non ante cantaturum esse gallum, quam tu me ter abnegaveris.

Matth. 26, 34. Marc. 14, 30. Luc. 22, 34.

CAP. XIV.

Consolatur discipulos suos. Divinitatem suam & fructum mortis suæ exponens. Consolatorem Spiritum promittens, ejus officium describens, pacemque suam pollicetur.

NOlite animo turbari, inquit suis discipulis. Fidem habetis Deo, & mihi fidem habete.

2 In domo patris mei mansiones multæ sunt, quod si secus esset, dixissem vobis. Eo paratum vobis locum.

3 Quod si vero paratum vobis locum, reveniam, & vos mecum assumam, ut ubi ero ego, vos etiam sitis. Inf. 18. & 17, 24. Sup. 12, 26.

4 Et quidem quo ego proficiscar, vos scitis, & viam tenetis.

5 Domine, inquit ei Thomas, nescimus quo proficiscaris, tantum abest, ut viam tenere possimus.

6 Cui Iesus: Ego sum via, & veritas, & vita. Nemo ad Patrem venit, nisi per me.

7 Si me cognosceretis, meum quoque Patrem cognosceretis, etiam nunc eum cognoscitis, ac vidistis.

8 Et Philippus: Domine, inquit ei, ostende nobis Patrem, & satis erit nobis.

9 Cui Iesus: Tantum jam tempus vobiscum sum, & tu me non nosti? Philippe qui me vidit, Patrem vidit: qui fit ut dicas, Ostende nobis Patrem?

Sup. 12, 45. Inf. v. 20. & 17, 21. 23.

10 Non credis, & me in Patre, & Patrem in me esse? Quæ ego verba vobis dico, mea sponte non dico: sed ipse Pater, qui in me manet, facit opera.

11 Credite mihi, & me in Patre, & Patrem in me esse: aut certe de ipsis factis mihi credite.

12 Hoc certo certoque sic habetote, qui mihi fidem habebit, eum esse eadem mecum, atque etiam his majora facturum. Nam ad Patrem meum proficiscor:

13 Ac quicquid per meum nomen petieritis, id faciam, ut illustretur Pater in filio.

Infr. 15, 16. & 16, 23. 24. Matt. 7, 7. Marc. 11, 24. Iac. 1, 5.

14 Si quid per meum nomen petieritis, ego faciam.

15 Si me amatis, mea præcepta servate.

16 Ego vero meum Patrem exorabo, ut alium vobis confirmatorem det, qui vobiscum perpetuo maneat,

17 Scilicet veritatis Spiritum, quem mundus consequi non potest, quod eum neque videt, neque cognoscit; at vos eum cognoscitis: quoniam apud vos manet, & in vobis futurus est.

18 Non relinquam vos pupillos: invisam vos.

19 Post paulo jam me non videbit mundus: at vos videbitis, quoniam & ego vivo, & vos vivetis.

20 In illa die vos intelligetis, & me in Patre meo, & vos in me, & me in vobis esse.

21 Qui mea præcepta tenet, conservatque, ille est, qui me amat. Qui vero me amat, amabitur a Patre meo: eumque ego amabo, & me ei patefaciam.

22 Tum Iudas, non Iscariota: Domine, inquit ei, quid causæ est, ut tu nobis te ipsum sis patefacturus, mundo non item?

23 Cui Iesus: Si quis me amat, inquit, respondens, is sermoni meo parebit, eumque meus Pater amabit, & ad eum veniemus, & apud eum manebimus.

24 Qui me non amat, mea dicta non exsequitur. Sermo autem quem auditis, meus non est, sed Patris, qui misit me.

25 Hæc vobis elocutus sum, apud vos manens.

26 Sed Confirmator, Spiritus Sanctus, quem mittit Pater meo nomine, is vos omnia docebit, & vobis in memoriam revo-

revocabit quæcunque ego vobis dixi. Luc. 24, 49.
Infr. 15, 26. & 16, 7.

27 Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis: non quemadmodum dat mundus, ego do vobis. Nolite animo perturbari, atque formidare.

28 Audivistis ut dixerim vobis, abire me, revisurum vos. Si me amaretis, gauderetis, quia dixissem me ad Patrem proficisci, quod Pater major me sit.
Sup. 10, 29.

29 Et nunc dixi vobis, priusquam fiat, ut cum factum fuerit, credatis. Sup. 13, 19.

30 Iam non multa loquar vobiscum: venit enim hujus orbis princeps, nec habet in me quicquam.
Sup. 12, 31. Inf. 16, 11.

31 Sed intelligendum orbi est, me amare Patrem: & ut mihi mandavit Pater, ita facere. Surgite, abeamus hinc.
Supr. 10, 18.

CAP. XV.

Vitis, & palmitum similitudine, ostendit quomodo discipuli fructum ferre possint. Dilectionem mutuam commendat, ad patientiam in afflictionibus suo exempl. adhortatur.

EGo sum vera vitis, & Pater meus est agricola:

2 Qui omnem palmitem in me non ferentem fructum amputat, & omnem ferentem fructum expurgat, ut plus fructus ferat.
Matth. 15, 13.

3 Iam vos puri estis, propter sermonem, quem ad vos habui.
Sup. 13, 10.

4 Quapropter manete in me, & ego in vobis. Quemadmodum palmes fructum ferre per seipsum non potest, nisi maneat in vite: sic neque vos, nisi maneatis in me.

5 Ego sum vitis, vos palmites. Qui in me manet, & ego in eo, is multum fert fructum. Siquidem sine me vos nihil facere potestis.

6 Si quis in me non manet, is extra projectus, aruit ut sarmenta, quæ colliguntur, & in ignem deflagratura conjiciuntur.
Matth. 3, 10. & 7, 19.

7 Si & vos in me manseritis, & mea verba in vobis manserint, quicquid postulare voletis, id vobis concedetur. Sup. 13, 13. 14. Infr. 16, 23.
1. Ioh. 3, 22.

8 In eo illustratur Pater meus, si vos multum fructum feratis, meique discipuli eritis.

9 Quemadmodum amavit me Pater, sic ego vos amavi. Manete in amore meo.

10 Si mea præcepta conservaveritis, manebitis in amore meo: ut ego mei præcepta Patris conservavi, & in ejus amore maneo.

11 Hæc vobis elocutus sum, ut & mea lætitia in vobis maneat, & vestra lætitia expleatur.

12 Hoc meum est præceptum, ut ametis inter vos, quomodo ego vos amavi. Sup. 13, 34. Eph. 5, 2. 1. Thes. 4, 9. 1. Ioh. 3, 11. 16. & 4, 21.

13 Majore charitate nemo præditus est, quam si quis animam suam amicorum suorum causa impendat.

14 Vos mei estis amici, si feceritis quæcunq; ego vobis præcipio.

15 Non jam vos dico servos, siquidem servus nescit quid agat suus dominus. Vos autem amicos propterea dixi, quod vobis omnia, quæ audivi ex Patre meo declaravi.

16 Non vos me elegistis, sed ego vos elegi, & eo destinavi, ut abeatis, & fructum feratis, vesterque fructus duret, ut quicquid patrem per meum nomen poposceritis, id vobis concedat. Matth. 28, 19.

17 Hæc vobis præcipio, ut ametis mutuo. 2. Ioh. v. 5.

18 Si vos mundus odit, illud cognoscite, quod me prius quam vos odit.

19 Si mundani essetis, mundus amaret suum. Verum quia mundani non estis, sed ego vos ex mundo elegi, ideo vos odit mundus. 1. Ioh. 4, 5.

20 Memineritis ejus dicti, quod ego vobis dixi: Non est servus major Domino suo. Si me persecuti sunt, & vos persequentur: si sermoni meo paruerunt, & vestro parebunt. Sup. 3, 16. Matth. 10, 24. Luc. 6, 40.

21 Verum hæc omnia vobis facient propter nomen meum: quoniam eum qui me misit, non norunt. Matth. 24, 9. Inf. 16, 3.

22 Nisi ego venissem, & eos allocutus essem, in peccato non essent. Nunc peccati sui excusationem nullam habent. Supr. 9, 41.

23 Qui me odit; etiam Patrem meum odit.

24 Si non opera apud eos fecissem, qualia nemo fecit alius, non forent in peccato. Nunc & viderunt & oderunt & me & patrem meum.

25 Sed confieri oportet illud, quod in eorum disciplina scriptum extat: Oderunt me immerito. Ps. 34, (35.) 19. & 69, 5.

26 Cum autem venerit Confirmator, quem ego vobis a patre mittam, scilicet Spiritus veritatis, qui a patre proficiscitur, is de me testabitur. Sup. 14, 26. Inf. 16, 7. Luc. 24, 49.

27 Quin & vos testes estis, qui mecum fueritis ab initio. Act. 1, 21. & 5, 32.

CAP. XVI.

Crucem prædicit discipulis. Consolatorem promittens, ejus officium describit. Mulieri parienti afflictiones suorum comparat.

HÆc vobis loquor, ne deficiatis.

2 Privabunt vos Synagogis: atque adeo tempus erit, cum omnes Deum a se coli putabunt, qui vos interfecerint.

3 Quæ quidem vobis ideo facient, quod neque patrem neque me norunt. Sup. 15. 21.

4 Atque hæc ideo vobis locutus sum, ut cum tempus venerit, memineritis eorum, qvod ego vobis ea dixerim. Hæc autem vobis ideo ab initio non dixi, qvod vobiscum eram. Matth. 9, 15. Marc. 2, 19. Luc. 5, 34.

5 Nunc vero proficiscor ad eum qui me misit: nec quisquam me vestrûm interrogat, quo proficiscar.

6 Sed

6 Sed quoniam hæc vobis locutus sum, animos habetis mœroris plenos.

7 At ego vobis verum dico: E re vestra est, ut ego discedam: nisi enim discessero, Confirmator ad vos non veniet. Sin abiero, eum ad vos mittam.

8 Atque ille ubi venerit, mundum arguet de peccato, & de justitia, & de judicio.

9 De peccato, quoniam mihi fidem non habent.

10 De iustitia, quoniam ad Patrem discedo, nec me videbitis amplius.

11 De judicio, quoniam hujus mundi princeps judicatus est.

Sup. 12, 31.

12 Adhuc multa vobis habeo dicenda, sed quæ nunc ferre nequeatis.

13 Verum cum venerit ille, videlicet veritatis Spiritus, præibit vobis ad omnem veritatem. Non enim sua sponte loquetur, sed quæcunque audiverit, eloquetur, & futura vobis prænunciabit.

Sup. 14, 26. & 15, 26.

14 Ille me illustrabit: siquidem de meo sumet, quæ vobis exponat.

15 Omnia quæcunque pater habebit, mea sunt: propterea dixi, illum de meo sumpturum esse, quæ vobis exponat.

Inf. 17, 10.

16 Paulo post non videbitis me, rursumque paulo post cernetis me, quoniam ego ad Patrem proficiscor.

17 Tum ejus discipulorum nonnulli sic inter sese dicere: Quid sibi vult, quod nobis dicit, paulo post non visuros se, rursumque paulo post adaspecturos se? itemque se ad Patrem proficisci?

18 Hoc quid est qvod dicit, Paulo post? Nescimus quid loquatur.

19 At Iesus intelligens eos velle interrogare, sic eos affatus est: De eo inter vos contenditis, qvod dixi, vos paulo post non visuros me, rursumque paulo post aspecturos me.

20 Hoc pro certo & indubitato habetote: Vos flebitis ac lamentabimini, at mundus lætabitur: Vos vero dolebitis, sed dolor iste vertetur in lætitiam.

21 Mulier dum parit, in dolore est, qvippe cujus hora venerit: sed postquam puerum edidit, non jam meminit cruciatus præ lætitia, quod editus est in orbem homo.

22 Vos qvoqve nunc qvidem in dolore estis: sed revisam vos, vesterque lætabitur animus, vestramqve lætitiam nullus vobis eripiet.

23 Ac tum temporis nihil ex me sciscitabimini. Hoc vobis etiam etiamqve confirmo: qvæcunqve a meo Patre per meum nomen postulaveritis, daturum esse vobis.

Supr. 14, 13. & 15, 16. Matth. 7, 7. & 21, 22. Marc. 11, 24. Luc. 11, 9. Jac. 5, 15.

24 Hactenus nihil per meum nomen petiistis: Petite & obtinebitis, ut plena sit vestra lætitia.

25 Hæc vobis oratione figurata locutus sum : tempus erit, cum non jam per figuras vos alloquar, sed aperte vobis de Patre meo disseram.

26 Quo quidem tempore per meum nomen postulabitis. Neque vero vobis promitto, me vestri causa oraturum esse patrem.

27 Ipse enim pater diligit vos, quoniam vos me diligitis, & me creditis a Deo profectum.

Inf. 17, 8. 25.

28 Profectus a patre veni in mundum, rursum relinquo mundum, & ad patrem discedo.

29 Tum ejus discipuli : Nunc tu quidem aperte loqueris, inquiunt ei, nec ulla orationis figura uteris.

30 Nunc scimus te omnia scire, nec opus tibi esse, ut te quis interrogaret. Hinc te a Deo profectum credimus. Inf. 17, 8.

31 At Iesus contra : Nunc creditis, inquit :

32 Atqui adventat hora, & jam advenit, cum alius alio dissipabimini, & me solum relinquetis : quanquam non sum solus, adest enim mihi pater.

Matth. 26, 31. Marc. 14, 27.

33 Hæc vobis ideo locutus sum, ut in me acquiescatis. In mundo afficiemini cruciatu : sed bono este animo, ego vici mundum.

CAP. XVII.

Orat Christus, ut in tua sit illustratio gloriæ suæ & Patris. Orat pro Apostolis, & toto credentium grege.

HÆc effatus Iesus, sublatis ad cœlum oculis, dixit: Pater, venit hora, illustra tuum filium, ut te tuus vicissim filius illustret.

Sup. 12, 23.

2 Quemadmodum ei potestatem dedisti omnium mortalium, ut quoscunque ei dedisti, iis vitam det æternam.

Matth. 28, 18. Sup. 5, 27.

3 Hæc est autem vita æterna, si te solum cognoscant verum Deum, & quem misisti Iesum Christum.

4 Ego te in terris illustravi, opus absolvi, quod tu mihi faciendum mandaveras.

5 Tu nunc me, pater, apud te ipsum ea gloria illustra, qua apud te præditus eram, antequam mundus esset.

6 Declaravi nomen tuum hominibus, quos mihi tu ex mundo dedisti. Tui erant, & eos tu mihi dedisti, & ipsi tuæ orationi paruerunt.

7 Nunc intelligunt, quæcunque tu mihi dedisti, ea abs te esse.

Supr. 16, 27. 30. Infr. v. 25.

8 Nam quæ tu mihi verba tradidisti, ea & ego eis tradidi, & ipsi acceperunt, & me abs te profectum vere cognoverunt, & a te missum esse crediderunt.

9 Ego pro eis oro : non pro mundo oro, sed pro iis quos tu mihi dedisti ; nam tui sunt :

10 Et mea omnia tua, & tua mea sunt; & in eis illustratus sum.

Sup. 16, 15.

11 Nec jam sum in mundo, at hi in mundo sunt, & ego ad te venio. Pater sancte, conserva per tuum nomen eos, quos mihi dedi-

dedisti, ut sint unum, sicut & nos. Sup. 10, 30. Infr. v. 21.

12 Dum cum eis in mundo eram, eos equidem tuo nomine conservabam; quos tu mihi dedisti, custodivi: nec eorum quisquam periit, excepto homine perdito, ut quod scriptum est, fiat: Ps. 108, (109.) 8. Inf. 18, .

13 Nunc vero ad te venio, & hæc in mundo loquor, ut meam lætitiam in sese plenam habeant.

14 Ego eis tuum sermonem tradidi, & eos mundus odit, quod mundani non sunt: quemadmodum ego mundanus non sum.

15 Non oro ut eos ex mundo tollas, sed ut a Malo tueare.

16 Mundani non sunt, quemadmodum ego mundanus non sum.

17 Sanctifica eos veritate tua, sermo tuus veritas est.

18 Ut tu me in mundum misisti, sic eos ego in mundum misi.

19 Et eorum causa ego meipsum sanctifico, ut ipsi quoque veritate sanctificati sint.

20 Neque vero pro his solum oro, sed etiam pro eis, qui per eorum sermonem in me credent:

21 Ut omnes unum sint, quemadmodum tu pater in me, & ego in te, ut ipsi quoque sint in nobis unum: ut mundus me abs te missum fuisse credat.

Supr. 10, 38. & 14, 10. 1. Ioh. 1, 3. & 3, 24.

22 Ego quoque, quam tu mihi gloriam dedisti, eis dedi, ut sint unum, quomodo nos unum sumus:

23 Ego in eis, & tu in me, ut perfecti sint in unum, utque cognoscat mundus, me abs te esse missum, & eos a te amatos, quemadmodum me amasti.

24 Pater, quos tu mihi dedisti, volo ut ubi ero ego, ii quoque sint mecum: ut meam videant gloriam, quam tu mihi dedisti, quod me ante mundum conditum amaveris.

Sup. 12, 26. & 14, 3. 1. Thess. 4, 17. Sup. v. 3.

25 Pater juste, te quidem mundus non novit: at ego te novi, & hi me a te missum esse norunt,

26 Eisque nomen tuum & declaravi & declarabo: ut amor, quo tu me amas, sit in eis, itemque ego in eis.

CAP. XIIX.

Christi a Iuda proditi virtute milites in terram prosternuntur. Christus ad Annam, hinc ad Cajapham ducitur. Ministri bacillo cæsus, quid responderit. Pilato traditus, regnum suum declarat.

HIs dictis, Iesus profectus est una cum suis discipulis trans torrentem Cedronem, ubi hortus erat, in quem una cum suis discipulis intravit.

Matth. 26, 36. Marc. 14, 32. Luc. 22, 39. 2. Sam. 15, 23.

2 Sciebat autem etiam Iudas, ejus proditor, locum, quod eo Iesus sæpe numero cum suis discipulis convenerat.

3 Igitur Iudas accepta a pontificibus & Pharisæis cohorte, ac ministris, venit eo cum facibus ac funalibus & armis.

Matth. 26, 47. Marc. 14, 43. Luc. 22, 47. Act. 1, 16.

4 Tum Iesus sciens omnia, quæ

quæ sibi eventura essent, egressus dixit eis: Quem quæritis?

5 Cui illi responderunt: Iesum Nazarenum. Et Iesus: Ego is sum, inquit eis. Aderat autem cum eis etiam Iudas eius proditor.

6 Ut ergo dixit eis: Ego is sum; illi retrorsum abierunt, & humi ceciderunt.

7 Et ille rursus eos sic interrogavit: Quem quæritis? Iesum Nazarenum, inquiunt.

8 Et Iesus respondit: Dixi vobis eum esse me. Itaque si me quæritis, sinite hos abire.

9 Scilicet ut illud ejus dictum comprobaretur: Quos tu mihi dedisti, eorum ego nullum perdidi. Supr. 17, 12.

10 Tum Simon Petrus, stricto quem habebat gladio, servum Pontificis percussit, eique dexteram abscidit auriculam. Et servo Malchus nomen erat.

11 At Iesus dixit Petro: conde tuum gladium in vaginam: egone, ut quod mihi poculum dedit pater, non bibam?

12 Igitur cohors, & tribunus, Iudæorumque ministri, Iesum comprehenderunt,

Matth. 26, 57. Marc. 14, 53. Luc. 22, 54.

13 Vinctumque ad Annam primum adduxerunt. Erat enim Cajaphæ socer, qui erat ejus anni pontifex. Luc. 3, 2.

14 Erat Cajaphas is, qui Iudæis consuluerat, expedire unum hominem perire pro populo. Supr. 11, 50.

15 Sequebatur autem Iesum Simon Petrus, & alter discipulus: qui quidem discipulus, quod erat Pontifici notus, ingressus est una cum Iesu in Pontificis atrium. Matth. 26, 58. Marc. 14, 54. Luc. 22, 54.

16 Et cum Petrus foris pro foribus astaret, prodiit ille alter discipulus, qui Pontifici notus erat, & a janitrice, ut Petrum intromitteret, obtinuit.

17 Atque illa janitrix ancilla sic Petrum alloquitur: Nonne tu quoque ex hujus hominis discipulis es? Non sum, inquit ille.

18 Astabant autem servi & ministri pyræ, quam fecerant (erat enim frigus) & calefiebant, cumque eis astabat etiam Petrus ac calefiebat.

19 Igitur interrogatus a Pontifice Iesus, de suis discipulis ac doctrina,

20 Sic respondit: Ego palam mundo locutus sum: ego semper in Synagoga docui atque templo, quo Iudæi omnes conveniunt, neque quicquam in occulto locutus sum.

21 Quid me interrogas? Interroga eos qui audiverunt, quid eis locutus sim: illi enim sciunt quæ dixerim ego.

22 Hæc locuto Iesu, unus ministrorum, qui aderat, ei alapam impegit, & dixit: Siccine respondes Pontifici?

23 Cui Iesus: Si male locutus sum, inquit, testificare de malo: sin bene, cur me cædis?

24 Miserat autem eum Annas vinctum ad Cajapham Pontificem. Matth. 26, 57. Marc. 14, 53. Luc. 22, 54.

25 Simon

25 Simon Petrus autem astabat, ac calefiebat: & quærentibus, num ipse quoque ex ejus discipulis esset, negavit, &: Non sum, inquit. Matth. 26, 69. Marc. 14, 66. Luc. 22, 5.

26 Tum unus ex servis pontificis, ejus cognatus, cujus Petrus absciderat auriculam, dixit: Nonne ego te vidi in horto cum eo?

27 At Petrus rursum negavit, & continuo gallus cecinit.

28 Igitur Iesum a Cajapha ducunt ad prætorium, cum quidem mane esset: nec ipsi in prætorium intrarunt, ne polluerentur, sed vescerentur Pascha.

Matth. 27, 1. Marc. 15, 1. Luc. 23, 1. Act. 10, 28. & 11, 3.

29 Itaque Pilatus ad eos egressus est, & ita locutus: Quodnam crimen affertis contra hunc hominem?

30 Cui illi his verbis responderunt: Nisi esset hic nocens, eum tibi non tradidissemus.

31 Et Pilatus: Capite eum vos, inquit eis, & ex lege vestra judicate. At Iudæi: Nobis non licet quenquam interficere.

32 Ut illud fieret, quod dixerat Iesus, significans qua morte moriturus esset. Matth. 20, 19. Marc. 10, 33. Luc. 18, 32.

33 Tum Pilatus rursus in prætorium ingressus, Iesum vocavit, eique dixit: Esne tu rex Iudæorum?

Matth. 27, 11. Marc. 15, 2. Luc. 23, 3.

34 Cui Iesus respondit: Tua ne istud sponte dicis, an alii tibi de me dixerunt?

35 Et Pilatus: Quasi vero ego sim Iudæus, inquit. Ipsi tui populares & pontifices te mihi tradiderunt. Quid fecisti?

36 Et Iesus: Regnum meum hujus mundi non est, si hujus mundi esset regnum meum, pugnavissent mei ministri, ne Iudæis addicerer. Verum meum regnum hinc non est.

37 Ergo tú rex es? inquit ei Pilatus. Cui Iesus: Est ut tu dicis, inquit, me esse regem. Ego eo natus sum, & eo in mundum veni, ut veritatem tester. Quisquis a veritate est, vocem meam audit.

38 Et Pilatus: Quid est veritas? Atque id locutus, rursus prodiit ad Iudæos, eisque dixit: Ego nullum in eo crimen comperio.

39 Est autem vobis is mos, ut unum vobis in pascha condonem. Vultis ergo, ut vobis Iudæorum regem condonem?

Matth. 27, 15. Marc. 15, 6. Luc. 23, 17.

40 At illi rursus universi sic exclamarunt: Non istum, sed Barrabam. Erat autem Barrabas latro. Act. 3, 14.

CAP. XIX.

Pilatus Christum flagellatum, & spinis coronatum, liberare volens. Iudæorum improbitate vincitur, crucifigendum tradit. Iesus matrem discipulo commendat, aceto gustato, moritur. Mortui latus lancea confoditur. Sepelitur.

TUnc ergo cepit Pilatus Iesum, ac verberavit:

Matth. 27, 26. Marc. 15, 15.

2 Et milites implexam ex

ſpinis coronam impoſuerunt ejus capiti, eumque purpurea toga induerunt,

3 Atque ita dicebant: Salve Rex Judæorum, eique alapas impingebant.

4 Deinde rurſus exit Pilatus, & illos ſic alloquitur: En vobis eum foras adduco, ut ſciatis me nullum in eo comperire crimen.

5 Ac egreſſo foras Ieſu, ſpineam coronam purpureamque togam ferente, dixit eis Pilatus: Ecce homo.

6 At pontifices & miniſtri eo viſo exclamare: Crucifige, crucifige. Quibus Pilatus: Capite eum vos, inquit, & crucifigite: nam ego crimen in eo non deprehendo.

7 At Iudæi contra: Nos legem habemus, inquiunt ei, ex qua lege noſtra debet mori, quoniam ſe Dei filium fecit.

8 Hac voce audita, Pilatus magis timuit,

9 Et rurſus in prætorium ingreſſus, dixit Ieſu: Unde es tu? At Ieſus ei reſponſum non dedit.

10 Itaque Pilatus ſic eum affatur: Mihi non eloqueris? Neſcis me poteſtatem habere tui vel crucifigendi, vel abſolvendi?

11 Reſpondit Ieſus: Non haberes ullam in me poteſtatem, niſi id tibi ſuperne datum foret. Itaque qui me tibi tradidit, in majore culpa eſt.

12 Ex eo ſtudebat Pilatus eum abſolvere. At Iudæi reclamare: Si iſtum abſolvis, non es Cæſaris amicus: quicunque ſe regem facit, contravenit Cæſari.

13 Hac audita voce, Pilatus Ieſum foras eduxit, & pro tribunali ſedit, in loco qui Lapidipavium appellatur: Hebraice autem Gabbatha:

14 Cum quidem eſſet Paſchæ præparatio, hora fere ſexta: atque ita Iudæos alloquitur: Ecce Rex veſter.

15 At illi occlamare: Tolle, tolle, crucifige eum. Regem ego veſtrum crucifigam? inquit eis Pilatus. Cui Pontifices reſponderunt: Non habemus regem, niſi Cæſarem.

16 Tum demum eum illis crucifigendum tradidit. Et illi Ieſum acceptum abduxerunt:

Matth. 27, 33. Marc. 15, 22. Luc. 23, 23.

17 Isque ſuam ferens crucem, profectus eſt in locum Calvariæ appellatum, qui diciturHebraice Golgatha,

18 Ubi eum crucifixerunt, & una cum eo hinc atque hinc duos alios, Ieſum autem medium.

19 Scripſit autem titulum Pilatus, quem cruci impoſuit, in quo ita ſcriptum erat IESUS: NAZARENUS REX JUDÆORUM. Inf. 20, 31.

20 Hunc titulum cum multi Iudæorum legiſſent: (nam prope urbem erat is locus, ubi in crucem ſublatus eſt Ieſus, & ſcriptum erat Hebraice, Græce & Latine.)

21 Monuerunt Iudæorum pontifices Pilatum, ne ſcriberet, Iudæorum regem eſſe: Sed qui ſe Iudæorum Regem eſſe dixiſſet.

22 At Pilatus reſpondit: Quod ſcripſi, ſcripſi.

23 Igi-

23 Igitur milites, postquam Iesum cruci affixerunt, ejus vestimenta ceperunt, & ex eis quatuor partes fecerunt, singulis militibus unam, itemque tunicam. Erat autem tunica inconsuta, a summo tota contexta.

Matth. 27, 35. Marc 15, 24. Luc. 23, 34.

24 Itaque commonuerunt, inter sese non esse dividendam, sed de ea sortiendum, cujus esset: ut fieret quod in scripto illo habetur: Partiti sunt inter sese mea vestimenta, & super veste mea sortem jecerunt: atque hæc quidem fecere milites.

Ps. 22, 19.

25 Astabant autem apud Iesu crucem, ejus mater, & matris soror, Maria Cleophæ conjux, & Maria Magdalena.

26 Iesus igitur conspicatus matrem, & astantem discipulum quem amabat, dicit matri suæ: Mulier, ecce filius tuus.

27 Deinde dicit discipulo: Ecce mater tua. Atque ex illa hora recepit eam discipulus ad se.

28 Postea sciens Iesus omnia jam perfecta esse ut perficeretur quod scriptum erat, dicit: Sitio.

Ps. 68, (69.) 22.

29 Iacebat autem ibi vas aceti plenum; itaque illi oppletam aceto spongiam, & hyssopo affixam, admoverunt ejus ori.

Matth. 27, 48.

30 Et Iesus aceto sumpto dixit: Peractum est: ac inclinato capite emisit spiritum.

31 Iudæi vero, quandoquidem erat præparatio, ne manerent in cruce corpora Sabbatho (erat enim celebris illa dies Sabbathi) Pilatum rogarunt, ut eorum crura frangerentur, iique auferrentur.

32 Itaque venerunt milites, & primi quidem crura fregerunt, itemque alterius cum eo crucifixi:

33 Sed ubi ad Iesum ventum est, ut eum viderunt jam mortuum, non fregerunt ejus crura:

34 Sed unus militum lancea latus ejus pupugit: ac continuo exiit sangvis & aqua.

35 Atque hoc idem qui vidit testatur, estque verum ejus testimonium: isque se vera dicere scit, ut vos quoque credatis.

36 Acciderunt enim hæc, ut scriptum illud comprobaretur: Nullum ejus os frangetis.

Exod. 12, 46. Num. 9, 12.

37 Itemque aliud scriptum ait: Intuebuntur quem compunxerint.

Zach. 12, 10.

38 Postea rogavit Pilatum Iosephus ab Arimathæa (qui Iesu discipulus erat, sed occultus, metu Judæorum) ut Iesu corpus auferre sibi liceret. Id quod permisit Pilatus.

Matth. 27, 57. Marc. 15, 42. Luc. 23, 50. Sup. 12, 42.

39 Accessit & Nicodemus (is qui prius Iesum noctu adierat) ferens myrrhæ & aloes misturam ad libras centum.

Supr. 3, 2.

40 Hi Iesu corpus ceperunt, & linteis cum aromatis obligarunt, ut Iudæis sepeliendi mos est.

41 Erat autem in eo loco, ubi ille

ille crucifixus fuit, hortus, & in horto monimentum novum, in quo nemo adhuc positus fuerat.

42 Illic igitur propter Iudæorum Præparationem, quoniam prope erat monimentum, posuere Iesum.

CAP. XX.

Maria nunciat Christum resurrexisse. Petrus & Ioannes hoc visuri, excurrunt. Iesus Mariæ apparet, & discipulis domi congregatis. Thomas ante incredulus, credit.

PRimo autem post Sabbathum die, Maria Magdalena mane venit, cum adhuc tenebræ forent, ad monimentum, & saxum aspicit amotum a monimento.

Matth. 28, 1. Marc. 16, 1. Luc. 24, 1.

2 Itaque currit, & ad Simonem Petrum atque ad alterum discipulum, quem Jesus amabat, venit, eisque sic dicit: Sublatus est ex monimento Dominus, neque scimus ubi sit positus.

3 Igitur egressus Petrus, & alter discipulus, venerunt ad monimentum. Luc. 24, 12.

4 Ac currentibus simul ambobus, alter discipulus Petro celerius præcucurrit, priorque venit ad monimentum.

5 Et introspiciens vidit quidem jacentia lintea, non tamen introgressus est.

6 At Simon Petrus eum sequens venit, & in monimentum ingressus, videt jacentia lintea,

7 Et sudarium, quod super ejus capite fuerat, non cum linteis jacens, sed seorsum in uno loco involutum.

8 Tum demum intravit etiam alter discipulus, qui prior venerat, in monimentum, viditque & credidit.

9 Nondum enim Scripturam intelligebant, oportere eum ex mortuis resurgere.

10 Itaque rursus ad se discesserunt discipuli.

11 Maria vero astabat apud monimentum, plorans extra. Atque interplorandum introspexit in monimentum,

Marc. 16, 5.

12 Et aspicit duos angelos albo vestitos, sedentes alterum ad caput, alterum ad pedes, ubi jacuerat Jesu corpus,

13 Qui sic eam allocuti sunt: Mulier, cur ploras? Quibus illa: Quoniam, inquit, sublatus est meus dominus, neque scio ubi sit positus.

14 Atque hæc locuta, convertit se in tergum, & aspicit astantem Jesum, nesciens esse Jesum.

Matth. 28, 9. Marc. 16, 9.

15 Et Jesus: Mulier quid ploras? inquit ei: quem quæris? illa olitorem esse putans, dicit ei: Domine, si tu eum abstulisti, dic mihi ubi eum posueris, ut ego eum auferam.

16 Et Jesus dixit ei: Maria. Et illa conversa: Rabboni, inquit, hoc est magister.

17 Et Jesus: Ne me tange, nondum enim ascendi ad Patrem meum: Sed adi fratres meos, eisque dicito, ascensurum me ad Patrem meum & Patrem vestrum, & Deum meum & Deum vestrum.

Ps. 22, 23.

18 Ve-

18 Venit Maria Magdalena nunciatum discipulis, sese vidisse Dominum, eumque illa dixisse sibi.

19 Igitur cum esset vespera illo ipso die, qui proximus erat a Sabbatho, clausis præ Judæorum metu, ejus loci portis, ubi erant discipuli congregati, venit Iesus, in medioque stetit, & eis dixit: Salvete. Marc. 16, 14. Luc. 24, 36. 1. Cor. 15, 5.

20 Ac eo dicto, ostendit eis suas manus atque latus. Hic discipuli viso Domino lætati sunt.

21 Et Jesus eos denuo sic allocutus est: Salvete. Quemadmodum misit me Pater, sic ego mitto vos.

22 Hoc dicto afflavit, & eis dixit: Accipite Spiritum Sanctum.

23 Si quorum peccata remiseritis, remissa erunt; si quorum tenueritis, tenta erunt, Matth. 16, 19. & 18, 18.

24 Thomas autem unus ex duodecim, nomine Didymus, non erat cum eis quando venit Jesus.

25 Huic igitur alii discipuli dixerunt, vidisse se Dominum. Sed ille sic eis dixit: Nisi & in ejus manibus clavorum impressionem videro, & meum digitum clavorum vestigio, & manum lateri ejus admovero, non credam.

26 Deinde post dies octo, cum rursus essent intus ejus discipuli, & Thomas cum eis, venit Iesus, portis clausis, in medioque stetit, & : Salvete, inquit.

27 Deinde Thomæ dicit: Affer huc tuum digitum, & vide meas manus: tuamque manum affer, & meo lateri admove: neve incredulus esto, sed credens.

28 Et Thomas ei respondens dixit: Dominus meus & Deus meus.

29 Cui Jesus: Quia vidisti me, Thoma, inquit, credis: felices qui non viderint & tamen crediderint. 1. Pet. 1, 8.

30 Et alia quidem multa miranda fecit Jesus in conspectu suorum discipulorum, quæ non sunt in hoc libro scripta: Inf. 21, 25.

31 Hæc autem scripta sunt, ut credatis JEsum esse Christum Dei filium: utque credentes, vitam per ejus nomen adipiscamini.

CAP. XXI.

Iesus piscantibus Apostolis apparet, quem miraculo captorum piscium agnoscunt. Petro ovium curam committit, mortisque genus eidem pranunciat.

POstea rursus monstravit seipsum Iesus apud Tiberiadis lacum. Monstravit autem hoc pacto:

2 Erant simul Simon Petrus & Thomas, qui Didymus appellatur; & Nathanael, is qui erat a Cana Galilææ: & Zebedæi filii, aliique ex ejus discipulis duo.

3 His Simon Petrus dicit, se ire piscatum. Cui illi dixerunt, se quoque cum eo ituros. Profecti, protinus navem conscenderunt, eaque nocte nihil ceperunt.

4 Ubi jam mane fuit, stetit Iesus in littore (neque tamen Iesum esse sciebant discipuli.)

5 Et

5 Et eos sic alloquitur: Iuvenes, nunquid edulii habetis? Nihil, respondent illi.

6 Iacite rete, inquit eis, ad dexteram navis partem, & invenietis. Itaque jecerunt, tantamque piscium multitudinem ceperunt, ut rete non possent extrahere.

7 Tum discipulus ille, quem Iesus amabat, dicit Petro: Dominus est. Et Simon Petrus, ut Dominum esse audivit, indusium induit (erat enim nudus) seque jecit in lacum.

Supr. 13, 23.

8 Alii vero discipuli navigio venerunt (non enim longius aberant a terra quam ad ducentos cubitos) trahentes rete piscium.

9 Ut igitur ad terram descenderunt, vident humi prunas, & piscem iis impositum, & panem.

10 Et Jesus: Afferte, inquit eis, de piscibus quos nunc cepistis.

11 Conscendit Simon Petrus, & rete traxit ad terram, magnis refertum piscibus, centum quinquaginta tribus: qui quamvis tot essent, non tamen ruptum est rete.

12 Adeste, (inquit eis Iesus) prandete. Nullus autem audebat discipulorum eum percontari quis esset, quod sciebant Dominum esse.

13 Igitur venit Iesus, panemque sumit, & eis dat, itidemque piscem.

14 Hic jam tertium apparuit Iesus suis discipulis, suscitatus ex mortuis.

15 Deinde postquam prandunt, dicit Iesus Simoni Petro: Simon Iohannide, amas me plus his? Cui ille: Etiam Domine, tu scis ut te diligam. Et ille: Pasce agnos meos.

16 Itemque iterum: Simon Johannide, amas me? inquit ei. Cui ille: Etiam, Domine, tu scis ut te diligam. Et ille: Pasce oves meas inquit.

17 Itemque tertio: Simon Iohannide, diligis me? inquit ei. Hic Petrus ægre ferens, illum ex se ter, an se diligeret, quæsivisse, dixit ei: Domine, tu nosti omnia, tu scis ut te diligam. Et Iesus: Pasce meas oves, inquit ei.

18 Illud certo certoque sic habeto, cum juvenis esses, cingebas ipse te, & ibas quo volebas. Sed ubi senueris, extendes tuas manus & alius te cinget, ducetque quo noles.

2. Pet. 1, 14.

19 Id autem dixit, significans quo letho ille Dei gloriam illustraturus esset. Atque hoc locutus, dicit ei: Sequere me.

20 Et Petrus conversus aspicit sequentem discipulum, quem amabat Iesus, eum qui in cœna ejus pectori incumbens dixerat: Domine, quis est qui te proditurus est?

Sup. 13, 23. & h. c. v. 7.

21 Hunc intuitus Petrus, dicit Iesu: Domine, hic vero quid?

22 Cui Iesus: Si eum volo manere donec veniam, quid ad te? Tu sequere me.

23 Itaque dissipatus est hic sermo inter fratres, discipulum illum non esse moriturum: tametsi

metsi non dixerat illi Iesus, non esse moriturum; sed, Si eum volo manere donec veniam, quid ad te?

24 Hic est is discipulus, qui hæc testatur, & hæc scripsit, cujus nos testimonium verum esse scimus.

25 Sunt autem & alia multa, quæ fecit Iesus: quæ si singula scribantur, ne ipsum quidem mundum scribendos hac de re libros capere posse arbitror.

Supr. 20, 30.

ACTA APOSTOLORUM.

CAP. I.

Continuat Lucas hanc Historiam ad suum Evangelium. Sublato in cœlum Christo Apostoli, monentibus angelis, reversi, precibus incumbunt. Petri instinctu, Iudæ proditoris loco Matthias eligitur.

PRimum quidem librum feci de omnibus, Theophile, quæ Jesus & facere & docere institit,

2 Ad eum usque diem, quo postquam Apostolis, quos elegerat, mandata per Spiritum Sanctum dedit, sursum latus est:

3 Quibus etiam seipsum viventem post suum supplicium, multis indiciis exhibuit, eis quadraginta dies apparendo, & de Dei regno disserendo.

4 Ac eos frequentando, mandavit eis, ne Hierosolymis discederent, sed Patris promissum expectarent: quod ex me audivistis, inquit,

Luc. 24, 49. Joh. 14, 26. & 15, 26.

5 Johannem quidem aqua baptizasse, sed vos Sancto Spiritu baptizandos esse, post dies hosce non multos. Matth. 3, 11.

Marc. 1, 8. Luc. 3, 16. Joh. 1, 26. Inf. 2, 4. & 11, 16. & 19, 4.

6 Atque illi quidem congregati sic eum interrogarunt: Domine, an hac tempestate Israelitis regnum instauraturus es?

7 Quibus ille: Non est vestrum, inquit, tempestates aut tempora novisse, quæ Pater in sua potestate posuit.

8 Sed vim accipietis Spiritus Sancti, qui vos invadet, mihique testes eritis, & Hierosolymæ, & in tota Iudæa & Samaria, denique ad ultimas terras.

Inf. 2, 1. 2.

9 Hæc fatus, spectantibus eis, sursum sublatus est, eumque nubes subduxit eorum oculis.

Marc. 16, 19. Luc. 24, 51.

10 Ac dum eo abeunte illi in cœlum contuentur, ecce duo viri eis in vestibus albis astiterunt,

11 Qui ita dixerunt: Viri Galilæi, quid statis, in cœlum intuentes? Hic Iesus, qui istinc in cœlum receptus est, sic veniet, quo pacto vidistis eum in cœlum discedentem.

12 Tunc illi Hierosolymam redierunt, a monte qui Oliveti appellatur, qui Hierosolyma Sabbathi viam abest.

13 Ac

13 Ac postquam ingressi sunt, ascenderunt in cœnaculum, ubi solebant manere, Petrus & Jacobus, & Iohannes & Andreas, Philippus & Thomas, Bartholomæus, & Matthæus, Jacobus Alphæi filius, & Simon Zelota, & Iudas Iacobi frater.

14 Hi omnes vacabant una mente, precibus ac supplicationi, cum fœminis, & Maria Iesu matre, cumque Iesu fratribus.

15 Ac per eos dies surrexit Petrus in medio discipulorum, cum quidem esset ibidem capitum numerus ad centum viginti, & in hunc modum verba fecit:

16 Homines fratres, oportebat illud Scriptura mandatum fieri, quod Sanctus Spiritus ore Davidis prædixit de Iuda, eo, qui se ducem præbuit iis, qui Iesum comprehenderunt:

Ps. 41, 10. Joh. 13, 18. & 18, 3.

17 Qui Iudas in nostrum numerum ascitus hanc functionem sortitus erat.

18 Is qvidem injustitiæ mercede agrum comparavit, & suspensus crepuit medius, effusaqve sunt ejus omnia viscera.

Matth. 27, 5.

19 Id quod omnibus Hierosolymæ incolis notum factum est, ita ut appellatus sit ager ille vernacula eorum lingva, Haceldama, hoc est, ager sangvinis.

20 Scriptum est enim in Psalmorum libro: Fiat ejus habitatio deserta, nequé sit qui in ea habitet, ejusque munus excipiat alius.

Ps. 68, (69.) 26. Ps. 108, (109) 8.

21 Quapropter oportet unum eorum virorum (qui nobiscum toto eo tempore versati sunt, quo nobiscum consvetudinem habuit Dominus Jesus,

22 Usqve a Iohannis baptismo, ad eum diem quo nobis subductus est) ejus resurrectionis testem una nobiscum fieri.

23 Tum duos statuerunt, Iosephum nomine Barsabam, qui cognominatus est Iustus, & Matthiam.

24 Atque his verbis orarunt: Tu Domine, qui omnium mentes perspicis, ostende utrum horum destinaveris

25 Subeundæ hujus muneris, & legationis sorti, ex qva Iudas excidit, ut iret in suum locum.

26 Deinde eorum sortes jecerunt: designavitqve sors Matthiam, atqve is ad undecim Apostolos cooptatus est.

CAP. II.

Apostoli Spiritu Sancto repleti, diversis linguis loqvuntur. Ebrietatis notam Petrus tollit. Christum Messiamque esse docet. Auditoribus consternatis, pœnitentiam suadet.

VT autem perventum est ad diem qvinqvagesimæ, cum omnes simul essent eodem in loco,

2 Extitit repente de cœlo sonus, qvasi vehementis flatus ruentis, totamque domum replevit, ubi sedebant:

Sup. 1, 5. Inf. 11, 15. & 19, 6.

3 Eisque conspectæ sunt dividuæ qvædam qvasi ignis lingvæ, qui eorum unicuique insedit:

4 Re-

4 Repletiqve sunt omnes sancto Spiritu, & diversis loqui linguis cœperunt, prout eis spiritus fari dabat.

5 Erant autem Hierosolymæ habitantes Iudæi, homines religiosi, ex omnibus quæ usquam sub cœlo sunt gentibus.

6 Igitur ejus rei dissipata fama, vulgo convenire, & confusi esse, quod eos sua quisque vernacula lingua loquentes audiret.

7 Itaque attoniti omnes mirabantur, & inter sese dictitabant: Nonne omnes illi, qui loqvuntur, Galilæi sunt?

8 Ecquid est, quod nostrûm quisqvevernaculam sibi linguam nativamque audiat?

9 Parthi, Medi, Elamitæ, Mesopotamiæ incolæ, Iudææque & Cappadociæ, Ponti & Asiæ,

10 Phrygiæ & Pamphyliæ, & Ægypti, & eius Libyæ partis quæ est secundum Cyrenem, & Peregrinantes Romani,

11 Tum Iudæi, tum asciti, Cretensesque & Arabes, audimus eos rerum divinarum amplitudinem nostris linguis eloquentes.

12 Ita attoniti dubitabant omnes, & sic inter sese dictitabant: Quid hoc sibi vult?

13 Alii deridentes dicebant, eos vini esse plenos.

14 At Petrus astans, una cum undecim, ad eos orationem habuit in hæc verba: Homines Iudæi & Hierosolymæ incolæ omnes, hoc cognoscite, & mea dicta attendite.

15 Non sunt hi temulenti, ut vos opinamini (est enim hora diei tertia.)

16 Sed hoc est quod a Joele vate dictum est:

Ioel. 2, 28. Esa. 44, 3.

17 Atque ultimis temporibus (inquit Deus) perfundam meo Spiritu omne genus hominum, vaticinabunturque vestri filii & filiæ: vestri & juvenes visiones videbunt, & senes somnia somniabunt:

18 Quin & meos servos & ancillas illis temporibus meo spiritu perfundam, ita ut vaticinentur,

19 Daboque & supra in cœlo prodigia, & infra in terra ostenta: sanguinem, ignemque & fumi exhalationem.

20 Sol in tenebras vertetur, & luna in sanguinem, antequam veniat Domini dies ingens ac insignis.

21 Ac quicunque Domini nomen invocaverit, evadet.

Joel. 2, 32. Rom. 10, 13.

22 Israelitæ, audite hæc dicta: Iesum Nazarenum, virum vobis a Deo repræsentatum portentis, miraculis, prodigiis, quæ per eum Deus in medio vestrûm fecit, ut ipsi quoque scitis:

Infr. 10, 38.

23 Hunc vos definito Dei consilio & providentia traditum, scelestis manibus comprehendistis, & ad palum alligatum sustulistis:

24 Quem Deus lethi doloribus solutis, revocavit in vitam, quatenus fieri non poterat, ut

a morte teneretur. Infr. v. 32. & 3, 15. & 4, 10. & 10, 40. & 13, 30. 34. & 17, 31. Rom. 4, 24. & 8, 11. 1. Cor. 6, 14. & 15, 15. 2. Cor. 4, 14. Gal. 1, 1. Ephes. 1, 20. Colos. 2, 12. 1. Thess. 1, 10. Heb. 13, 20.

25 David enim dicit de eo: Propositum mihi Dominum semper habeo, qui mihi dexter adest, ita ut non labefiam. Ps. 16, 8.

26 Itaque non tantum animo lætor, & lingua exulto, verum etiam ipsum corpus meum confidenter degit:

27 Quoniam tu animam meam non relinques in orco, neque committes ut pius tuus corruptionem patiatur.

28 Ostendes mihi vitæ vias: me in tuo conspectu voluptate complebis.

29 Homines fratres, si licet apud vos libere de summo patre Davide loqui, is & obiit & sepultus est, ejusque monimentum apud nos ad hanc diem extat. 1. Reg. 2, 10. Infr. 13, 16.

30 Sed cum vates esset, & sciret Deum sibi jurejurando promisisse, sese ex ejus lumborum fœtu, quod ad carnem pertinet, suscitaturum esse Christum, & in ejus solio collocaturum, 2. Sam. 7, 12, 1. Chron. 22. 10. Ps. 132, 11. Infr. 13, 34.

31 Præscius Christi resurrectionis, dixit, eius nec animam in Orco relinquendam, nec corpus corruptionem esse passurum. Ps, 16, 10. Inf. 13, 35.

32 Hunc Iesum suscitavit Deus, cuius nos omnes sumus testes.

33 Is Dei dextera evectus, sanctique Spiritus promissum a patre consecutus effudit hoc, quod vos nũc cernitis, & auditis.

34 Non enim David ascendit in cœlos, sed ille ipse sic loquitur: Ait Dominus Domino meo, sede ad meam dexteram, Ps. 110, 1.

35 Donec tuos hostes effecero sabellum pedum tuorum.

36 Quare hoc certo cognoscat omnis Israelis posteritas, Dominum & Christum factum a Deo esse hunc ipsum Iesum, quem vos in crucem egistis.

37 His auditis, illi animo compuncti, Petrum & cæteros Apostolos sic alloquuntur: Quid agemus fratres?

38 Et Petrus: Redite ad frugem, inquit eis, & baptizetur unusquisque vestrũm in Iesu Christi nomine ad peccatorum veniam; & donum Sancti Spiritus assequemini.

39 Ad vos enim pertinet promissio, & ad vestros natos, & ad omnes remotiores, quoscunque advocaverit Dominus Deus noster.

40 His ille aliisque pluribus verbis eos commonuit, & ut ex eo perverso hominum genere evaderent, cohortatus est.

41 Atque illi eius sermone avide admisso, baptizati sunt, & accesserunt eo die hominum capita ad tria millia.

42 Vacabantque Apostolorum doctrinæ, communioni, panique frangendo, & supplicationibus.

43 Atque

43 Atque omnes homines metu perculsi sunt, multaque portentose & prodigiose per Apostolos fiebant.

44 Omnes autem credentes degebant una, habebantque omnia communia. Inf. 4, 32.

45 Et suas copias & facultates vendebant, omnibusque prout cuiq; opus erat, dispertiebant.

46 Ac quotidie simul assidui in templo, panemque mansionatim frangentes, cibum capiebant cum lætitia animique simplicitate laudantes Deum,

Infr. 20, 7.

47 Et apud cunctum populum valentes gratia. Dominus vero servandos quotidie addebat Ecclesiæ.

CAP. III.

Petrus cum Ioanne in templum ascendens, claudum sanat. Populo ad miraculum concurrenti salutis mysterium per Christum exponit, ingratitudinem eorum accusans, & pœnitentiam ab illis postulans.

ASCendebat autem Petrus & Ioannes aliquando simul in fanum, ad horam supplicationis, videlicet nonam.

2 Et quidam vir, qui ab alvo matris claudus erat, portabatur, qui quotidie ad fani portam, quæ Speciosa dicitur, ponebatur, ut ab iis stipem peteret, qui in fanum intrarent.

3 Is Petrum & Ioannem in fanum intraturos conspicatus, rogabat ut sibi benigne facerent.

4 At Petrus comitante Ioanne, illum intuitus dicit: Aspice nos.

5 Cumque ille in eos intentus sese aliquid ab eis accepturum speraret,

6 Petrus sic est locutus: Nec argentum mihi, nec aurum est: sed quod habeo, hoc tibi do: In nomine Iesu Christi Nazareni surge, & ambula.

7 Eumque dextera manu prehensum allevavit. Atque ille continuo confirmatis eius cruribus atque talis exiliens consistit,

8 Et ambulat, cumque eis in fanum intrat, incedens & saliens, Deumque laudans.

9 Eum ut vidit cunctus populus ingredientem, Deumque laudantem,

10 Et eum esse agnovit, qui ad Speciosam templi portam ob stipem sedere solitus esset, impleti sunt admiratione & stupore, de eo quod illi acciderat.

11 Itaque retinente Petrum & Ioannem sanato claudo, concurrit ad eos cunctus populus in porticum, quæ Solomonia vocatur, attoniti.

12 Quo viso, Petrus sic ad populum verba fecit: Israelitæ, quid hoc admiramini, aut quid in nos intuemini, quasi privatis viribus aut pietate effecerimus, ut hic incederet?

13 Deus Abrahami, & Isaaci, & Iacobi, Deus maiorum nostrûm, illustravit filium suum Iesum, quem vos prodidistis, & coram Pilato inficiati estis, cum ille judicasset absolvendum.

Infr. 5, 30.

14 At vos sancto & innocente repudiato, homicidam vobis condonari petiistis, Matt. 27, 20. Marc. 15, 11. Luc. 23, 18. Ioh. 18, 40.

15 Vitæ vero autorem occidistis : quem Deus excitavit ex mortuis, cuius nos testes sumus :

16 Cujusque nominis fiducia, cuius, inquam, nomine hic quem videtis & nostis, corroboratus est, & illius confidentia hanc in vestro omnium conspectu incolumitatem consecutus.

17 Et nunc fratres scio, vos per imprudentiam fecisse, ut etiam vestros Magistratus :

18 Sed Deus, quæ suorum tot vatum ore prænunciaverat passurum esse Christum, ea hoc modo perfecit.

Luc. 24,44.

19 Quamobrem ad sanitatem revertimini, & vos corrigite, ut deleantur vestra peccata :

20 Dum recreationis tempora veniant a Domino, cum prænunciatum vobis Iesum Christum mittet,

21 Quem oportet cœlo capi usque ad tempora instaurationis omnium, quæ tempora Deus tot suorum sanctorum ore vatum iam olim fatus est.

22 Moses enim maioribus ita dixit : Vatem nobis suscitabit Dominus Deus vester ex vestra consanguinitate, mei similem: ei obedietis ad omnia quæ vobis dixerit. Deut. 18, 15. Inf. 7, 37.

23 Ac quisquis hominum vati illi non obediverit, is ex populi numero tolletur.

24 Itemque tot vates, qui a Samuele deinceps fuerunt, qui hæc tempora prædixerunt ac denunciarunt.

25 Vos estis ex vatibus orti, & in eo fœdere comprehensi, quod fecit Deus cum maioribus nostris, dum dixit Abrahamo, per ejus semen fortunandas esse omnes terrarum nationes,

Gen. 12, 3. & 18, 18. & 22, 18. & 26, 4. Rom. 15, 8. Gal. 3, 8.

26 Vobis primum Deus suscitatum puerum suum misit, qui vos fortunet, si a suis quisque vitiis desciscatis.

Inf. 13, 46.

CAP. IV.

Petrus & Ioannes capti concilio sistuntur. Christi causam agunt intrepide. Discipuli preces ad DEUM fundunt. Multi possessiones suas vendunt, inter quos & Barnabas numeratur.

EIs ad populum verba facientibus, præsto fuerunt pontifices, & templi Antistites, ac Sadducæi,

2 Ægre ferentes, quod illi populum docerent, & per Iesum ex mortuis resurrectionem nunciarent.

3 Itaque eis manus injecerunt, & eos in custodiam ad posterum diem dederunt, quod erat jam vespera.

4 Multi autem eorum qui illam orationem audiverant, crediderunt: quorum fuit virorum numerus ad quinque millia.

5 Postridie convenerunt eorum magistratus, & Scribæ, Hierosolymam.

6 Et Annas Pontifex, & Cajaphas, & Ioannes, & Alexander, ac quotquot erant ex genere pontificio :

7 Atque illis in medio collocatis, sciscitati sunt, quanam potestate,

testate, aut quo nomine illud fecissent.

8 Tum Petrus Sancto Spiritu repletus, ad illos sic verba fecit: Magistratus populi, & Israelitarum Senatores,

9 Si nos de collocato in hominem infirmum beneficio interrogamur, quanam re is sanatus sit:

10 Hoc vobis & cuncto Israelitarum populo notum esto, hunc per nomen Iesu Christi Nazareni, quem vos crucifixistis, quem Deus excitavit ex mortuis, per hoc, inquam, hunc astare in vestro conspectu sanum. Sup. 2,24.

11 Is est lapis ille a vobis ædificantibus rejectus, qui adhibitus est ad caput anguli;

Ps. 117, (118.) 22. Es. 28,16. Matth. 21, 42. Marc. 12, 10. Luc. 20, 17. Rom. 9, 33. 1. Petr. 2, 7.

12 Nec est in ullo alio salus, nec ullum aliud nomen est sub cœlo apud homines datum, per quod servandi simus. Matth. 1,21.

13 Hic illi Petri Ioannisque confidentiam spectantes, & homines illiteratos ac imperitos esse, animadvertentes, mirabantur, & eos Iesu comites fuisse recognoscebant.

14 Hominem autem cernentes cum eis astantem eum qui curatus fuerat, nihil quod contradicerent, habebant.

15 Igitur illis ex concilio digredi jussis, hujusmodi verbis inter sese contulerunt:

16 Quid faciemus his hominibus? Nam conspicuum ab eis prodigium esse factum, omnibus Hierosolymæ incolis manifestius est, quam ut inficiari possimus.

17 Verum ne hoc latius dimanet in vulgus, minemur eis, ne amplius hoc nomine cuiquam mortalium verbum faciant.

18 Itaque illis evocatis edixerunt, ne omnino vocem mitterent, neve docerent nomine Iesu.

19 At Petrus & Ioannes sic eis responderunt: Utrum apud Deum æquum sit, vobis obtemperare potius quam Deo, dijudicate. Inf. 5, 29.

20 Nos enim quæ & vidimus & audivimus, ea non eloqui non possumus.

21 Illi vero interminati, dimiserunt eos, nullam eorum puniendi rationem invenientes, propter populum, quod omnes eam ob rem Deo gratias agebant.

22 Erat enim annos natus magis quadraginta is homo, cui illud sanationis prodigium contigerat.

23 Illi dimissi, ad suos se contulerunt: & quæ sibi pontifices & senatores dixissent, retulerunt.

24 Quibus auditis illi vocem universi ad Deum sustulerunt, & ita dixerunt: Domine, tu Deus es, qui cœlum & terram & mare, quæque in eis insunt, omnia fecisti.

25 Qui tui Davidis ore sic dixisti: Quid tumultuantur gentes? populi vana conantur?

Psal. 2, 1.

26 Conspirant orbis reges, coeuntq; optimates, contra Dominum, contraque eius unctum.

27 Coierunt enim profecto adversus sanctum tuum puerum Iesum, quem unxisti, Herodes & Pontius Pilatus, cum gentibus & populis Israeliticis,

28 Facturi quæcunque tu tua manu consilioque facienda destinasti.

29 Quamobrem Domine, aspice minas eorum: tuisque da cum omni libertate tuum sermonem eloqui,

30 Manum tuam extentendo ad sanationes, prodigia, & ostenta facienda, per nomen tui sancti filii Iesu.

31 Illis comprecatis, contremuit locus, in quo erant congregati: repletique sunt omnes Sancto Spiritu, divinumque sermonem libere eloquebantur.

32 Erat autem multitudinis eorum qui crediderunt una mens, unusque animus: neque quisquam suarum facultatum quicquam suum esse dicebat, sed erant eis omnia communia.

Sup. 2, 44.

33 Magnaque vi dabant Apostoli testimonium resurrectionis Domini Iesu, & erant omnes magna præditi gratia.

34 Nec enim quisquam in eis erat egenus. Nam quotquot prædia aut domos habebant, vendebant, & venditorum pretia afferebant,

35 Et ad pedes ponebant Apostolorum. Distribuebantur autem, prout cuique opus erat.

36 Ac Ioses is, qui Barnabas ab Apostolis, hoc est filius consolationis, cognominatus est, Levita, natu Cyprius,

37 Quem habebat fundum vendidit, pecuniamque attulit, & ad Apostolorum posuit pedes.

CAP. V.

Ananias ob fraudem interversi pretii, exanimis corruit, & Sapphira eius uxor. Per multa Apostolorum miracula fides propagatur. Carceri inclusos Apostolos angelus liberat, & coram concilio sacerdotum sistuntur, Gamalielis consilio servantur, cæsique DEUM celebrant.

QUidam vir autem, Ananias nomine, cum Sapphira conjuge sua, possessionem vendidit:

2 Et detracta pretii parte, uxore conscia, partem aliquam attulit, & ad pedes Apostolorum deposuit.

3 At Petrus: Anania, inquit, cur tuum animum implevit Satanas, ut Sancto Spiritui mentireris, & de prædii pretio detraheres?

4 Nonne tibi manebat, & venditum in tua potestate erat? Te ne istam rem in animum induxisse tuum? Non tu hominibus, sed Deo mentitus es.

5 His verbis auditis, Ananias corruit, & exanimatus est, quæ quicunque audiverunt, magno sunt timore perculsi.

6 Tum juvenes surrexerunt, & illum constrinxerunt, ac elatum sepeliverunt.

7 Deinde interjecto trium ferme horarum spatio, eius uxor ignara rei, ingressa est,

8 Et eam Petrus sic allocutus est: Dic mihi, an tanti prædium addixeritis? Etiam (inquit illa) tanti.

9 Cui

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt urn:nbn:de:gbv:3:1-648051-p0222-7 DFG

9 Cui Petrus: Vos ne, inquit, ad Domini spiritum tentandum conspirasse? Scito, eorum, qui virum tuum sepelierunt, pedes esse pro foribus, qui te efferant.

10 Atque illa protinus ad illius pedes corruit exanimis. Et adolescentes ingressi, mortuamque nacti, extulerunt, & apud eius virum sepelierunt.

11 Itaque metus ingens totam ecclesiam, & omnes hæc audientes pervasit.

12 Apostolorum autem opera multa vulgo monstrose prodigioseque fiebant (erant autem una omnes in Solomonis porticu,

13 Nec eis sese cæterorum quisquam audebat adjungere, sed eos magnifaciebat populus:

14 Accedebat autem magis magisque qui Domino crederent, ingens tum virorum, tum fœminarum multitudo,)

15 Adeo ut per vicos exportarent ægrotos, inque lectis & grabatis deponerent, ut venientis Petri vel umbra aliquem eorum inumbraret.

16 Conveniebant etiam vulgo ex finitimis urbibus Hierosolymam, adducentes ægrotos, & ab immundis spiritibus vexatos, qui curabantur omnes.

17 Itaque surrexit pontifex, & omnes eius gregales (quæ Sadducæorum secta est)

18 Et invidiæ pleni manus Apostolis injecerunt, eosque in custodiam publicam dederunt.

19 Sed Domini Angelus noctu carceris portas aperuit, & eductis eis dixit:

20 Ite, & in templo manentes, eloquimini populo hæc omnia verba vitalia.

21 Hoc audito, illi sub diluculum ingressi in templum, docent. Pontifex autem & eius gregales adfuerunt: & concilio omnique Israelitarum Senatu convocato, miserunt in carcerem qui eos adducerent.

22 At ministri, postquam eo venerunt, nec eos in custodia invenerunt, reversi sunt,

23 Et se carcerem quidem diligentissime clausum comperiisse renunciarunt, & custodes foris ante portas astantes: sed cum aperuissent, intus invenisse neminem.

24 His verbis auditis, summus sacerdos, & fani antistes, ac pontifices, de eis ambigebant quidnam id esset.

25 Interea advenit quidam, qui eis nunciavit, viros illos qvos in custodiam dedissent, esse in fano, & ibi plebem docere.

26 Tum eo profectus antistes cum ministris eos adduxit, non vi: metuebant enim, ne ipsi a plebe lapidarentur.

27 Ita adductos statuerunt in concilio, eosque pontifex hujusmodi ratione interrogavit:

28 Nonne vos vetuimus isto nomine docere? Atqui repleristis Hierosolymam doctrina vestra, & vultis in nos illius hominis sanguinem derivare.

Sup. 4, 18.

29 Tum Petrus & Apostoli sic responderunt: Parendum Deo magis est quam hominibus.

Supr. 4, 19.

30 Deus maiorum nostrorum Iesum suscitavit, quem vos in patibulo suspensum interfecistis.

Sup. 2, 24. & 3, 15.

31 Hunc Deus ductorem servatoremque sua dextra extulit, ad conciliandum Israelitis vitæ correctionem, peccatorumque veniam.

Luc. 24, 47. Heb. 2, 10.

32 Et nos sumus ei testes harum rerum, sanctusque Spiritus, quem Deus ei obedientibus impertivit.

Ioh. 15, 26. 27.

33 His illi auditis urebantur, & de eis interficiendis deliberabant.

34 Sed surrexit quidam in concilio Pharisæus, nomine Gamaliel, Legisperitus, qui apud omnem populum erat in honore. Is jussit Apostolos paulisper foras educi.

35 Deinde sic ad illos orationem habuit: Viri Israelitæ, dispicite de viris his, quid eis sitis facturi.

36 Nam superioribus diebus extitit Theudas, qui sese dicebat esse aliquem, cum quo homines ad numerum quadringentorum sese conjunxerunt. Et is occisus est, & quotquot ei parebant, deleti, & ad nihilum redacti.

37 Post hunc extitit Iudas Galilæus tempore professionis, multumque ad sese hominum traduxit. Sed & is periit, & omnes qui ei obtemperabant, profligati sunt.

38 Nunc quoque vobis suadeo, ut vobis ab his hominibus temperetis, eosque missos faciatis. Si enim ab hominibus est hoc consilium atque opus, abolebitur:

39 Sin a Deo est, id abolere non potestis, ne forte cum Deo pugnare comperiamini. Huic illi obtemperarunt:

40 Et accersitos Apostolos verberarunt, eisque, ne Iesu nomine loquerentur, interdixerunt, atque ita eos dimiserunt.

41 Illi vero ex concilio læti discedunt, quod digni habiti essent, qui propter eius nomen afficerentur ignominia.

Matth. 5, 10. 11. 12. Rom. 5, 3. Phil. 1, 29. Iac. 1, 2. 1. Pet. 4, 13.

42 Ac quotidie & in fano, & intra parietes docere, & Iesum Christum nunciare, non intermittunt.

CAP. VI.

Apostoli ministrandi officium delegant, septem delectis viris, inter quos Stephanus fide plenus captus, violatæ legis Mosis accusatur.

PEr eos dies crescente discipulorum numero, extitit Græcanicorum adversus Hebræos fremitus, quod eorum viduæ in quotidiano ministerio prætermitterentur.

2 Itaque duodecim convocata discipulorum multitudine sic verba fecerunt: Non placet, nos, omisso Dei sermone, ministrare mensis.

3 Quocirca fratres, dispicite homines ex vobis bene audientes septem, Sancto Spiritu sapientiaque plenos, quibus hoc negotium mandabimus:

4 Nos

4 Nos vero in precibus & ministerio sermonis erimus assidui.

5 Placuit hic sermo universæ multitudini: elegeruntque Stephanum, virum fidei Spiritusqve Sancti plenum, & Philippum, & Prochorum, & Nicanorem, & Timonem, & Parmenam, & Nicolaum adventitium Antiochenum,

Inf. 8, 4. 26. & 21, 8.

6 Quos in Apostolorum conspectu statuerunt, qui comprecati, manus eis imposuerunt.

7 Ita augebatur divinus sermo, crescebatque discipulorum numerus Hierosolymæ vehementer, ingensque sacerdotum multitudo fidei obediebat.

8 Stephanus vero fidei potentiæque plenus, miracula prodigiaque magna vulgo faciebat.

9 Cumque extitissent quidam ex ea Synagoga, quæ Libertinorum appellatur, & Cyrenensium, & Alexandrinorum, Cilicumqve & Asianorum, qui cum Stephano contenderent,

10 Non poterant sapientiæ & Spiritui, quo loquebatur, resistere.

11 Itaque allegarunt homines, qui se eum impie de Mose, deque Deo loqventem audivisse dicerent:

12 Commoveruntque populum & senatores, atque Scribas, & eum invaserunt, correptumque in concilium duxerunt,

13 Ac falsos testes immiserunt, qui ita dicerent: Hic homo non desinit impia contra sacrum hunc locum, contraque legem loqui.

14 Audivimus enim eum dicere, Iesum illum Nazarenum deleturum esse hunc locum, & traditos nobis a Mose ritus mutaturum.

15 Tum omnes qui in concilio sedebant, contuentes in eum, viderunt ejus faciem qualis est Angeli facies.

CAP. VII.

Stephanus caussam dicens ostendit electos a Deo fuisse patres, priusquam natus esset Moses, & staret templum. Externos vero omnes ritus ad cœleste exemplar formatos fuisse. Stridentes dentibus Iudæi, lapidibus eum obruunt.

ET Pontifex ita dixit: Siccine se res habet?

2 Tum ille hujusmodi orationem habuit: Fratres, & Patres audite. Deus gloriosus apparuit patri nostro Abrahamo: cum esset in Mesopotamia, antequam Charræ habitasset,

3 Eique jussit ut ex sua patria ac cognatione migraret, in terramqve veniret, quam ipse ei ostensurus esset. Gen. 12, 1.

4 Tum ille ex Chaldæorum terra profectus, Charræ habitavit, & illinc eum, mortuo ejus patre, Deus in hanc terram transtulit, qvam vos nunc incolitis:

5 In qua nullam ei possessionem tradidit, ne vestigium quidem pedis: & tamen promisit, eam sese ei possidendam daturum, ejusque post eum soboli, cum liberos non haberet.

6 Locutus est autem Deus ad hunc modum: fore ejus posteros in aliena terra peregrinos & servi-

ſerviture preſſum atque afflictum iri annos quadringentos,
Gen. 15, 13. & 16.

7 Sed illam gentem, cui ſervient, puniam ego, inqvit Deus: exibuntqve poſtea, & me hoc ipſo in loco adorabunt.

8 Iniit autem cum eo fœdus circumciſionis. Is genuit Iſaacum, eumque octavo die circumcidit. Iſaacus Iacobum, Iacobus duodecim ſummos patres. Gen. 17, 9. & 21, 2. & 25, 24. & 29, 32. & 30, 5. & 35, 23.

9 Summi patres invidia adducti, Ioſephum in Ægyptum ducendum vendiderunt,
Gen. 37, 28.

10 Atque ei Deus adfuit, eumque ex omnibus auguſtiis eripuit, & ei tantam apud Pharaonem Ægypti regem gratiam ac ſapientiam conciliavit, ut ille ei Ægypti totiusque domus ſuæ adminiſtrationem mandaret.
Gen. 41, 37.

11 Deinde tanta per univerſam Ægyptum & Chananæam orta fame ac anguſtia, ut alimenta non invenirent majores noſtri,

12 Iacobus audiens eſſe in Ægypto frumenta, majores noſtros eo primum miſit: Gen. 42, 1.

13 Eſtque Ioſephus altero itinere fratribus ſuis agnitus, ejusque genus Pharaoni declaratum. Gen 45, 3.

14 Tum Joſephus patrem ſuum Iacobum, & totam cognationem, ad capita ſeptuaginta quinque, curavit accerſendam.
Gen. 46, 27. Deut. 10, 22.

15 Ita deſcendit Iacobus in Ægyptum, ubi cum obiiſſet ipſe & majores noſtri,
Gen. 46, 5. & 49, 32.

16 Sichemam translati ſunt, & in ſepulchreto ſiti, quod Abrahamus argenti precio a filiis Emoris Sichemis filii emerat.
Gen. 47, 30. & 50, 13. Gen. 23, 16. & 33, 19. Joſ. 24, 32.

17 Interea inſtante promiſſi tempore, de quo Deus Abrahamo juraverat, creſcebat populus in Ægypto multiplici numero:
Exod. 1, 7 8.

18 Donec extitit rex alius, qui Ioſephum non noverat:

19 Is genus fruſtrando noſtrum, majores noſtros eo uſqve afflixit, ut eorum infantes exponendos curaret, ne propagarentur.

20 Quo quidem tempore natus Moſes Deo fuit acceptus:
Exod. 2, 2. Hebr. 11, 23.

21 Quem domi paternæ tres menſes enutritum, deinde expoſitum, Pharaonis filia ſuſtulit, & pro filio educavit. Exod. 2, 7.

22 Inſtitutus eſt autem Moſes in omni Ægyptiorum doctrina, fuitque factis dictisque potens.

23 Ut autem quadrageſimum agebat ætatis annum, venit ei in mentem conſangvineos ſuos Iſraelitas viſere:

24 Cumque vidiſſet quendam injuria affici, eum defendit, & ejus injuriam cæſo Ægyptio ultus eſt. Exod. 2, 11.

25 Arbitrabatur autem, conſangvineos ſuos intelligere, Deum per ipſum ſalutem dare: id quod illi non intellexerunt.

26 Po-

26 Postero die certantibus supervenit, & pacem inter eos conciliare conatus est hujusmodi verbis: Viri, fratres estis vos, cur alter alterum læditis?

Exod. 2, 13.

27 Sed qui alteri faciebat injuriam, eum repulit, ita dicens: Quis te nobis principem & judicem constituit?

28 Num me vis interficere, quomodo heri Ægyptium interfecisti?

29 De eo dicto Moses aufugit, & in Madianitide peregrinatus est, ubi duos filios genuit.

30 Ac peractis annis quadraginta, apparuit ei in solitudine montis Sinæ angelus Domini in ignea flamma rubi.

Exod. 3, 2.

31 Quod visum videns, admiratus est Moses. Ac eo ad visendum accedente, extitit hæc ad eum Domini vox:

32 Ego sum majorum tuorum Deus, Abrahami Deus, & Isaaci Deus, & Iacobi Deus. Hic tremefactus Moses, non audebat intueri: & Dominus dixit ei:

33 Detrahe tibi calceos de pedibus: nam locus in quo tu stas, sacra terra est.

34 Vidi mei populi miseriam, qui est in Ægypto, eorumque gemitum audivi: itaqve ad eos liberandos descendi. Proinde nunc ades, ut te mittam in Ægyptum.

35 Hunc Mosem, quem illi repudiaverant, quærentes, quis eum principem & judicem constituisset, hunc ipsum DEUS principem, & liberatorem misit, ductu angeli, qui ei in rubo apparuerat.

36 Hic eos eduxit, miraque & portentosa fecit tum in Ægypto & mari rubro, tum in solitudine, annos quadraginta.

Exod. 7, & 8, & 9, & 10, & 11, & 14, & 16, 1.

37 Hic est ille Moses, qui dixit Israelitis: Vatem vobis suscitabit Dominus Deus vester ex consangvinitate vestra, mei similem, eum audietis.

Sup. 3, 22. Deut. 18, 15. 18.

38 Hic ille est, qui in multitudine fuit in solitudine cum Angelo, qui cum eo locutus est in monte Sina, cumque majoribus nostris: qui vitalem sermonem nobis tradendum accepit.

Exod. 19, 3. 20.

39 Cui dicto audire noluere majores nostri, sed eo repulso, animis sese in Ægyptum converterunt,

40 Et ab Aharone petiverunt, ut sibi faceret Deos qui se antecederent: Nam Mosi illi, a quo essent ex Ægypto educti, sese nescire quid accidisset.

Exod. 32, 1.

41 Itaque vitulum eo tempore fecerunt, & sacrificium simulachro peregerunt: ac suarum manuum operibus delectati sunt.

42 Ideoque aversus Deus, eos ad cultum copiarum cœlestium prolabi sivit, qvemadmodum in vatum libro scriptum est: Nunqvid mihi victimas, & sacrificia obtulistis, per annos qvadraginta in solitudine Domus Israelis?

Jer. 19, 13. Amos 5, 25.

43 An

43 An non adhibuistis Molochi tabernaculum, Remphanisque Dei vestri sidus, quæ vos simulachra fecistis ad adorandum? Itaqve vos ego transferam ultra Babylonem.

44 Oraculi tabernaculum habuere majores nostri in solitudine, sicuti statuerat is qui Mosi jussit, ut id faceret ad exemplum, quod vidisset:

Exod. 25, 40. Hebr. 8, 5.

45 Quod acceptum majores nostri una cum Iosua introduxerunt tum, cum fines occuparunt earum gentium, quas Deus eorum causa exterminavit: donec ad Davidis tempora ventum est.

Ios. 3, 14. 2. Sam. 6, 17.

46 Qui usus Deo secundo, voluit domicilium invenire Deo Iacobæorum.

1. Sam. 16, 12. 13. 2. Sam. 7, 1. &c. Ps. 132, 3. 5. 1. Par. 17, 12.

47 Solomo autem ei ædem ædificavit.

1. Reg. 6, 1. & 8, 27. Inf. 17, 24.

48 Sed non in templis manufactis habitat Supremus, quemadmodum dicit vates:

49 Cœlum mihi sedes est, & terra pedum meorum subsellium: quam mihi vos domum ædificabitis? inquit Dominus: aut quis locus meæ requietis erit? Es. 66, 1.

50 Quasi vero non mea manus fecerit ista omnia.

51 Duri cervice, & animo, & auribus incircumcisi; vos semper Spiritui Sancto contravenitis, itidem ut majores vestri.

Ier. 6, 10. & 9, 25. 26. Ezech. 44, 5. 9.

52 Quem vatum non insectati sunt vestri majores? an non eos necarunt, qui Iusti adventum prænunciarunt? cujus vos modo proditores fuistis, & interfectores:

53 Qui, quam Angelorum administratione legem accepistis, non servastis.

Exod. 19, 5. seqq. Gal. 3, 19. Heb. 2, 2.

54 Hæc audientes illi, animis urebantur, & dentibus frendebant in eum.

55 Ipse autem Sancto Spiritu plenus in cœlum intuitus, & Dei splendorem, Iesumque Deo ad dexteram astantem conspicatus,

56 Dixit: En video cœlos apertos, & homine natum Deo astantem ad dexteram.

57 At illi sublato ingenti clamore, aures suas obturare, & universi facto in eum impetu,

58 Ejectum ex urbe lapidare. Et testes, depositis ad pedes adolescentis, nomine Sauli, vestimentis, Infr. 22, 20.

59 Stephanum lapidare, invocantem & dicentem: Domine Iesu, accipe spiritum meum.

Matth. 5, 44. Luc. 6, 28.

60 Deinde positis genibus, ingenti voce exclamavit: Domine, noli in eos hoc vindicare peccatum; hoc locutus, obdormivit. Luc. 23, 34.

CAP. VIII.

Dum Stephanum lugent pii, Saulus ecclesiam vastat. Philippus Samariæ Christum prædicat. Simonis magi avaritia notatur. Philippus, eunuchum Æthiopem baptizat.

Sau-

SAulus autem in ejus necem consentiebat. Ortaque est eo die tanta adversus Hierosolymitanam Ecclesiam persecutio, ut omnes in Iudææ Samariæque fines (exceptis Apostolis) dilapsi sint. Inf. 22, 20.

2 Stephano autem parentarunt homines religiosi, & eum magno plangore prosecuti sunt.

3 Saulus vero devastabat Ecclesiam, & in domos intrans, ac tum viros tum fœminas trahens, dabat in custodiam.

Inf. 22, 4. & 26, 10. 11.

4 Et illi quidem dispersi ultro citroque doctrinam publicabant.

5 Philippus vero in urbem quandam Samariæ degressus Christum Samaritanis prædicabat:

6 Vulgoque universi dicta Philippi attendebant, cum quæ prodigia faceret, audirent ac viderent.

7 Ex multis enim spiritus impuri, quos habebant, exibant cum ingenti vocis clamore: multique membris capti, & claudi curati sunt,

8 Magna cum illius urbis lætitia.

9 Erat prius in ea urbe homo quidam nomine Simon, qui Magicam exercebat, & Samariæ gentem reddebat attonitam, se quendam magnum esse dicens:

10 A quo infimi summique pendebant, dicentes, eum esse Dei magnam potentiam:

11 Et ideo pendebant, quod eos aliquandiu præstigiis obstupefecerat.

12 Cum autem Philippo de divino regno, & Iesu Christi nomine docenti credidissent, ac tum viri tum fœminæ baptizarentur,

13 Ipse quoque Simon credidit, ac baptizatus est, & deinceps assiduus erat cum Philippo & quæ prodigia ac ostenta fierent spectans, obstupebat.

14 Audientes autem qui Hierosolymis erant Apostoli, admissam esse a Samaria divinam doctrinam, miserunt ad eos Petrum & Ioannem,

15 Qui eo digressi, pro eis orarunt, ut Sanctum Spiritum obtinerent.

16 Nullum enim adhuc eorum invaserat: tantum in Christi Iesu nomen erant baptizati.

17 Itaque illi eis manus imposuerunt, atque ii Sanctum Spiritum adepti sunt.

18 Id animadvertens Simon, manuum Apostolorum impositione Spiritum Sanctum dari, obtulit eis pecuniam,

19 Dicens: Date mihi quoque potestatem istam, ut cuicunque manus imposuero, Spiritum Sanctum obtineat.

20 At Petrus: Pereas (inquit) una cum tuo argento, qui divinum munus pecuniis comparandum existimes.

21 Non es hujus doctrinæ particeps, neque consors: nam tua mens in Dei conspectu recta non est.

22 Quamobrem descisce ab ista tua pravitate, Deumque comprecare, si forte tibi ista mala mens ignoscatur.

23 Nam ingenio contumaci te amaro felle præditum & injustitia constrictum esse video.

24 Et Simon: Orate vos, inquit, pro me Dominum, ut mihi nihil eveniat eorum quæ dixistis.

25 Igitur illi Domini doctrinam testificati, ac elocuti, Hierosolymam redierunt, multosqve Samaritanorum vicos Evangelio instruxerunt.

26 Philippum autem alloqvens Dei Angelus, mandavit ut surgeret, & meridie per viam proficisceretur, qua Hierosolyma Gazam descenditur, quæ via erat infreqvens.

27 Itaque ille surrexit, ac profectus est. Tum homo quidam Æthiops eunuchus, Candacæ Æthiopum reginæ præfectus, omni ejus gazæ præpositus, qui Hierosolymam venerat adorandi Dei gratia,

28 Revertebatur & in suo curru sedens Esaiam vatem legebat.

29 Præcepit autem Philippo Spiritus, ut accederet, seqve ad eum currum adjungeret.

30 Itaqve Philippus accurrit, & eum legere vatem Esaiam audivit, ac dixit: Intelligisne quæ legis?

31 Et ille: Qvi vero possim, inqvit, nisi qvis mihi præeat? Philippumque rogavit ut ascenderet, ac secum sederet.

32 Erat autem hæc scripti, quod legebat, complexio: Ut ovis ad cædem actus est, utque agnus ante suum tonsorem obmutescens, sic ille ne mutivit quidem. Es. 53, 7.

33 In ejus humilitate judicium ejus sublatum est, atqve ejus genus qvis eloqvatur? cum sublata sit ex terra vita ejus.

34 Et eunuchus Philippum alloqvens: Qvæso te, inqvit, de qvonam dicit hoc vates? de seipso-ne, an de qvopiam alio?

35 Tum Philippus fari institit, & ab eo scripto exorsus, eum de Iesu docuit.

36 Cumque iter faciendo ad qvandam venissent aqvam, eunuchus dixit: Ecce aqva; qvid me lavari prohibet?

37 Et Philippus: Si toto animo credis, inqvit, licet. Credo (inqvit ille) Dei Filium esse Iesum Christum:

38 Iussitqve sisti currum, & ambo in aqvam Philippus & eunuchus descenderunt, eumqve baptizavit Philippus.

39 Deinde ubi ex aqva egressi sunt, rapuit Philippum Spiritus Domini, nec eum vidit amplius eunuchus, sed suum iter lætus perrexit.

40 Philippus vero Azoti repertus est, & urbes omnes obiens Evangelio instituebat, donec venit ad Cæsaream.

CAP. IX.

Saulus Damascum petens a Domino prosternitur. Ananias mittitur, ut eum baptizet. Iudæorum insidias, per murum demissus, evadit. Petrus Aeneæ paralytico medetur. Tabitham defunctam vitæ restituit.

AT Saulus minas adhuc, cædemqve spirans in Domini discipulos, aggressus est pontificem, Inf. 26, 10. Gal. 1, 13. 1. Tim 1, 13.

2 Et

2 Et petiit ab eo epistolas Damascum ferendas, ad Synagogas: ut si qvos ejus instituti inveniret sive viros, sive fœminas, vinctos perduceret Hierosolymam.

3 Sed inter eundum, eum Damasco propinquantem circumfulsit de cœlo lux,

Inf. 22, 6. & 26, 12. 1. Cor. 15, 8. 2. Cor. 12, 2.

4 Ad terramqve collapsus vocem audivit sibi dicentem: Saule, Saule, qvid me perseqveris?

5 Et ille: Qvis es? Domine. Ego sum Iesus (inquit Dominus) qvem tu perseqveris. Durum est tibi contra stimulos calcitrare.

6 Hic ille tremens ac stupefactus, Domine, qvid me vis facere? inqvit. Cui Dominus: Surge & in urbem ingredere, & tibi dicetur qvid tibi faciendum sit.

7 Homines autem ejus comites itineris, astabant attoniti, vocem audientes illi qvidem, sed neminem videntes.

Inf. 22, 9. & 26, 23.

8 Saulus vero a terra surrexit, & apertis oculis neminem videbat. Eum illi manibus ducentes, Damascum introduxerunt:

9 Ac per tres dies non vidit, neqve comedit aut bibit.

10 Erat Damasci discipulus qvidam nomine Ananias, qvem Dominus per visum sic allocutus est: Anania. Et ille: Qvid est? inqvit, Domine.

11 Cui Dominus: Surge, inqvit, & in vicum proficiscere, qvi Rectus appellatur, & qvære in ædibus Iudæ Saulum nomine Tarsensem. Is enim supplicat,

12 Et per visum vidit virum nomine Ananiam ingressum, & sibi manus imponentem, ut cernat.

13 At Ananias: Domine, inqvit, audivi ex multis de eo viro, qvantum malorum tuis sanctis Hierosolymæ fecerit:

14 Qvinetiam hic potestatem habet a Pontificibus, vinciendi omnes tuum nomen invocantes.

15 Cui Dominus: Vade, inqvit: nam is mihi selectum est instrumentum, ad profitendum meum nomen tum apud cæteras gentes atqve reges, tum apud Israelitas.

16 Nam ei ostendam ego, qvanta sint ei patienda propter meum nomen.

17 Tum Ananias abiit, & domum ingressus, ac impositis illi manibus, dixit: Saule frater, Dominus me misit, is qui tibi in via venienti apparuit, ut videas, sanctoqve Spiritu repleare.

18 Ac protinus delapsis ex ejus oculis qvibusdam qvasi sqvamis, dispexit, surrexitqve, & baptizatus est:

19 Ac cibo capto convaluit. Fuit autem Saulus cum Damascenis discipulis dies aliqvot,

20 Ac statim in Synagogis Christum prædicabat, eum esse Dei Filium:

21 Stupentibus qvotqvot audiebant, & ita dictitantibus: Nonne hic est, qvi Hierosolymæ depopulabatur invocantes hoc nomen? atqve huc eo venit, ut con-

constrictos perduceret ad Pontifices?

22 At Saulus magis invalescebat, eum Christum esse confirmans.

23 Deinde compluribus transactis diebus, decreverunt eum occidere Iudæi,

24 Quorum insidiis Saulo cognitis, cum illi portas dies ac noctes ejus necandi gratia observarent, 2. Cor. 11, 32.

25 Discipuli eum noctu ceperunt, & laxata per murum sporta demiserunt.

26 Saulus ut Hierosolymam pervenit, conabatur sese ad discipulos aggregare. Sed eum reformidabant omnes, discipulum esse non credentes.

27 Verum Barnabas eum prehendit, & ad Apostolos duxit, eisque ut in via Dominum vidisset exposuit, utque eum Dominus allocutus fuisset, & ut Saulus Damasci in Iesu nomine libere locutus esset.

28 Ita Saulus cum eis Hierosolymæ obversari,

29 Et in Domini Iesu nomine libere loqui, ac cum Græcanicis colloqui atque contendere. At illi eum interimere conabantur.

30 Quo cognito, fratres eum ad Cæsaream deduxerunt, Tarsumque dimiserunt.

31 Igitur Ecclesiæ per totam Iudæam & Galilæam & Samariam quiete agebant, & instruebantur, & in religione, ac Sancti Spiritus confirmatione proficientes augebantur.

32 Accidit autem ut Petrus omnia peragrans, descenderet etiam ad sanctos, qui Lyddam incolebant.

33 Ibi quendam nactus hominem Æneam nomine, octo jam annos jacentem in grabato, membris captum,

34 Sic ei dixit: Ænea, sanet te Iesus Christus: surge, & ipse tibi substerne. Atque ille confestim surrexit:

35 Eumque viderunt omnes Lyddæ & Assaronis incolæ, iiqve se ad Dominum converterunt.

36 Ioppæ autem quædam erat discipula, nomine Tabitha, quod si interpretere, sonat Damam. Ea recte & benigne factorum plena erat, quibus tenuium egestatem sublevabat.

37 Accidit autem per eos dies, ut ægrotaret ac moreretur. Eam ablutam in cœnaculo posuerunt.

38 Et quod Ioppæ vicina Lydda erat, discipuli Petrum Ioppæ esse audientes, miserunt ad eum oratum, ut ad se venire non gravaretur.

39 Itaque Petrus cum nunciis profectus ivit. Eum illi postquam advenit in cœnaculum subduxerunt, eique viduæ omnes astiterunt, plorantes, & tunicas ac vestimenta ostentantes, quæ facere solebat, cum apud eas esset Dama.

40 Tum Petrus, omnibus foras ejectis, positis genibus supplicavit, deinde conversus ad corpus ait: Tabitha, surge. Atque illa oculos aperuit, visoque Petro resedit.

41 Et ille eam porrecta manu alle-

allevavit: & vocatis sanctis ac viduis viventem exhibuit.

42 Hoc per totam Ioppen innotuit, multique in Dominum crediderunt.

43 Mansit autem dies aliquam multos Ioppæ, apud quendam Simonem coriarium.

CAP. X.

Cornelius Centurio angeli jussu Petrum accersit. Qui & ipse visione oblata, ne gentes aspernetur, instituitur. Cornelio & familiæ Evangelium annunciat, hi autem Spiritu Sancto accepto, baptizantur.

ERat autem quidam Cæsareæ, nomine Cornelius, centurio, ex ea cohorte quæ dicitur Italica,

2 Vir religiosus, Deique tum ipse, tum tota ejus familia, metuens, & multa vulgo benigne faciens, ac Deum continenter orans.

3 Is per visum manifeste vidit, hora diei ferme nona, divinum Angelum ad se ingressum & ita dicentem: Corneli.

4 Et ille eum intuitus, & metu correptus: Quid est, Domine? inquit. Cui ille: Tuæ preces ac benigna facta ad Deum ascenderunt, eique in memoria insederunt.

5 Itaque mitte Ioppen homines, & accerse Simonem, nomine Petrum.

6 (Is diversatur apud quendam Simonem coriarium, cui domus est apud mare) qui tibi dicet quid te facere oporteat.

7 Deinde ubi collocutus cum Cornelio Angelus discessit, ille evocatis suorum famulorum duobus, & milite quodam religioso, eorum qui apud eum erāt assidui,

8 Narravit eis omnia, eosque Ioppen dimisit.

9 Postero die, illis iter facientibus, & urbi propinquantibus, ascendit Petrus in tectum supplicandi causa, hora circiter sexta.

10 Esuriebat autem, & cibum capere volebat, atque illis parantibus, extra se raptus,

11 Videt apertum cœlum, & descendens ad se utensile quoddam, quasi magnum linteum, quatuor capitibus ligatum, ad terram demitti,

12 In quo inerant omne genus, quadrupedes terrestres, feræque, & serpentes, & aereæ volucres,

13 Extititque vox ad eum: Age, Petre, macta, & vescere.

14 At Petrus: Minime, Domine: Nihil enim unquam impurum aut immundum comedi.

15 At vox iterum ad eum: Quæ Deus purgavit, tu ne pollue.

16 Atque idem ter factum est, rursumque subductum est in cœlum illud utensile.

17 Cumque secum ipse dubitaret Petrus, quidnam sibi vellet illud visum quod viderat: ecce homines illi a Cornelio missi Simonis domum sciscitati, aderant pro vestibulo,

18 Et clamantes percontabantur, num Simon nomine Petrus ibi diversaretur.

19 Ac Petro de viso illo cogitanti, dixit Spiritus: En homines te quærunt.

20 Tu vero age, descende, ac cum eis citra omnem cunctatio-

nem proficiscere : nam ego eos misi. Infr. 15, 7.

21 Ita Petrus ad homines a Cornelio ad se missos degressus, dixit : Is ego sum quem vos quæritis : Quæ causa est ob quam adestis ?

22 Et illi : Cornelius, inquiunt, Centurio, vir justus, & Dei metuens, & ab universa Iudæorum natione bene audiens, oraculo monitus est a sancto Angelo ut te domum suam accerseret, & loquentem audiret.

23 Igitur ille eos intro vocatos, accepit hospitio. Deinde postridie Petrus cum eis profectus est comitantibus quibusdam Ioppensibus fratribus.

24 Postero die Cæsaream ingressi sunt. Cornelius vero eos præstolabatur, convocatis suis cognatis, ac necessariis amicis.

25 Atque ut ingressus est Petrus, ei occurrit Cornelius, & ad pedes lapsus, veneratus est.

26 At Petrus eum allevavit : Surge (inquit) ego quoque homo sum.

27 Ac cum eo colloquens ingressus est, multosque congregatos nactus, sic ad eos verba fecit :

28 Vos scitis, ut nefas sit homini Iudæo hærere aut congredi alienigenæ : Sed mihi Deus ostendit, neminem profanum impurumve dicendum hominem: Ioh. 4, 9.

29 Itaque accersitus nihil dubitavi venire. Quæro igitur, quam ob causam vos me accersiveritis.

30 Tum Cornelius : Nudius quartus, inquit, ad hanc horam jejunus eram, & hora nona domi meæ supplicabam : cum ecce vir quidam stetit in meo conspectu, veste splendida,

31 Et ait : Corneli, exaudita est tua supplicatio, tuaque benigne facta Deo in memoria habentur.

32 Mitte ergo Ioppen accersitum Simonem, cui cognomen est Petrus : (Is diversatur in ædibus Simonis coriarii, apud mare) qui ubi advenerit, tecum loquetur.

33 Ego continuo ad te misi : & tu recte fecisti, qui veneris. Nunc nos omnes in Dei conspectu adsumus, ad audienda omnia tibi a Deo mandata.

34 Tum Petrus in hunc modum orationem habuit : Reipsa comperio, non habere personarum rationem Deum :

Deut. 10, 17. 2. Par. 19, 7. Iob. 34, 19. Sap. 6, 8. Eccl. 35, 16. Rom. 2, 11. Gal. 2, 6. Eph. 6, 9. Col. 3, 25. 1. Petr. 1, 17.

35 Quin apud omnes nationes, qui eum metuit & justitiam exercet, is ei acceptus est.

36 Quem sermonem misit Israelitis, pacem per Iesum Christum nuncians, is est omnium Dominus.

37 Vos scitis quæ res acciderit per totam Iudæam, ducto a Galilæa initio, post prædicatum a Ioanne baptismum : Luc. 4, 14.

38 Iesum dico a Nazaretha, ut eum Deus Sacro Spiritu ac potestate unxerit : qui ultro citroque comme-

commeans benefaciebat, & omnes a diabolo oppressos sanabat, quippe cui Deus adesset.
Luc. 4, 28.

39 Et nos testes sumus omnium, quæ cum in reliquo Iudæorum agro, tum Hierosolymæ fecit:

40 Quem illi in patibulo suspensum interfecerunt. Hunc Deus tertio die suscitavit, & ut manifestus fieret effecit,
Sup. 2, 24.

41 Non omni vulgo, sed nobis designatis divinitus testibus, qui quidem cum eo comedimus, & bibimus, postquam a mortuis surrexit. Infr. 13, 31.

42 Isque nobis mandavit, ut vulgo prædicemus, ac testificemur, eum vivorum esse, mortuorumque judicem a Deo destinatum. Infr. 17, 31. Rom. 14, 10. 2. Cor. 5, 10.

43 Huic vates omnes testimonium dant, eum esse, per cujus nomen peccatorum veniam consequantur, quicunque in eum credant. Infr. 15, 9. Ier. 31, 34. Mich. 7, 18

44 Adhuc hæc verba loquente Petro, invasit Sanctus Spiritus omnes eam orationem audientes:
Supr. 1, 3.
Infr. 19, 6.

45 Suntque attoniti ii, qui erant a circumcisione, fidentes, quicunque cum Petro venerant, quod etiam extranei sancti Spiritus munere perfusi essent.

46 Audiebant enim eos linguis loquentes, Deumque celebrantes.

47 Tum Petrus: Nunquis aquam, inquit, prohibere potest, quo minus baptizentur hi, qui, ut & nos, sanctum Spiritum adepti sunt?

48 Eosque in Domini nomine jussit baptizari. Tunc illi eum exorarunt, ut ibi dies aliquot maneret.

CAP. XI.

Petrus eo nomine accusatus, sese defendit. Barnabas Antiochiam mittitur, ubi discipuli Christiani nominati sunt. Ibidem Agabus famem futuram prænunciat.

AUdiverunt autem Apostoli & fratres qui erant in Iudæa, etiam exteros divinam accepisse doctrinam.

2 Ac postquam ascendit Petrus Hierosolymam, contendebant cum eo, qui erant a circumcisione,

3 Quod ad homines præputio præditos ingressus, ac cum eis epulatus esset.

4 At Petrus sic eis negotium ordine exponere orsus est:

5 Ego in oppido Ioppa supplicans, visus sum mihi videre (extra me raptus) descendens utensile quoddam, quasi linteum magnum, quod quatuor capitibus de cœlo demissum ad me usque venit.
Sup. 10, 9.

6 Id dum attentus contemplor, vidi quadrupedes terrestres, & feras, & serpentes, & aereas volucres,

7 Audivique vocem dicentem mihi: Age Petre, macta & vescere.

8 Et ego: Nequaquam, Domine,

mine, inquam: nihil enim unquam immundum, aut impurum per os meum intravit.

9 At illa vox iterum mihi de cœlo dixit: Quæ Deus purgavit, tu ne pollue.

10 Idque ter factum est, atque ita rursus omnia in cœlum detracta sunt.

11 Et ecce extemplo præsto fuerunt apud eam, in qua eram, domum, tres homines ad me Cæsarea missi:

12 Cum quibus, ut sine omni dubitatione abirem, jussit mihi Spiritus. Iverunt autem una mecum sex fratres hi:

13 Ac nobis hominis domum ingressis, narravit ille ut Angelum domi suæ vidisset astantem, & sibi præcipientem, ut mitteret Ioppen homines, qui Simonem accerserent cognomine Petrum,

14 Qui ei dicturus esset ea, per quæ & ipse, & eius omnis familia servaretur.

15 Postquam autem ego loqui cœpi, invasit eos Sanctus Spiritus, ut & nos principio.

Sup. 2, 4.

16 Tum ego recordatus sum illud Domini dictum, quod dixerat, Ioannem quidem baptizasse aqua, sed nos Spiritu Sancto baptizatum iri. Sup. 1, 5.

Infr. 19, 4. Matth. 3, 11. Marc. 1, 8. Luc. 3, 16. Ioh. 1, 26.

17 Quod si eodem illos munere donaverat Deus, quo etiam nos, dum Domino Iesu Christo fidem adjunximus: ego quis eram, ut Deum prohibere possem?

18 Hisilli auditis acquieverunt, Deoque gratias egerunt, qui etiam externis aditum ad vitam per morum correctionem dedisset.

19 Cæterum qui propter afflictionem ob Stephanum ortam dispersi fuerant, pervenerunt usque in Phœnicem & Cyprum, & Antiochiam, nemini doctrinam exponentes, nisi solis Iudæis.

Supr. 8, 1.

20 Erant autem quidam ex eis homines Cyprii, & Cyrenenses, qui Antiochiam ingressi, loquebantur cum Græcis, Dominum Iesum nunciantes:

21 Quibus Dominus ita secundus erat, ut frequens hominum numerus crederet, seque ad Dominum converteret.

22 Quod postquam de eis auditione accepit Ecclesia Hierosolymitana, Barnabam misit, qui Antiochiam se conferret.

23 Is postquam eo pervenit, visa Dei gratia lætatus, omnes ut cum animi destinatione Domino hærerent, cohortatus est:

24 Utpote vir bonus, sanctique Spiritus & fidei plenus. Itaque Domino accessit aliquanta multitudo.

25 Profectus est autem Tarsum Barnabas, Sauli requirendi gratia:

26 Quem nactus duxit Antiochiam, ac totum annum cum Ecclesia versati sunt, & aliquantam hominum multitudinem docuerunt, ac primum Antiochiæ discipuli nuncupati sunt Christiani.

27 Ea tempestate descende-

runt

runt Hierosolymis vates Antiochiam,

28 Quorum unus extitit Agabus nomine, qui divinitus afflatus gravem fore toto orbe famem significavit, quæ quidem accidit sub Claudio Cæsare.

29 Discipuli autem, prout eorum cuique suppetebat, decreverunt opitulandi gratia mittere habitantibus in Iudæa fratribus:

Rom. 12, 25. 1. Cor. 16, 1. 2. Cor. 8, 9. Gal. 2, 10.

30 Id quod fecerunt: & ad seniores Barnabæ & Sauli opera miserunt. Inf. 12, 25.

CAP. XII.

Herodes Iacobum gladio occidit. Petrum incarceratum Angelus liberat. Rex Tyriis infensus placatur, & cum divinos honores sibi vindicat, a vermibus erosus, vitam finit.

PEr id tempus admovit Herodes rex manus vexandis ab Ecclesia nonnullis,

2 Et Iacobum Ioannis fratrem ferro sustulit,

3 Quod Iudæis gratum esse videns, comprehendit insuper etiam Petrum (quum quidem essent azymorum dies.)

4 Captumque dedit in custodiam, & quater quaternis militibus custodiendum tradidit, volens eum post pascha producere populo.

5 Ita Petrus in carcere servabatur, fiebatque pro eo continua ab Ecclesia supplicatio ad Deum.

6 Cum autem eum productus esset Herodes, & ea nocte dormiret Petrus inter duos milites, duobus colligatus catenis, & custodes ante portam custodiam agerent:

7 Ecce adest Domini Angelus, splendente per domum luce, qui pulsato Petri latere, eum expergefecit, dicens: Surge celeriter. Ac delapsis ex ejus manu catenis,

8 Præcinge te, inquit, & tuis sandaliis calcea. Quod postquam ille fecit, indue, inquit, tuum pallium, & me sequere.

9 Itaque ille egressus, eum sequitur: neque rem veram ab Angelo agi intelligebat, sed sibi spectrum cernere videbatur.

10 Prætergressi primam ac secundam custodiam, veniunt ad portam ferream, qua in urbem itur: qua eis sua sponte aperta, simulac egressi vicum unum processerunt, discessit ab eo Angelus.

11 Et Petrus, ut ad se rediit, ita dixit: Nunc vere scio, Dominum misso Angelo suo, me ex Herodis manu, & tanta Iudaici populi expectatione eripuisse.

12 Ac sciens venit ad ædes Mariæ Ioannis matris, ejus cui Marcus cognomen erat, ubi complures coiverant, ac supplicabant.

13 Ubi Petrus vestibuli fores pulsavit, prodiit ad subauscultandum ancilla nomine Rhode:

14 Quæ agnita Petri voce, præ lætitia vestibulum non aperuit, sed intro cucurrit, & Petrum ante vestibulum adesse nunciavit.

15 At illi eam insanire dicere. Atque illa sic se rem habere contendente, dicebant ejus esse Angelum.

16 Sed Petro pulsare pergente aperuerunt, & eo viso attoniti sunt.

17 Ille indicto manu silentio, narravit eis, quo pacto se Dominus ex carcere eduxisset, jussitque ut ea Iacobo & cæteris fratribus renunciarent: deinde egressus concessit alio.

18 Orta die erat non mediocris inter milites turba, quid de Petro factum esset.

19 Herodes vero, cum eum conquisitum non invenisset, habita de custodibus quæstione, eos ad supplicium agi imperavit: & ex Iudæa degressus, Cæsareæ versatus est.

20 Erat autem Herodes Tyriis & Sidoniis infensus: & illi simul venerant ad eum, & Blasto regis cubiculario inducto, pacem petebant, quod eorum ager ex regio alebatur.

1. Reg. 5, 9. 11. Ezech. 27, 17.

21 Certo autem die Herodes regali veste indutus, in solio sedens, ad illos orationem habebat.

22 Et populus divinam esse, non humanam vocem acclamabat:

23 Ille vero confestim a Domini Angelo ictus (quod Deo gloriam non tribuisset) & a vermibus erosus, expiravit.

24 Divina autem doctrina crescebat, ac amplificabatur.

Esa. 55, 11. Act. 6, 7. & 19, 20. Col. 1, 6.

25 Et Barnabas atque Paulus munere perfuncti, Hierosolymam redierunt: assumpto etiam Ioanne, eo qui Marcus est cognominatus.

Sup. 11, 29.

CAP. XIII.

Paulum & Barnabam sibi segregari jubet Spiritus, Paphi Elymas Magus excæcatur: hinc Antiochiam Pisidiæ profecti Evangelium prædicant, Iudæis acriter contradicentibus.

ERant Antiochiæ, in ea quæ erat Ecclesia, vates & doctores, Barnabas & Simon cognomine Niger, & Lucius Cyrenensis, & Manahen cum Herode Tetrarcha nutritus, & Saulus.

Infr. 14, 26. Matth. 9, 38.

2 Eis autem Domino operantibus & jejunantibus, jussit Sanctus Spiritus, ut sibi Barnabam ac Saulum segregarent ad id opus, cui destinasset eos.

Act. 9, 15. & 22, 21. Rom. 1, 1. & 10, 15. Gal. 1, 15. & 2, 8. Eph. 3, 8. 1. Timoth. 2, 7. 2. Timoth. 1, 11.

3 Tum illi, cum jejunassent, ac supplicassent, manus eis imposuerunt, eosque dimiserunt:

Act. 6, 6. & 8, 5. & 14, 26.

4 Atque ii a sancto Spiritu emissi ad Seleuciam descēderunt, & inde in Cyprum navigarunt.

5 Ac ubi Salaminem pervenerunt, divinam doctrinam in Iudæorum Synagogis explicarunt. Habebant autem Ioannem ministrum. Act. 12, 25.

6 Progressi autem per insulam ad Paphum usque, nacti sunt magum quendam falsum vatem Iudæum, nomine Barjesum, Act. 8, 9.

7 Qui erat cum proconsule Sergio Paulo, viro prudente. Is proconsul, advocato Barnaba atque Saulo, divinam doctrinam audire conabatur:

8 Sed

8 Sed obstabat eis Elymas magus(sic enim licet ejus nomen interpretari) proconsulem a fide studens avertere.

Exod. 7, 11. 2. Tim. 3, 8.

9 At Saulus, qui idem Paulus est, sancto repletus Spiritu, illum intuitus dixit :

10 O omni fraude ac scelere referte, diaboli fili, totius injustitiæ hostis, non desines rectas Domini vias pervertere?

Matt. 13, 38. Ioh. 8, 44. 1. Ioh. 3, 8.

11 Scito nunc te Domini manu peti, cæcumque aliquandiu fore, ita ut solem non videas. Atque illum protinus tanta invasit caligo tenebrarum, ut circumiens quæreret qui se manu duceret.

12 Ea re visa proconsul credidit, stupefactus doctrina domini.

13 Paulus autem, ejusque comites, Papho solverunt, & Pergam Pamphyliæ venerunt : Et Ioannes ab eis digressus, Hierosolymam revertit.

Inf. 15, 38.

14 Ipsi a Perga progressi venerunt Antiochiam Pisidiæ, & in Synagogam Sabbathi die ingressi, consederunt.

15 Deinde post legis & vatum lectionem, Synagogæ magistri eis ita significarum miserũt: Fratres, si quid dicendum habetis, quo populum cohortemini, dicite.

16 Tum Paulus surrexit, & manu significavit, atque hac oratione usus est: Israelitæ, & qui Deum reveremini, audite.

Act. 12, 17. & 19, 33. & 21, 40.

17 Huius populi Deus maiores nostros elegit, & peregrinantem in Ægypto populum evexit, ex eaque eduxit sublimi brachio, Exod. 1, 1. & 6, 6. & 12, 31. & 13, 14.

18 Et per annos circiter quadraginta eorum mores tulit in solitudine: Exod. 16, 2. 35. Num. 14, 34. Psal. 9, 10.

19 Ac sublatis in Cananæa terra septem gentibus, earum terram dedit eis possidendam.

Ios. 14, 1. 2. Iud. 2, 16. & 3, 9.

20 Postea annis circiter quadringentis quinquaginta, dedit præsides, usque ad Samuelem vatem.

Iud. 3, 9.

21 Inde petentibus regem, dedit Deus Saulem Cis filium, hominem ex Tribu Benjaminia, annos quadraginta. 1. Sam. 8, 5. & 9, 5. & 10, 1. Os. 13, 11.

22 Quo sublato, Davidem eis regem suscitavit, de quo loquens ita testatus est: Nactus sum Davidem Isæi filium, virum ex animi mei sententia, qui omnia quæ ego volam, faciat.

1. Sam. 13, 14. & 15, 28. & 16, 14. Ps. 89, 21. Act. 7, 45.

23 Hujus ex semine Deus, ex promisso, duxit Israelitis servatorem Iesum.

2. Sam. 7, 12. Esa. 11, 1.

24 Ante cuius ingressum Ioannes prædicavit baptisma pœnitentiæ toti Israelitico populo.

Mal. 3, 1. Matth. 3, 1. Marc. 1, 2. Luc. 3, 3. Ioh. 3, 23.

25 Qui Ioannes cum cursum conficeret, dixit : Quem me esse

esse suspicamini? Non ego sum ille, sed post me venit, cujus ego pedum calceamentum solvere dignus non sum. Matth. 3, 11. Marc. 1, 7. Luc. 3, 16. Ioh. 1, 20. 26. 27.

26 Fratres, ex Abrahami genere oriundi, quique ex vobis Deum reverentur, vobis hæc salutaris missa doctrina est.

Matth. 10, 6. Act. 3, 26. & 13, 46.

27 Nam Hierosolymæ incolæ, eorumque magistratus eum ignorantes, vatum voces (quæ unoquoque sabbatho leguntur) eo damnato comprobarunt:

Ioh. 16, 3. Act. 3, 17. & 15, 21. 1. Cor. 2, 8. 1. Tim. 1, 13.

28 Et nullo capitali crimine comperto, a Pilato, ut ille necaretur, petierunt.

Matth. 27, 20. 21. 22. Marc. 15, 11. 12. 13. Luc. 23, 18. 21. 22. 23. Ioh. 19, 6.

29 Ac postquam omnia de eo scripta perfecerunt; eum ex patibulo detractum posuerunt in monimento. Matth. 27, 59. Marc. 15, 46. Luc. 23, 53. Ioh. 19, 38.

30 Deus vero eum a mortuis excitavit: Sup. 2, 24.

31 Qui compluribus diebus eis se ostendit, qui una cum eo ex Galilæa Hierosolymam ascenderant, qui quidem sunt eius testes ad populum: Matth. 28, 2. 16. Marc. 16, 6. 14. Luc. 24, 36. Ioh. 20, 19. & 21, 1. Act. 1, 3. 1. Cor. 15, 5. 6.

32 Et nos vobis nunciamus, quod maioribus promiserat Deus, Gen. 3, 15. & 22, 18. & 26, 4. & 49, 10. Deut. 18, 15. 2. Sam. 7, 12. Ps. 132, 11. Es. 4, 2. & 7, 14. & 9, 5. & 40, 10. Ier. 23, 5. & 33, 14. Ezech. 34, 23. & 37, 24. Dan. 9, 24. 25.

33 Id nobis eorum posteris præstitisse suscitato Iesu, ut etiam in Psalmo secundo scriptum est: Tu meus es Filius; ego te hodie genui.

Ps. 2, 7. Hebr. 1, 5. & 5, 5.

34 Quod autem eum ex mortuis excitarit, non jam rediturum ad interitum, sic dixit: Dabo vobis fidelem Davidis benignitatem. Es. 53, 3.

35 Itaque alibi quoque dicit: Non es passurus, ut Pius tuus corruptionem patiatur.

Ps. 16, 10. Sup. 2, 24. &c.

36 Nam David quidem, postquam ætati suæ inservivit, Dei consilio obdormivit, & ad suos majores additus, corruptionemque passus est.

1. Reg. 2, 10. Supr. 2, 29.

37 Sed quem Deus excitavit, is corruptionem passus non est.

38 Quamobrem hoc vobis notum esto, viri fratres, vobis per hunc peccatorum veniam nunciari: Luc. 24, 47. 1. Ioh. 2, 12. Rom. 2, 24. 28. & 8, 3. Gal. 2, 16. Heb. 7, 19. & 9, 15.

39 Ac ab omnibus, a quibus per Mosis legem solvi nequivistis, per hunc, quicunque credat, solvi.

Rom. 10, 4.

40 Quamobrem, prospicite ne vobis illud usu veniat, quod est in vatibus dictum:

Es. 28, 14. Hab. 1, 5.

41 Videte, o contemptores, & præ

præ admiratione obtorpescite: nam ejusmodi rem ego facturus sum vestris temporibus, quam non fitis crediturí, si quis vobis exponat.

42 Deinde eos ex Iudæorum Synagoga exeuntes orabant extranei, ut proximo Sabbatho apud se iis de rebus loquerentur.

43 Ac dimissa Synagoga secuti sunt multi Iudæorum, adventitiorumque religiosorum Paulum atque Barnabam: qui eos alloquentes persuadebant, ut in Dei gratia permanerent.

Matth. 13, 15. Act. 11, 23. & 14, 22.

44 Ac sequenti Sabbatho fere tota civitas ad audiendam divinam doctrinam convenit.

45 Verum Iudæi tantam hominum multitudinem videntes, æmulationis pleni, contradicebant iis quæ a Paulo dicebantur, reclamantes, ac conviciantes.

46 Quibus contra Paulus & Barnabas sic libere dixerunt: Vobis primum necesse erat proponi divinam doctrinam; sed quia eam rejicitis, neque vos sempiterna vita dignos judicatis, scitote nos ad gentes converti.

Matth. 10, 6. Act. 1, 8. & 5, 25. 26. & 18, 6. & 28, 28. Exod. 32, 10. Deut. 32, 21. Es. 55, 5. Matth. 8, 12. & 21, 43. Rom. 10, 19.

47 Sic enim præcepit nobis Dominus: Te gentibus externis lumen destinavi, ut sis ad ultimas usque terras saluti.

Es. 49, 6. & 42, 6. Luc. 2, 32.

48 Hæc audientes exteri lætabantur, Dominique celebrabant doctrinam, & crediderunt quotquot erant sempiternæ vitæ destinati.

49 Sed dum Domini doctrina per totam illam regionem divulgatur,

50 Iudæi, impulsis religiosis ac honestis fœminis, primisque civitatis tantam in Paulum & Barnabam insectationem excitarunt, ut eos ex suis finibus ejicerent. 2. Tim. 3, 11.

51 Illi excusso in eos pedum suorum pulvere venerunt Iconium.

Matth. 10, 14. Marc. 6, 11. Luc. 9, 5. Act. 14, 6. 11. & 18, 6.

52 Discipuli vero lætitia, sanctoque Spiritu complebantur.

CAP. XIV.

Paulus & Barnabas Iconio ejiciuntur. Paulus Lystræ, claudum sanat, & sibi sacrificaturos, prohibet. Ibidem Iudæis autoribus lapidatur; hinc multis ecclesiis peragratis Antiochiam revertuntur.

IConii autem una in Iudæorum Synagogam ingressi sunt, & ita loqvuti, ut crederet Iudæorum Græcorumque magna multitudo.

2 At Iudæi, quibus persvasum non erat, extraneorum animos in fratres concitarunt, atque vitiarunt.

3 Itaque postquam illic aliquandiu demorati sunt, libere de Domino loqventes, qvi ei doctrinæ, cujus ipse pro sua beneficentia autor erat, testimonium

dabat, efficiendo ut per eos prodigia fierent & miracula,
Marc. 16, 20. Act. 19, 11. Heb. 2, 4.

4 Scissa est urbis multitudo, ita ut partim a Iudæis, partim ab Apostolis starent.

5 Cumque tum ab extraneis, tum a Iudæis, nec non eorum Magistratibus, fieret ad eos violandos, ac lapidandos impetus,
2. Tim. 3, 11.

6 Illi, eo intellecto, confugerunt in urbes Lycaoniæ, Lystram, atque Derbam, & in finitimam regionem.
Matth. 10, 23. Act. 8, 1.

7 Et illic Evangelium docent:

8 Et homo quidam Lystris pedibus impotens sedebat, claudus ab utero matris, qui nunquam ingressus erat.
Act. 3, 2.

9 Hic dum loquentem Paulum audit, Paulus eum intuitus, & animadvertens fidem habere se servatum iri,

10 Dixit clara voce: Surge in pedes rectus, atque ille exilire, ac ingredi. Es. 35, 6.

11 Hoc Pauli facto viso, vulgus sublata voce, Lycaonice dicebant, Deos humana specie descendisse: Act. 28, 6.

12 Et Barnabam Iovem appellabant, Paulum autem Mercurium: quod is orationi præesset.

13 Iovis autem sacerdos, ante eorum urbem collocati, productis in vestibulo tauris, ac coronis, volebat una cum hominum vulgo sacrificare.

14 Quo audito, Apostoli Barnabas & Paulus, laceratis suis vestibus, insilierunt in turbam,
Matth. 26, 65.

15 Hujusmodi verbis clamantes: Viri, cur ita facitis? nos quoque sumus homines, iisdem quibus vos affectionibus obnoxii, qui vobis denunciamus, ut a vanis istis ad Deum vos immortalem convertatis, qui & cœlum fecit, & terram & mare, & quæcunque sunt in eis:
Gen. 1, 1. Ps. 33, 6. & 124, 8. & 146, 6. Apoc 14, 7.

16 Qui superioribus seculis gentes omnes suo more vivere permisit.
Ps. 81, 13. Inf. 17, 30.

17 Tametsi non se reliquit non testatum, benefaciendo, de cœlo nobis pluvias, frugiferaque dando tempora, explendo cibis, ac lætitia nostros animos.

18 Hæc dicentes ægre vulgus compescuerunt, quo minus eis sacrificaret.

19 Supervenerunt interea ab Antiochia & Iconio Iudæi, qui vulgo persuaserunt, ut Paulum lapidarent, ac extra urbem traherent mortuum esse rati.
1. Cor. 11, 25. 2. Tim. 3, 11.

20 Ille circumfusus discipulis surrexit, & in urbem ingressus est. Postridie Derbam cum Barnaba profectus est:

21 Eaque civitate Evangelio instituta, & compluribus factis discipulis, Lystram & Iconium, & Antiochiam repetierunt,

22 Confirmantes discipulorum animos, & ut in fide permanerent cohortantes: per multas enim miserias oportere nos

nos in divinum regnum intrare.
Supr. 11, 23. & 13, 43. Matth. 10, 38. & 16, 24. Luc. 22, 28. 29. & 24, 26. 2. Tim. 3, 12. Rom. 8, 17.

23 Ac postquam cum suffragiis eis seniores in singulas Ecclesias crearunt, factis supplicationibus, cum jejuniis, eos Domino, cui crediderant, commendarunt.
Act. 1, 26. & 11, 30. Tit. 1, 5.

24 Et peragrata Pisidia in Pamphyliam venerunt.

25 Ac Pergæ doctrinam locuti, Attaliam descenderunt.
Sup. 13, 13.

26 Inde Antiochiam navigarunt, unde fuerant divinæ gratiæ commendati, ad opus quod absolverunt.

27 Eo postquam venerunt, coacta concione, renunciarunt quæ secum fecisset Deus, utque gentibus externis aperuisset portam fidei.
Act. 15, 4. 1. Cor. 16, 9. 2. Cor. 2, 12. Apoc. 3, 8.

28 Commorati sunt autem illic non parum diu, una cum discipulis.

CAP. XV.

Antiochenis quidam jugum legis obtrudere conantur. Consultant de hac re Apostoli, & quid facto opus est, per literas indicant. Inter Paulum & Barnabam acris contentio oboritur.

QVidam autem ex Iudæa degressi, docebant fratres, nisi Mosaico ritu circumciderentur, non posse salvos fieri.
Gen. 17, 10. Lev. 12, 3. Gal. 5, 1. 2. Phil. 3, 2. Col. 2, 8. 11. 16.

2 Itaque cum Paulo & Barnabæ ortum esset adversus illos non mediocre certamen atque contentio, statuerunt Paulo & Barnabæ & aliis quibusdam ex suis ascendendum esse Hierosolymam ad Apostolos & seniores, ob eam quæstionem.
Gal. 2, 1. Act. 11, 30.

3 Igitur illi ab Ecclesia deducti, Phœnicem & Samariam obibant, extraneorum conversionem exponentes, omnesque fratres ingenti afficiebant lætitia.

4 Ubi Hierosolymam perventum est, accepti sunt ab Ecclesia & Apostolis ac Senioribus, & qvæ secum Deus fecisset, retulerunt.
Act. 14, 3. 26.

5 Extiterunt autem quidam, ex eorum, qui crediderant, Pharisæorum secta, qui eos circumcidendos dicerent, indicendumque, ut Mosis legem servarent.

6 Hujus rei dispiciendæ gratia Apostoli & seniores convenerunt.

7 Et magna contentione exorta, surrexit Petrus, & ad eos hujusmodi orationem habuit: Viri fratres, vos scitis, ut Deus jampridem me ex vobis elegerit, cujus ex ore extranei doctrinam Evangelicam audirent, ac crederent.
Supr. 10, 20. & 11, 1. 2.

8 Ac animorum cognitor Deus, eis testimonium dedit, impertitus eis Spiritum sanctum, ut & nobis:
1. Par. 28, 9. & 29, 17. Ps. 7, 10. Jer. 11, 20. & 17, 10. & 20, 12. Supr. 10, 43. 1. Cor. 1, 2.

9 Nec

9 Nec ullum inter nos & eos discrimen fecit, cum eorum animos fide purgasset.

1. Pet. 1, 22.

10 Quocirca quid Deum tentatis, discipulorum cervicibus jugum imponendo, quod neque majores nostri, neque nos ferre potuimus?

Matth. 23, 4. Gal. 5, 1.

11 Sed nos per Domini nostri Iesu Christi gratiam servari credimus, quemadmodum & illi.

Eph. 2, 4. 8. Tit. 3, 4.

12 Siluit universa multitudo, & Barnabam Paulumque audiebant, narrantes quæ Deus ostenta ac miracula apud exteras nationes per eos designasset.

13 Deinde postquam illi conticuerunt, Iacobus in hunc modum verba fecit: Viri fratres, audite me. Supr. 12, 17.

14 Narravit Simeon, quo pacto primum Deus curaverit ascisendum ex gentibus externis populum suo nomine; 2. Pet. 1, 1.

15 Atque huic consonant dicta vatum, quemadmodum scriptum est: Amos 9, 11. 12.

16 Postea revertar, collapsum Davidi tabernaculum reficiam, ejusque diruta instaurabo, & id erigam:

17 Ut hominum reliqui, & omnes a me denominatæ gentes, Dominum exquirant, inquit horum omnium autor.

18 Nota sunt ab omni æternitate Deo omnia ejus opera.

19 Quare ego judico, non esse molestia afficiendos eos: qui ex gentibus externis ad Deum se convertunt:

20 Sed eis scribendum, ut a simulachrorum fœditatibus abstineant, & a stupro, & suffocatis, & sangvine.

Inf. v. 29, Gen. 9, 4. Lev. 3, 17. & 17, 14. Deut. 12, 23. 1. Cor. 8, 1. 9. 10. & 10, 14. 20. 21. 1. Thess. 4, 3.

21 Moses enim jam inde a priscis seculis per urbes, qui se prædicent, habet, dum per Synagogas omnibus Sabbathis recitatur.

Neh. 8, 1. Act. 13, 27.

22 Tunc visum est Apostolis & Senioribus una cum tota Ecclesia, delectos ex se viros Antiochiam cum Paulo & Barnaba mittere, Iudam cognomine Barsabam, & Silam, viros fratrum primarios,

23 Qui has literas ferrent: Apostoli & Seniores, & fratres, de gentibus Antiochiæ & in Syria ac Cilicia fratribus, iis qui externarum sunt gentium, salutem.

24 Quandoquidem audivimus, ut quidam a nobis profecti, vos sermonibus turbaverint, labefactantes vestros animos, dicendo circumcidendos esse, Legique parendum, cum id nos eis non mandaverimus:

Gal. 2, 4. Supr. v. 1. 1. Ioh. 2, 19.

25 Visum est nobis eodem congressis, electos viros ad vos mittere, una cum charissimis nostris Barnaba, & Paulo,

26 Qui homines suam vitam exposuerunt pro Domini nostri Iesu Christi nomine.

Act. 13, 50. & 14, 19.

27 Misimus ergo Iudam & Silam,

Silam, qui & ipsi verbis eadem referant.

28 Visum est enim Sancto Spiritui, & nobis, nihil amplius vobis oneris imponere, quam hæc necessario,

29 Abstinendum a deastrorum victimis, & sangvine, & suffocato, & stupro: A quibus si vos continebitis, recte facietis. Valete.

Supr. v. 20. Inf. 16, 4. & 21, 25.

30 Illi igitur dimissi, venerunt Antiochiam: & coacta multitudine, tradiderunt epistolam.

31 Qua lecta, illi cohortatione gavisi sunt:

32 Et Iudas & Silas, qui & ipsi vates erant, multis verbis fratres cohortati sunt, atque confirmarunt.

33 Deinde illic aliquandiu commorati, a fratribus amice ad Apostolos dimissi sunt.

34 Silæ autem ibi remanere visum est.

35 Paulus & Barnabas Antiochiæ morati sunt, docentes, & Domini doctrinam cum aliis multis explicantes.

36 Post aliquot dies monuit Paulus Barnabam, ut fratres suos per omnes urbes, in quibus Domini doctrinam explanassent, reviseret, quomodo se haberent.

37 Barnabas vero volebat Iohannem assumere, nomine Marcum.

Supr. 12, 12. 25. & 13, 5. Col. 4, 10. 2. Tim. 4, 11. Philem. v. 24.

38 At Paulus censebat, eum qui ab eis in Pamphylia defecisset, nec una ad negotium profectus esset, non esse assumendum.

Supr. 13, 13.

39 Hinc natum jurgium est, ita ut a se inter se dirempti sint: & Barnabas assumpto Marco, navigarit in Cyprum:

40 Paulus electo Sila profectus est, divinæ gratiæ commendatus a fratribus:

41 Syriamque & Ciliciam obivit, confirmans Ecclesias.

CAP. XVI.

Paulus circumciso Timotheo Philippis agens, Lydiam in fide instituit. Pythonis spiritum expellit, propterea virgis cæsi in carcerem conjiciuntur. Terræ motu, carceris januæ aperiuntur, & ejusdem custos Christi fidem recipit.

PErvenit autem Derbam, & Lystram, & erat ibi discipulus quidam, nomine Timotheus, fœminæ cujusdam Iudææ fidentis filius, patre Græco.

Act. 14, 6. & 17, 14. & 19, 22. & 20, 4. Rom. 16, 21. 1. Cor. 4, 17. Phil. 2, 19. 1. Thess. 3, 2. 1. Tim. 1, 2. 2. Tim. 1, 5.

2 Hunc Timotheum testimonio commendatum Lystrensium Iconiensiumque fratrum,

Act. 6, 3.

3 Voluit Paulus secum proficisci, eumque cepit, & circumcidit, propter eos, qui erant in iis locis, Iudæos. Sciebant enim omnes ejus patrem esse Græcum.

1. Cor. 9, 20. Gal. 2, 3.

4 Obe-

4 Obeundis autem urbibus, tradebant eis servanda placita, quæ ab Apostolis & Senioribus qui erant Hierosolymæ, decreta fuerant. Supr. 15, 20. 29.

5 Ita fiebat, ut Ecclesiæ fide confirmarentur, & numero crescerent quotidie:

6 Peragrata autem Phrygia & Galatica regione, prohibiti a sancto Spiritu verba facere in Asia,

7 In Mysiam profecti, conabantur per Bithyniam iter facere: sed non sivit eos spiritus.

8 Itaque Mysiam prætergressi, devenerunt in Troadem:

Act. 20, 6. 2. Cor. 2, 12. 2. Tim. 4, 13.

9 Et hujusmodi visum noctu Paulo occurrit. Vir quidam aderat Macedo, qui eum his verbis hortabatur: Proficiscere in Macedoniam ad succurrendum nobis.

10 Id visum simulac ille vidit, in Macedoniam contendere cupivimus, affirmantes a Domino nos advocari, ad illos in Evangelio instituendos.

11 Ergo solvimus a Troade, & recto cursu venimus in Samothraciam. Postridie Neapolim.

12 Inde Philippos, quæ utbs est primæ partis Macedoniæ colonia. Eramus autem in ea urbe dies aliquot agentes,

13 Et die sabbatho exiimus extra urbem ad fluvium, ubi solebat fieri supplicatio: & ibi sedentes, alloquebamur fœminas, quæ convenerant.

14 Ac fœmina quædam, Lydia nomine, purpuræ venditrix, civitatis Tyatirarum, Dei cultrix, audivit: cujus animum Deus aperuit, ut Pauli orationem attenderet.

15 Ea postquam cum sua familia baptizata est, rogavit, ut si se Domino fidelem esse judicaremus, in suas ædes diverteremur: coegitque nos.

Gen. 19, 3. & 33, 11. Jud. 19, 21. Luc. 24, 29. Heb. 13, 2.

16 Accidit autem, ut nobis ad preces euntibus, ancilla quædam Pythonis prædita spiritu occurreret, quæ suis dominis magnum quæstum conciliabat divinando.

1. Sam. 28, 17. Act. 19, 24.

17 Ea Paulum & nos subsecuta, sic clamabat: Hi homines summi Dei cultores sunt, qui nobis viam salutis nunciant.

18 Hoc illa per dies complures faciente, Paulus id ægre ferens, se convertit, & Spiritui dixit: E dico tibi per Iesu Christi nomen, ut ex ista migres, atque ille vestigio migravit.

Marc. 16, 17.

19 Tum ejus domini, videntes sui spem quæstus periisse, Paulum & Silam comprehenderunt, & in forum traxerunt ad magistratus: 2. Cor. 6, 5.

20 Ac eis ad Prætores perductis, ita dixerunt: Homines hi urbem nostram obturbant, cum sint Iudæi;

1. Reg. 18, 17. Act. 17, 6.

21 Moresque doccant, quos nobis admittere aut tenere nefas, qui simus Romani.

22 Hic cum adversus illos vulgus instaret, Prætores dilaceratis

ceratis eorum vestimentis, jusserunt eos verberari,

2. Cor. 11, 25. 1. Thess. 2, 2. Phil. 1, 13.

23 Multisque cæsos ictibus conjecerunt in carcerem, & custodi carceris, ut eos diligenter servaret, mandarunt.

24 Is accepto eo mandato, eos in penitissimum carcerem conjecit, & eorum pedes in numellam compegit.

25 Media nocte Paulus & Silas supplicantes collaudabant Deum, audientibus eos vinctis:

26 Tantusque repente motus extitit, ut carceris fundamenta concuterentur, & apertis subito portis omnibus, omnium vincula relaxarentur.

Act. 5, 19. & 12, 7.

27 Tum expergefactus custos carceris, & apertas conspicatus portas omnes custodiæ, stricto ense seipsum interficere volebat, vinctos effugisse putans.

28 Sed Paulus magna voce clamavit: Noli in te gravius consulere: omnes enim hic sumus.

29 Tum ille, petito lumine intro insiliit, & tremebundus Paulum & Silam accidit,

30 Eisque foras productis dixit: Domini, quid mihi faciendum est, ut salvus sim?

Luc. 3, 10. Act. 2, 37. & 9, 6. Joh. 3, 16. 36. & 6, 47. 1. Joh. 5, 10.

31 Et illi dixerunt: Fidem habe Domino JEsu, & salvus eris tu tuaque familia.

32 Eique Domini doctrinam elocuti sunt, & omnibus qui erant in ejus ædibus.

33 Atque ille eos eodem noctis vestigio capit, & a plagis abluit: estque ipse continuo cum suis omnibus baptizatus.

34 Et eis domum suam ductis, mensam apposuit, ac lætatus est, postquam cum omni familia crediderat Deo:

Luc. 5, 29. & 19, 6.

35 Ubi diluxit, Prætores miserunt lictores, qui juberent ut homines illos dimitteret.

36 Eam rem custos carceris Paulo renunciavit: Significarunt Prætores, inquit, ut dimittamini. Quamobrem exite, & salvi discedite.

37 At Paulus: Cæsos nos (inquit eis) publice, indemnatos, homines Romanos, dederunt in custodiam, & nunc clam emittunt? Non ita, quin veniant ipsi, & educant.

38 Hæc verba lictores Prætoribus retulerunt, & illi timuerunt, dum Romanos esse audiunt,

39 Iveruntque eos oratum: & eductos, ut ex urbe exirent, rogarunt.

Matth. 8, 34.

40 Illi ex custodia egressi, ad Lydiam diverterunt, & visis fratribus eos consolati sunt, ac discesserunt.

CAP. XVII.

Paulus Thessalonicæ Christum annuncians, a Iasone exceptus. Berrhoeam emittitur: inde Athenas profectus, in Areopago DEUM illic ignotum annunciat, nonnullis ad Christum conversis.

PEragrata autem Amphipoli & Apollonia, Thessalonicam venerunt, ubi erat Iudæorum Synagoga.

2 Et

2 Et Paulus more suo ad eos ingressus est, & per tria Sabbatha disserebat eis ex scriptis,

3 Aperiens ac exponens, ut Christum supplicio affici, ac ex mortuis resurgere oportuerit: utque is esset Christus IEsus, quem ipse eis nunciaret.

Ps. 22, 7. Es. 53. Matth. 16, 21. Luc. 24, 26. 46. Joh. 1, 42.

4 Itaque persuasum est eorum nonnullis, iique se ad Paulum & Silam aggregarunt, nec non religiosorum Græcorum ingens multitudo & fœminarum primariarum non paucæ.

Act. 28, 24. & 17, 17.

5 At Iudæi, quibus persuasum non erat, per æmulationem assumptis circumforaneis quibusdam hominibus nequam, urbem excitato tumultu perturbare: & Iasonis domum aggressi, eos in publicum producere conari:

6 Eisque non inventis, Iasonem & quosdam fratres ad rectores civitatis trahere, clamantes, illos orbis perturbatores etiam hic adesse, Act. 16, 20.

7 Et ab Iasone acceptos esse: & quidem eos omnes contra Cæsaris decreta facere, regem dicentes alium Iesum.

Luc. 23, 2. Joh. 19, 12.

8 Ita plebem & civitatis rectores iis dicendis turbarunt:

9 Atque illi accepta Iasonis & reliquorum satisfactione, eos absolverunt.

10 Fratres vero noctu statim Paulum & Silam Berrhœam dimiserunt. Quo postquam illi pervenerunt, in Iudæorum se Synagogam receperunt. Act. 9 25.

11 Erant autem hi Thessalonicensibus generosiores, quippe qui summa cum aviditate doctrinam admiserint, quotidie literas examinantes, an ea sic se haberent.

Es. 34, 16. Luc. 16, 29. Joh. 5, 39.

12 Itaque eorum multi crediderunt, nec non Græcarum mulierum honestarum, & virorum non pauci.

13 Ut autem cognoverunt Thessalonicenses Iudæi, etiam Berrhœæ explicatam esse a Paulo divinam doctrinam, venerunt etiam illuc, plebem concitaturi.

1. Thess. 2, 4.

14 Tum fratres Paulum confestim emiserunt, ut ad mare se conferret: & ibi Silas & Timotheus remanserunt.

15 Qui vero Paulum deducebant, eum Athenas usque duxerunt: & accepto ad Silam & Timotheum mandato, ut quamprimum ad illum venirent, digressi sunt. Act. 18, 5.

16 Eos dum Athenis Paulus opperitur, ipse secum animo extimulabatur, Deastris deditam urbem videns.

17 Disputabat igitur in Synagoga cum Iudæis & religiosis, itemque in foro quotidie, ut quisque occurrerat. Supr. v. 4.

18 Contulerunt autem cum eo Epicureorum, Stoicorumqve Philosophorum quidam. Nonnulli, quid vellet is nugator dicere, quærebant. Alii peregrinorum nunciatorem divorum vrseri dicebant, quod Iesum & ediurrectionem eis nunciabat:

19 Eum-

19 Eumque prehensum, & in vicum Martium ductum, sic alloqvuntur: Possumus ne scire, quæ sit nova ista, quam tu loqueris, doctrina?

20 Nam peregrina quædam nostris auribus affers. Itaque velimus cognoscere, quid ista sibi velint.

21 Erant autem Athenienses omnes, tum illic peregrinantes hospites, ad nihil aliud idonei, quam ut novi aliquid vel dicerent vel audirent.

22 Paulus vero stans in medio vico Martio, sic verba fecit: Viri Athenienses, video vos omnino paulo superstitiosiores.

23 Cum enim præteriens vestra spectarem numina, inveni etiam aram, in qua inscriptum erat: Ignoto Deo. Quem igitur vos ignorantes veneramini, eum ego vobis nuncio.

24 Deus qui mundum & quæ in eo sunt omnia fecit, cum sit cœli terræque Dominus, non in manufactis templis habitat,

Gen. 1, 1. 2. Par. 6, 30. Ps. 33, 6. & 124, 8. & 146, 6. Es. 66, 1. Act. 7, 48. & 14, 15. Apoc. 14, 7.

25 Nec hominum manibus colitur quasi ullius egenus: cum ipse omnibus vitam, flatum, omnia denique conferat:

Gen. 2, 7. Ps. 49, (50.) 8.

26 Cumque creaverit ex unius sanguine universum genus hominum, ut in omni terræ solo habitarent, præfinitis eorum statis temporibus, & inhabitandi terminis,

Deut. 32, 8.

27 Ut Dominum quærerent, si forte eum contrectarent ac invenirent: quanquam non procul ab unoquoque nostrum remotũ,

28 Cum in eo vivamus, & moveamur, & simus, ut quidam etiam vestratium Poetarum dixerunt: Nam genus illius sumus.

29 Quod si genus sumus Dei, non debemus existimare, auro aut argento, aut lapidi arte & industria humano cælato, divinitatem esse similem.

Es. 40, 18. 25.

30 Igitur prætermissis ignorantiæ temporibus, Deus nunc omnibus ubique hominibus denunciat, ut ad frugem redeant.

Sup. 14, 16. Luc. 24, 47.

31 Statuit enim diem, in quo orbem ex æquo judicaturus est per virum, per quem decrevit: quem dum ex mortuis in vitam revocavit, fidem exhibuit omnibus.

Sup. 2, 24. & 10, 42.

32 Hic illi, audita mortuorum resurrectione, partim deridere: partim dicere, se rursus ex eo ea de re audituros.

33 Ita Paulus ex eorum medio discessit.

34 Hæserunt autem ei homines nonnulli, ac crediderunt, in quibus fuit Dionysius Areopagita, & mulier nomine Damaris, & præter eos alii.

CAP. XIIX.

Paulum Corinthi gentes docentem, solatur Dominus, coram Gallione accusatur, sed frustra. Hinc in Syriam, deinde Ephesum profectus, Galatiæ, & Phrygiæ ecclesias, confirmat, Apollos ab Aquila exquisitius instituto Christum magno cum fructu prædicat.

POstea digressus Athenis Paulus, Corinthum venit:

2 Et quendam nactus Iudæum, nomine Aquilam, genere Ponticum, qui recens venerat ab Italia una cum uxore sua Priscilla, quod imperaverat Claudius, ut Iudæi omnes Roma emigrarent, Rom. 16, 3. 1. Cor. 16, 29. 2. Tim. 4, 19.

3 Convenit eos: & quia ejusdem artis erat, mansit apud eos, & operabatur: erant enim arte tentoriorum opifices.

Act. 20, 34. 1. Cor. 4, 12. 2. Cor. 11, 9. & 12, 13. 1. Thess. 2, 9. 2. Thess. 3, 8.

4 Disputabat autem in Synagoga omnibus Sabbathis, & Iudæis, ac Græcis persuadebat.

5 Ut autem descenderunt ex Macedonia Silas & Timotheus, Paulus divino instinctu afflatus, Christum Iesum Iudæis testificabatur.

Act. 17, 14. 15.

6 Cumque illi resisterent, ac maledicerent ille excussis vestimentis, sic eis dixit: Vos vestram perniciem capite luetis, purus ego deinceps ad exteros me conferam. Lev. 20, 9. 12. 2. Sam. 1, 16. Ezech. 3, 18. 19. Matth. 10, 14. & 27, 25. Supr. 13, 45. 51.

7 Ita illinc profectus venit in ædes cuiusdam nomine Iusti, hominis religiosi, cujus ædes erant contiguæ Synagogæ.

8 Crispus autem Synagogæ minister, Domino credidit, una cum tota sua familia: nec non Corinthiorum multi, postquam audiverant, credebant, & baptizabantur. 1. Cor. 1, 14

9 Dixit autem Dominus per nocturnum visum Paulo: Ne metue, sed loquere: neve taceto. Act. 23, 11.

10 Nam ego tibi adsum, neque te quisquam invadet lædendi gratia, est enim mihi multus in urbe ista populus. Ioh. 10, 16.

11 Egit autem illic annum unum, & sex menses, divinam disciplinam eos docens.

12 Tum Iudæi, Gallione Achajæ proconsule, Paulum universi adorti, ad tribunal produxerunt,

13 Et eum hominibus persuadere, ut Deum contra legem colant, dixerunt.

14 Hic cum Paulus verba facturus esset, dixit Gallio Iudæis: Si quidem injuria aliqua aut facinus atrox esset, Iudæi, merito vos ferrem:

Act. 25, 11.

15 Sed si de sermone & nominibus, & lege vestra quæstio est, ipsi videritis: nam istorum judex ego esse nolo.

16 Ita eos abegit a tribunali.

17 Græci vero omnes comprehensum Synagogæ magistrum Sosthenem, cædebant ante Tribunal, ea nihil curante Gallione. 1. Cor. 1, 1.

18 Paulus autem transactis illic adhuc diebus aliquam multis, vale dicto fratribus, navigavit in Syriam, & cum eo Priscilla & Aquila, cum caput totondisset in Cenchreis: id enim voverat. Num. 6, 18. Infr. 21, 24.

19 Pervenit autem Ephesum, & eis ibi relictis, in Synagogam ingressus

ingressus disputavit cum Iudæis.

20 Ac eis ut apud se diutius maneret rogantibus, non concessit:

21 Sed valedixit cum hujusmodi verbis: Mihi omnino Hierosolymæ agendum est proximum festum: sed ad vos revertar, volente Deo. Ita solvit ab Epheso. 1. Cor. 4, 19. Iac. 4, 15. Hebr. 6, 3.

22 Et facto ad Cæsaream excensu, ac salutata Ecclesia, conscendit, ac degressus est Antiochiam.

23 Et ibi commoratus aliquandiu, profectus est, omnem deinceps perlustrans Galaticum agrum, & Phrygiam, confirmans omnes discipulos.

24 Iudæus autem quidam, Apollos nomine, natu Alexandrinus, vir eloquens, pervenit Ephesũ literis pollens. 1 Cor. 1, 12.

25 Is erat Domini institutione initiatus, & animo fervens loquebatur, ac diligenter de Domino docebat, solum Ioannis Baptismum intelligens. Act. 19, 3.

26 Hic cum in Synagoga libere loqui cœpisset, eo audito, Aquila & Priscilla eum asciverunt, eique exactius domini institutum exposuerunt.

27 Ac volente eo in Achajam proficisci, fratres ad discipulos scripserunt, hortantes ut eum acciperent. Quo ubi pervenit, multum iis, qui crediderant, contulit, qua præditus erat gratia. 1. Cor. 3, 6.

28 Vehementer enim Iudæos convincebat, publice demonstrãs per literas, Christum esse Iesum.

CAP. XIX.

Discipuli quidam Ephesi Ioannis doctrina imbuti, ignorantes Spiritus Sancti visibiles illas gratias: quibus Deus regnum filii sui ornaverat, baptizantur in nomine Iesu. Exorcistæ Iudæi a diabolo cæduntur. Libri exuruntur magici. Demetrius magnam in Paulo seditionem concitat.

INterea dum Apollos Corinthi est, Paulus peragratis superioribus tractibus venit Ephesum. Sup. 18, 24. 1. Cor. 1, 12.

2 Et quosdam nactus discipulos, sic allocutus est: An sanctum Spiritum adepti estis, cum credidistis? Cui illi: Nos vero ne quidem, an Spiritus sanctus sit, audivimus. Ioh. 7, 39. Act. 10, 44. &c.

3 Qua igitur ratione baptizati estis? Ioannis Baptismo, inquiunt.

4 Et Paulus: Ioannes quidem corrigendæ vitæ baptismo lavit, vulgo monens, ut venienti post se fidem haberent, hoc est, Christo Iesu. Matth. 3, 11. Marc. 1, 4. 8. Luc. 3, 16. Ioh. 1, 26. Sup. 1, 5, & 11, 16.

5 Hoc audito, illi in domini Iesu nomen baptizati sunt.

6 Cumqve manus eis Paulus imposuisset, invasit eos sanctus Spiritus, linguisque loquebantur, ac vaticinabantur. Act. 2, 4. & 6, 6. & 8, 17. & 10, 46. & 11, 15.

7 Erant autem in summa viri circiter duodecim:

8 Ille ingressus in Synagogam, libere per tres menses loquebatur,

batur, disputans, & regni divini res persuadens.

9 Sed quoniam nonnulli occallebant, nec solum sibi non patiebantur persuaderi: verum etiam ei institutioni apud multitudinem maledicebant: ille digressus ab eis, discipulos separavit, & quotidie in cujusdam tyranni ludo disputabat.

1. Tim. 1, 15.

10 Id autem factum est per annos duos, ita ut omnes Asiæ incolæ Domini Iesu doctrinam audiverint, tum Iudæi, tum Græci.

11 Ac prodigia non vulgaria faciebat Deus, opera Pauli,

Matth. 16, 20. Act. 14, 3.

12 Adeo ut in ægrotantes afferrentur ex eius corpore sudaria, aut semicinctia, atque illi morbis liberarentur, & ex eis immundi spiritus exirēt. Act. 5, 15.

13 Tentarunt autem quidam ex ambulatoribus Iudæis obtestatoribus, nominare in præditos malis spiritibus nomen Domini Iesu, dicentes: Obtestamur vos per Iesum, quem Paulus prædicat.

14 Erant autem quidam Scevæ Iudæi pontificis filii septem, qui id faciebant.

15 Sed malus spiritus ita respondit: Iesum ego cognosco, & Paulum novi, sed vos quinam estis?

16 Tum insiliit in eos homo, in quo malus erat spiritus, eosque ita subegit, ac vicit: ut nudi ac vulnerati ex ædibus illis effugerent.

17 Quod ubi tum Iudæis, tum Græcis omnibus Ephesi incolis innotuit, omnes metu perculsi sunt, dominique Iesu nomen magni fiebat.

18 Ac eorum qui crediderant, multi sua facta confessum ac declaratum veniebant.

Matth. 3, 6.

19 Itemque eorum, qui illicita tractaverant, satis multi congestos libros in omnium præsentia cremabant: quorum precio computato, comperta sunt nummorum quinquaginta millia.

20 Adeo penitus crescens invalescebat doctrina Domini.

Es. 55, 11. Act. 6, 7. & 12, 24.

21 His peractis, statuit cum animo suo Paulus, perlustrata Macedonia, & Achaja, Hierosolymam proficisci, dicens, Postquam illuc pervenisset Romam quoque sibi esse visendam.

Rom. 15, 2. Gal. 2, 1.

22 Missis autem in Macedoniam duobus eorum, qui ei ministrabant, Timotheo & Erasto, ipse aliquandiu remansit in Asia.

Rom. 16, 23. 2. Tim. 4, 20.

23 Extitit eo tempore tumultus non exiguus, ob eam institutionem.

2. Cor. 1, 8.

24 Quidam enim nomine Demetrius, faber argentarius, qui argentea Dianæ delubra faciebat, collectis artificibus (quibus non mediocrem quæstum præstabat)

Act. 16, 16.

25 Et aliis ejuscemodi rerum opificibus, ejusmodi oratione usus est: Viri, scitis ex hoc opificio nostras esse facultates:

26 Et videtis ac auditis, ut Paulus iste non solum Ephesi, sed totius fere Asiæ bonam partem verbis averterit, negans esse

esse Deos qui manibus fiant.
Ps. 115, 4. Ier. 10, 3.

27 Neque vero solum, ne hæc nobis pars confutetur, periculum est, verum etiam ne magnæ deæ Dianæ fanum pro nihilo habeatur: vel potius ne eius, quam tota Asia & orbis colit, magnitudo tollatur.

28 Hoc illi audito, furoris pleni sic clamare: Magna est Diana Ephesiorum.

29 Ita urbe repleta confusione, universi in theatrum impetum fecerunt, correpto Cajo & Aristarcho Macedonibus, Pauli peregrinationis comitibus.
Act. 20, 4. & 27, 2. Col. 4, 10.

30 Paulum autem volentem ad populum intrare, non siverunt discipuli.

31 Quidam etiam gubernatorum Asiæ, qui ei erant amici, miserunt qui eum monerent, ne se daret in theatrum.

32 Igitur aliis aliud clamantibus (erat enim confusa concio, & plerique qua de causa convenissent, nesciebant)

33 Protractus est ex turba Alexander, producentibus eum Iudæis.
Act. 12, 17. & 13, 16. & 22, 40.

34 Sed cum Alexander manu significasset, & vellet ad populum causam dicere, ubi Iudæum esse cognitum est, extitit omnium vox una per duas fere horas clamantium: Magna est Diana Ephesiorum.

35 Tum scriba, sedata turba, sic verba fecit: Viri Ephesii, quis vero est homo, qui nesciat Ephesiorum urbem cultricem esse magnæ deæ Dianæ, & a Iove delapsi simulachri?

36 His cum contradici non possit, decet vos sedatos esse, & nihil temere facere.

37 Adduxistis enim homines istos neque sacrilegos, neque in vestram deam maledicos.

38 Quod si Demetrius & eius socii, artifices, causam habent adversus aliquem, forum agitur, & adsunt proconsules: accusent inter se.

39 Si aliud quid quæritis, id legitima concione absolvetur:

40 Nam periculum est, ne seditionis accusemur ob hodiernum diem, cum nulla sit causa, qua concursus hujus rationem reddere possimus. His ille dicendis concionem dimisit.

CAP. XX.

Paulus iter in Macedoniam instituit. Troade in mediam noctem sermonem protendens. Eutychum per fenestram delapsum resuscitat. Miletum vocatis Ephesinis Presbyteris quid se & illos maneat exponit.

POst compositum tumultum, Paulus advocatis ac salutatis discipulis in Macedoniam ire contendit. 1. Tim. 1, 3.

2 Deinde peragratis illis partibus, eos multis verbis cohortatus, venit in Græciam.

3 Ubi postquam tres menses egit, & ei factæ sunt a Iudæis insidiæ in Syriam navigaturo, sententia fuit per Macedoniam reverti.

4 Comitatus est eum usque in Asiam Sopater Berrhœensis, Thessalo-

ſalonicenſium Ariſtarchus, & Secundus, & Caius Derbæus, & Timotheus: Aſiani vero Tychicus & Trophimus.

Act. 16, 1. & 19, 29. & 21, 29, & 27, 2. Col. 4, 7. 10. 1. Cor. 1, 14. Eph. 6, 21. 2. Tim. 4, 12. 20. Tit. 3, 12.

5 Hi prægreſſi manſerunt nos in Troade.

6 Nos navigavimus poſt Azymorum dies a Philippis, & ad eos in Troadem quinque diebus pervenimus, ubi ſeptem dies commorati ſumus.

7 Prima autem poſt Sabbathum die, congregatis ad frangendum panem diſcipulis, Paulus diſſerebat, profecturus poſtridie. Sup. 2, 42. 46. 1. Cor. 10, 16. & 11, 20.

8 Cumque ſermonem ad mediam noctem produxiſſet, & eſſent crebra in cœnaculo, quo convenerant, funalia,

9 Quidam juvenis, Eutychus nomine, in feneſtra ſedens, oppreſſus alto ſomno, diutius diſſerente Paulo, ſomno deturbatus decidit de tertia contignatione, & ſublatus eſt mortuus.

10 At Paulus degreſſus incubuit ei, eumque complexus, inquit: Nolite tumultuari: nam vita præditus eſt. 1. Reg. 17, 21. 2. Reg. 4, 34.

11 Deinde aſcendit, & fracto, guſtatoque pane, ac multum uſque ad diluculum collocutus, ita demum profectus eſt.

12 Atque illi puerum viventem, non mediocriter recreati, abduxerunt.

13 Nos ad navem progreſſi, Aſſum navigavimus: illinc Paulum recepturi. Sic enim mandaverat, ipſe pedibus iter facturus.

14 Poſtquam nobis ad Aſſum congreſſus eſt, nos eo recepto Mitylenem venimus.

15 Inde navigantes, poſtridie venimus contra Chium. Sequenti die in Samum appulimus, & Trogyllii morati, poſtero die venimus in Miletum.

16 Statuerat enim Paulus Epheſum præternavigare, ne ſibi mora facienda eſſet in Aſia: properabat enim, ſi fieri poſſet, ad quinquageſimæ diem Hieroſolymam venire. Act. 21, 12.

17 Ex Mileto autem curavit accerſendos Epheſo ſeniores Eccleſiæ,

18 Et eos, ubi ad ſe venerunt, ſic allocutus eſt: Vos ſcitis, ex quo primum die in Aſiam ingreſſus ſum, quomodo apud vos perpetuo verſatus ſim, Sup. 19, 10.

19 Domino ſerviens cum omni modeſtia multisque cum lachrymis ac periculis, quæ mihi per Iudæorum inſidias contigerunt:

20 Ut nihil, quod utile eſſet, detrectaverim, quo minus vos inſtituerem ac docerem, tum publice, tum intra parietes:

21 Et Iudæos & Græcos commonefaciens, ut correctis moribus ad Deum ſe converterent, & Domino Ieſu noſtro fidem haberent: Marc. 1, 15. Luc. 24, 47.

22 Et nunc ego divino conſtrictus afflatu Hieroſolymam proficiſcor, quid illic mihi ſit eventurum ignorans:

23 Ni-

23 Nisi quod Spiritus Sanctus oppidatim monet, vincula me & calamitates manere.

Act. 2,4.11.

24 Sed nihil pensi habeo, neque tanti vitam meam facio, dum cursum meum cum lætitia & assignatum mihi a Domino Iesu munus absolvam: hoc est, divinæ gratiæ Evangelium testificer.

Act. 21,13. Gal. 1, 1. Tit. 1,3.

25 Et nunc hoc quidem scio, nemo me vestrûm quos inter divinum regnum prædicans versatus sum, præsentem posthac videbit.

26 Itaque contestor vos hodierno die, me ab omnium pernicie insontem esse.

27 Nihil enim parsi, omne vobis Dei declarare consilium.

Luc. 7, 30. Ephes. 1,11.

28 Quamobrem cavete & vobis, & toti ovili, cui vos Sanctus Spiritus præposuit custodes, ut Dei pascatis Ecclesiam, quam ipse suo sanguine comparavit.

1. Petr. 5, 2. 1. Tim. 3, 1. Phil. 1, 1. Ephes. 1, 7. Col. 1, 14. 1. Petr. 1, 19.

29 Nam ego hoc compertum habeo, fore ut vos post discessum meum truces invadant lupi, qui gregi non parcant:

2. Petr. 2, 1. Matth. 7, 15.

30 Utque ex vobis ipsis existant homines, qui perverse loquantur, quo discipulos ad se sequendos abducant.

Ps. 41, 10. Matth 26, 21. Act. 1, 17. 1. Ioh. 2,19.

31 Quare vigilate, recordantes me per triennium noctes & dies unumquemque cum lachrymis admonere non intermisisse

Act. 19, 10.

32 In præsentia commendo vos, fratres, Deo & sermonis ejus gratiæ, qui vos exædificare, & inter sanctificatos omnes hæreditate donare potest.

Act. 9, 31. Eph. 1, 18.

33 Nullius argentum, aut aurum, aut vestem concupivi:

1. Sam. 12, 3. 1. Cor. 9, 12. 2. Cor. 11, 9. & 12, 13.

34 Quin ipsi vos scitis, & meis, & meorum usibus has ministrasse manus. Sup. 18, 3. 2. Cor. 4, 12. 1. Thess. 2, 9 2. Thess. 3, 8.

35 Omnia vobis ostendi, quod ita laborantes oporteat infirmis subvenire: & Domini Iesu verba meminisse, qui dare quam accipere dixit esse beatius.

1. Cor. 9, 12.

36 Hæc locutus positis genibus, cum illis omnibus supplicavit.

Act. 21, 5.

37 Magnus autem fletus exortus est omnium, inque Pauli collum illapsi, eum deosculabantur,

38 Eo maxime dolentes, quod se posthac præsentem visuros negavisset. Deduxerunt autem eum ad navem.

CAP. XXI.

Paulus Hierosolymam tendens, Cæsareæ Philippum evangelistam convenit, cujus etiam vincula prædicat Agabus. Hierosolymam cum advenisset, templum ingressus comprehenditur a Iudæis. Per Lysiam tribunum iisdem eripitur.

NOs postea quam ab eis avulsi solvimus, recto cursu venimus in Coum. Sequenti die in Rhodum, & inde Patara:

2 Navemque nacti, quæ in Phœnicem trajiceret, conscendimus ac solvimus.

3 Et detecta Cyro, eaque ad lævam relicta navigavimus in Syriam, & Tyrum appulsi sumus (ibi enim navis expositura erat onus)

4 Ac discipulos nacti, illic septem mansimus dies: qui quidem divinitus afflati, Paulum monebant, ne Hierosolymam ascenderet. Act. 20,23. & 21,12.

5 Postquam dies illos transegimus, profecti sumus, deducentibus nos omnibus una cum fœminis ac liberis, donec urbem egressi, positis genibus in littore supplicavimus.

6 Ac postquam inter nos consalutavimus, nos navem conscendimus: illi domum reversi sunt.

7 Nos expedita a Tyro navigatione, Ptolemaidem pervenimus: & salutatis fratribus, apud eos mansimus unum diem.

8 Postridie Paulus cum suis profectus, venit Cæsaream, & ingressi domum Philippi Evangelistæ, qui erat ex septem, mansimus apud eum.

Sup. 6,5. & 8,26. 40. Eph. 4,11.

9 Huic erant filiæ virgines quatuor, quæ vaticinabantur.

Ioel. 2, 28. Act. 2, 1,

10 Commorantibus autem nobis complures dies, descendit quidam ex Iudæa vates, nomine Agabus: Sup. 11, 28.

11 Qui nos aggressus, captoque Pauli cingulo, & colligatis suis manibus ac pedibus, dixit: Hæc dicit Spiritus Sanctus: Virum, cuius est hoc cingulum, sic colligabunt Hierosolymis Iudæi, & in extraneorum manus tradent.

12 His auditis, nos & incolæ hortabamur, ne Hierosolymam ascenderet.

13 Sed Paulus ita respondit: Quorsum ploratis, & animum meum angitis: Ego vero non solum colligari, sed etiam mori Hierosolymæ paratus sum pro nomine Domini Iesu.

Act. 20, 24.

14 Nos igitur, illo non obtemperante, destitimus, &, Fiat Domini voluntas, diximus.

Luc. 22, 42.

15 Post eos dies adornata profectione, Hierosolymam ascendere contendimus,

16 Comitibus discipulorum quibusdam a Cæsarea, qui ducebant, apud quem diversaremur, Mnasonem quendam Cyprium, veterem discipulum.

17 Postquam Hierosolymam pervenimus, libenter nos excepere fratres.

18 Postridie ingressus est Paulus una nobiscum ad Iacobum, adfueruntque seniores omnes,

Act. 15, 13. Gal. 5, 19.

19 Quibus ille salutatis, narravit singulatim quæ fecisset Deus apud exteras nationes suo ministerio.

20 Quibus auditis illi, actis Domino gratiis, Paulum sic alloqvuntur: Vides frater, quam multa Iudæorum millia sint, qui

qui crediderunt, & omnes Legis studiosi sunt.

Rom. 10, 2. Gal. 1, 14.

21 De te autem auditione acceperunt, te, a Mose deficiendum esse, docere omnes apud externas nationes Iudæos, negantem eis esse circumcidendos liberos, nec moribus vivendum.

22 Quid ergo est? Omnino oportet ut conveniat multitudo: audient enim venisse te.

23 Hoc igitur facito, quod nos tibi dicemus. Sunt nobis homines quatuor voto obstricti,

Num. 6, 2. & 13, 18. Sup. 18, 18.

24 Hos assume, & cum eis lustrare, & apud eos sumptum facito, ut caput tondeant, intelligantque omnes eorum quæ de te audierunt, nihil esse, sed te quoque sic te gerere, ut legi pareas.

25 Quod ad extraneos, qui crediderunt, attinet, nos scripto ad eos decrevimus, nihil tale servandum eis esse, nisi ut deastris immolata, & sanguinem, & suffocata, & stuprum vitent.

Sup. 15, 20. 29.

26 Tum Paulus, assumptis illis hominibus, sequenti die cum eis lustratus, intravit in fanum: & completos lustrationis dies nunciavit, donec oblatum est pro eorum unoquoque fertum.

Num. 6, 13. Inf. 24, 18.

27 Sed jam propemodum absolutis septem diebus, Asiatici Iudæi eum in fano conspicati, vulgus omne confundere, & injectis ei manibus clamare:

28 Viri Israelitæ, succurrite. Hic est homo ille, qui contra populum & Legem, & hunc locum, omnes ubique docet. Quin etiam Græcos in fanum introduxit, & hunc locum profanavit.

29 Viderant enim Trophimum Ephesium in urbe cum eo, quem in fanum a Paulo introductum esse arbitrabantur.

Act. 20, 4. 2. Tim. 2, 20.

30 Ita commota urbe tota, & facto populi concursu, capitur Paulus, & extra fanum trahitur ac statim clauduntur fores.

Inf. 26, 21.

31 Conantibus autem eum interficere, ascendit ad cohortis tribunum fama, totam Hierosolymam esse confusam:

32 Qui confestim ascitis militibus ac centurionibus, in eos decurrit. Illi viso Tribuno ac militibus, Paulum pulsare desierunt.

33 Tribunus accessit, eumque comprehendit, ac duabus constringi catenis imperavit, & quisnam esset, quidve commisisset, scisitatus est. Supr. v. 11.

34 Sed cum aliis aliud in turba clamantibus, certum scire propter tumultum nequiret, jussit eum in castra duci.

35 Ut ventum est ad gradus, accidit ut a militibus gestaretur Paulus: tanta erat turbæ violentia.

36 Sequebatur enim populi multitudo, clamans: Tolle eum.

Luc. 23, 23. Ioh. 19, 15. Act. 22, 12.

37 Et Paulus jam in castra introducendus, sic Tribunum alloquitur: Licet ne mihi tecum loqui? Et ille; Scis ne Græce? inquit.

38 Tu ne es Ægyptius ille, qui superioribus diebus concitata seditione eduxit in solitudinem illa sicariorum quatuor millia?

39 At Paulus: Ego homo sum Iudæus Tarsensis, civis non obscuræ Ciliciæ civitatis. Sed oro te, permitte mihi ad populum loqui.

Act. 9, 11. 30. & 22, 3.

40 Cumque ille permisisset, Paulus stans in gradibus populo manu significavit: factoque alto silentio, Hebraico sermone orationem habuit his verbis:

Act. 12, 17. & 13, 17. & 19, 33.

CAP. XXII.

Paulum rationem fidei suæ reddentem, aliquandiu Iudæi audiunt. Illis vero clamantibus, virgis examinari jussus Romanum civem se esse declarat.

HOmines fratres & patres, audite meam hanc ad vos defensionem.

2 Hic illi eum Hebræa lingua verba facientem audientes, majus silentium præstiterunt.

3 Et ille: Ego, inquit, homo Iudæus sum, Tarsi in Cilicia natus, in hac urbe educatus ad pedes Gamalielis, patria lege accurate institutus, Dei cupidus, quemadmodum vos omnes estis hodie:

Act. 9, 11. & 21, 39. 2. Cor. 11, 22. Act. 5, 34. Gal. 1, 14. Rom. 10, 2.

4 Qui hanc institutionem sum capitaliter insectatus, viros simul & mulieres constringendo, & in carcerem condendo,

Act. 8, 3 & 9, 1. & 26, 9. 1. Cor. 15, 9. Gal. 1, 13. 1. Tim. 1, 13.

5 Testis est mihi pontifex, & Senatus universus, a quibus etiam epistolas ad fratres acceperam, & Damascum ibam, ut eos quoque qui illic essent, vinctos Hierosolymam adducerem ad supplicium.

Supr. 9, 2. & 26, 12.

6 Sed accidit, ut euntem me, & Damasco propinquantem, circa meridiem multa repente lux de cœlo circumfulserit:

Act. 9, 3. & 26, 12. 1. Cor. 15, 8. 2. Cor. 12, 2.

7 Et collapsus ad terram, vocem audiverim dicentem mihi: Saule, Saule, quid me persequeris? Inf. 26, 14. 15.

8 Ego respondi: Quis es, Domine? Atque ille: Ego sum Iesus Nazarenus, inquit, quem tu persequeris?

9 Qui autem mecum aderant, lucem aspexerunt illi quidem, & territi sunt: sed vocem non audiverunt alloquentis me.

Sup. 9, 7. Dan. 10, 7.

10 Tum ego: Quid agam, Domine? Et Dominus: Surge, inquit, & proficiscere Damascum: illic tibi dicentur omnia, quæ tibi facienda esse statutum est.

11 Ego cum præ lucis illius splendore non viderem: manu ductus a meis comitibus, veni Damascum.

12 Ananias autem quidam, vir secundum legem pius, omnibus incolis Iudæis probatus venit ad me, Act. 9, 17.

13 Et astans mihi: Saule, frater, inquit, aspice. Et ego eodem temporis vestigio eum aspexi.

14 At-

14 Atque ille, Deus majorum nostrorum, inquit, te ad voluntatem suam cognoscendam destinavit, & ad justum videndum, vocemque ex ejus ore audiendam:

Act. 26, 16. & 3, 14. & 7, 52.

15 Quoniam ei testis futurus es apud omnes homines, eorum quæ & videris & audieris.

16 Quocirca quid cunctaris? Age dum, baptizare, & tua peccata elue, invocato nomine Domini.

Matth. 3, 11. Marc. 1, 4. Luc 3, 3.

17 Reverso autem mihi Hierosolymam, & in fano supplicanti, accidit ut extra meipsum raptus, Act. 9, 26.

18 Viderem eum mihi dicentem: Propera, & Hierosolyma celeriter exi: non enim admittent tuum de me testimonium,

19 Et ego: Domine, inquam, sciunt ipsi, ut ego solitus sim in custodiam dare, & per Synagogas verberare eos qui tibi fidem haberent:

Act. 22, 4.

20 Utque cum tui testis Stephani sangvis effunderetur, ego adessem, & in ejus necem consentirem, vestimenta custodiens eorum, qui eum interficiebant.

Supr. 7, 58. & 8, 1.

21 At ille: Vade, inquit: nam ego te ad longinquas gentes legabo.

Act. 9, 15. & 13, 2. Gal. 1, 15. & 2, 8. Eph. 3, 8. 1. Tim. 2, 7. 2. Tim. 1, 11.

22 Ad hæc usque verba eum illi audiverunt, & hic clamorem sustulerunt: Tolle istum ex terris, inquiunt: non enim convenit eum vivere. Act. 21, 36.

23 Ita vociferantibus illis, & vestimenta jactantibus, ac pulverem in aerem jacientibus,

24 Iussit eum Tribunus in castra duci, & de eo loris quæstionem haberi imperavit, ut cognosceret, quam ob causam illi sic ei occlamarent.

25 Sed dum ille loris eum constringit, Paulus eum qui aderat centurionem sic alloquitur: An hominem Romanum, eumque indemnatum, licet vobis verberare? Act. 16, 37.

26 Hoc auditum centurio Tribuno nunciatum ivit: Vide, inquit, quid sis acturus: nam hic homo Romanus est.

27 Tum eum aggressus Tribunus: Dic mihi, inquit, es ne Romanus? Etiam, inquit ille.

28 Et Tribunus: Ego magno precio istius civitatis jus redemi. Cui Paulus: At ego natus sum.

29 Hic statim eum omiserunt qui erant de eo quæstionem habituri: Tribunus quoque territus est, cum Romanum esse intelligeret, & eum colligasset.

30 Postero die volens certo scire, qua de re a Iudæis accusaretur, solvit eum vinculis: & pontificibus una cum toto eorum concilio venire jussis, Paulum deduxit, & apud eos statuit.

CAP. XXIII.

Paulum causam dicentem Ananias percuti jubet. Dissensio inter ipsos accusatores oritur. Consolatur DEUS Paulum. De Iudæorum insi-

insidiis Tribunus certior factus Paulum Felici præsidi mittendum curat.

ET Paulus in concilium intuens, Viri fratres, inquit, ego me ad hunc diem sic erga Deum gessi, ut optime mihi conscius sim.

Act. 24, 16. 2. Tim. 1, 3.

2 At Pontifex Ananias eis qui ei astabant imperavit, ut ejus os percuterent.

1. Reg. 22, 24. Ier. 20, 2. Ioh. 18, 22.

3 Tum Paulus: Percussurus est te Deus, inquit ei, paries incrustate. Ergo tu sedes, ut de me ex lege judices, & contra legem pulsari me jubes?

Lev. 19, 35. Deut. 17, 4. 9. & 25, 12.

4 Hic assistentes dixerunt: Pontifici divino conviciaris?

5 Et Paulus: Nesciebam, fratres, inquit, esse pontificem: Scriptum est enim: Principi populi tui ne maledicito.

Exod. 22, 28.

6 Intelligens autem Paulus unam partem esse Sadducæorum, alteram Pharisæorum, vociferatus est in concilio: Viri fratres: Ego Pharisæus sum, Pharisæi filius: speratæ resurrectionis mortuorum sum reus.

Inf. 24, 15. 21. & 26, 5. 6. Phil. 3, 5.

7 Hoc eo locuto, orta est Pharisæorum & Sadducæorum contentio, divisaque multitudo est:

8 Sadducæi enim resurrectionem, aut Angelum, aut spiritum esse negant: At Pharisæi utrumque confitentur. Matth. 22, 23. Marc. 12, 18. Luc. 20, 27.

9 Hic exorto ingenti clamore, surrexerunt Scribæ, qui erant Pharisaicarum partium, & pugnantes dixerunt: Nullum in hoc homine malum invenimus. Quod si eum spiritus est aut Angelus allocutus, ne pugnemus cum Deo.

Act. 5, 39. & 22, 7. 17. 18. & 25, 25. & 26, 31.

10 Ita magna exorta contentione, veritus Tribunus, ne Paulus ab illis discerperetur, jussit exercitum descendere, eumque e medio illorum abreptum in castra ducere.

11 Proxima nocte astans ei Dominus dixit: Bono animo es Paule: ut enim de me Hierosolymæ testificatus es, sic tibi Romæ quoque testificandum est.

Act. 18, 9.

12 Deinde orta die conspirarunt Iudæi quidam, & sese devoverunt, si vel cibum vel potionem caperent, quin Paulum interfecissent.

Inf. v. 20. 30. Matth. 26, 74.

13 Erant autem plus quadraginta, qui hanc conjurationem fecerant,

14 Qui Pontifices & Senatores hujusmodi oratione convenerunt: Diris nos ipsos egimus, si quid gustaremus, quin Paulum occiderimus.

15 Quamobrem vos Tribuno & concilio significate, ut cras eum ad vos deducant, ut de eo cognituros exactius. Nos vero antequam sistatur, parati sumus eum perimere.

16 Has

16 Has insidias sororis Pauli filius audivit, & venit in castra, ac eo ingressus rem Paulo retulit.

17 Et Paulus advocato uno centurione, sic ei dixit: Hunc adolescentem ad Tribunum deducito; habet enim quod ei referat.

18 Ille igitur eo assumpto, & ad Tribunum ducto, sic Tribuno dixit: Paulus is, qui est in vinculis, evocatum me rogavit, ut hunc adolescentem ad te adducerem habentem aliquid, tibi quod dicat.

19 Et Tribunus eo manu prehenso, ac in secretum ducto, percontatus est quid esset, quod sibi nunciandum haberet.

20 Cui ille sic retulit: Constituerunt Iudæi rogare te, ut cras in concilium deducas Paulum, quasi aliquid diligentius de eo interrogaturi, Sup. v. 12.

21 Tu vero eis obsequi noli: nam insidiantur ei ex eis homines supra quadraginta: qui sese devoverunt, si vel comederent vel biberent, quin eum interemissent. Et nunc parati, tuum mandatum expectant.

22 Igitur Tribunus adolescentem dimisit, cum mandato, ne cui ea se Tribuno declarasse diceret.

23 Deinde evocatos duos quosdam centuriones alloquitur: Parate milites ducentos, qui Cæsaream proficiscantur: item equites septuaginta, & hastatos ducentos, ad noctis horam tertiam:

24 Adhibitis etiam jumentis, ut eo impositum Paulum ad Felicem prætorem perducant.

25 Scripsit autem epistolam, cujus exemplum est hoc:

26 Claudius Lysias præstantissimo prætori Felici salutem.

27 Hunc virum cum Iudæi comprehendissent, & interfecturi essent, ego cum exercitu superveni, & eum eripui, ac Romanum esse didici:

Act. 21, 33.

28 Volens autem scire, quam ob causam illi eum accusarent, deduxi eum in eorum concilium,

29 Et de quæstionibus Legis eorum accusari comperi, nec ullius criminis insimulari, quod morte sit aut vinculis dignum.

30 Cum autem esset indicatum mihi, fore ut Iudæorum appeteretur insidiis ad te continuo misi, & simul accusatoribus, ut contra eum apud te dicerent, præcepi. Vale.

31 Igitur milites, ut eis mandatum fuerat, assumptum Paulum noctu duxerunt Antipatridem.

32 Postridie siverunt equites cum eo proficisci, ipsi in castra reversi sunt.

33 Equites Cæsaream ingressi, epistola prætori tradita, Paulum quoque ei stiterunt.

34 Prætor ea lecta, sciscitatus ex qua esset provincia? ubi ex Cilicia, audivit,

35 Ita dixit: Audiam te, ubi quoque accusatores venerint, eumque in Herodis prætorio jussit asservari.

Cap.

CAP. XXIV.

Tertullo accusante Paulus pro se causam dicit. Præsidi, & ejus uxori Christum annunciat. Speratam pecuniam, cum frustra Felix expectasset, provincia decedens, vinctum Paulum relinquit.

POst quinque dies descendit Pontifex Ananias cum Senatoribus, & oratore Tertullo quodam, qui apud Prætorem contra Paulum comparuerunt. Act. 23, 2.

2 Quo vocato, Tertullus sic accusare orsus est:

3 Quod multa pace per ter fruimur, quodque tua providentia hæc natio recte administratur, id & semper & ubique approbamus, præstantissime Felix, & maximas agimus gratias.

4 Sed ne te diutius obtundam, quæso ut nos pro tua æquitate, paucis audias.

5 Nos hominem hunc nacti pestilentem, & seditiones omnibus toto orbe Iudæis moventem, ac sectæ Nazaræorum principem,

6 Eo usque ut etiam fanum prophanare conatus sit, comprehendimus, & ex lege nostra judicare voluimus: Act. 21, 28.

7 Sed intervenit Lysias Tribunus, qui eum magna vi ex manibus nostris abduxit,

8 Iussitque ut ejus accusatores apud te adessent: ex quo poteris, si quæres, certior fieri de omnibus his, quibus nos eum accusamus.

9 Ad hæc assenserunt etiam Iudæi, hæc sic se habere dicentes.

10 Tum Paulus, cum ei prætor annuisset, ut diceret, respondit in hanc sententiam: Quod te multos jam annos huic genti jus dicere scio, equidem eo confidentius pro me dico,

11 Quod tu intelligere possis, me non plures duodecim complevisse dies, ex quo Hierosolymam ad Deum adorandum ascendi.

12 Neque vero me in fano deprehenderunt cum aliquo colloquentem, aut vulgi seditionem facientem: nec in Synagogis, nec per oppida: Act. 25, 8. & 28, 17.

13 Nec me eorum possunt convincere, de quibus accusant.

14 Illud autem apud te confiteor, me, ut fert institutio, quam sectam dicunt, sic Deum colere patrium, & omnia credere, quæ in Lege & vatibus scripta sunt,

15 Ac in Deo spem habere (id quod isti ipsi quoque expectant) resurrectionem foremortuorum, tum justorum, tum injustorum. Dan. 12, 2. Ioh. 5, 28. 29.

16 Atque equidem in eo me exerceo, ut intemerata conscientia, & apud Deum semper & apud homines sim præditus. Act. 23, 1.

17 Veneram autem post annos complures, ut popularium meorum egestatem muneribus allevarem, & ferta obmoverem: Supr. 11, 29. Gal. 2, 10. Rom. 15, 25.

18 Cum me in fano lustratum offenderunt, nulla cum turba aut tumultu. Sup. 21, 26. 27.

19 Ii

19 Ii sunt quidam ex Asia Iudæi,
20 Quos apud te præsto esse accusareque decebat, si quid haberent contra me.
21 Aut etiam isti ipsi dicant, si quod deprehenderunt in me crimen, dum asto in concilio:
Supr. 23, 6. & 28, 20.
22 Nisi forte criminosa est hæc una vox, qua sic inter eos astans vociferatus sum: De mortuorum resurrectione ego a vobis hodie reus agor.
23 His auditis Felix amplius pronunciavit, eam institutionem satis perspectam habens: Cum descenderit Lysias Tribunus, inquit, cognoscam de vestra causa:
24 Præcepitque Centurioni, ut asservaretur Paulus, & remissius haberetur, neque quisquam suorum ei ministrare, aut adire prohiberetur. Act. 27, 3. & 28, 16.
25 Post aliquot dies advenit Felix cum Drusilla uxore sua, quæ erat Iudæa, & accersitum Paulum audivit de fide in Christum.
26 Ac eo de justitia, & continentia, & futuro judicio differente, territus Felix, dixit: In præsentia abi: ego tempus nactus evocabo te.
27 Accedebat eo, quod pecuniam sibi a Paulo datum iri sperabat, ut eum solveret. Ideoque eum sæpius accersens, cum eo confabulabatur.
28 Peracto autem biennio, accepit successorem Felix Portium Festum. Itaque volens gratum facere Iudæis, Paulum vinctum reliquit. Act. 25, 14.

CAP. XXV.

Festus succedens, jubet Paulum adduci. Paulus Cæsarem appellat. Festus Agrippæ regi negotium Pauli exponit, eundemque illi sistit, ut causam cognoscat.

FEstus provinciam ingressus, post triduum Cæsarea Hierosolymam ascendit:
2 Seque apud eum stiterunt Pontifex, & Iudæorum primi, contra Paulum.
3 Contra quem a Festo beneficii loco postulabant, ut eum Hierosolymam accerseret: in animo habentes, eum in via per insidias occidere.
4 Festus respondit, Paulum Cæsareæ asservari, se vero brevi profecturum.
5 Quapropter qui vestrum possunt, inquit, simul descendant: & si quid in hoc homine criminis est, accusent.
6 Deinde postquam apud eos supra decem dies egit, Cæsaream descendit: & postridie pro tribunali sedens, Paulum jussit adduci.
7 Qui postquam advenit, circumstetterunt, qui Hierosolymis descenderant Iudæi, multa & atrocia Paulo crimina impingentes, quæ demonstrare non poterant:
8 Illo se nec in Iudæorum legem nec in fanum, nec in Cæsarem quicquam peccasse defendente.
Act. 24, 12. & 28, 17.
9 Festus autem volens Iudæis gratificari, dixit Paulo: Vis Hierosolymam ascendere, & ibi de his causam apud me dicere?
10 At

10 At Paulus: Ad Cæsaris tribunal, inquit, asto, ubi me causam dicere decet. Iudæis nullam feci injuriam, ut tute pulchre scis.

11 Nam si sum nocens, & aliquid morte dignum commisi, quo minus moriar non recuso. Sin nihil eorum est, de quibus hi me accusant, nemo me eis condonare potest. Cæsarem appello. Act. 18, 14.

12 Tum Festus cum concilio collocutus, respondit: Cæsarem appellasti, ad Cæsarem ibis.

13 Deinde præteritis aliquot diebus, Agrippa Rex, & Berenice, Cæsaream venerunt, salutaturi Festum.

14 Qui dum ibi complures morantur dies, Festus regi negotium Pauli exposuit. Est vir quidam, inquit, a Felice relictus in vinculis, Act. 24, 27.

15 De quo me, postquam Hierosolymam veni, compellarunt Pontifices senatoresque Iudæorum, eum poscentes ad supplicium.

16 Quibus ego respondi, non esse Romanis morem, hominem ullum ad necem condonare, priusquam reus præsentes habuerit accusatores, & locum sui contra criminationem defendendi obtinuerit. Deut. 17, 4.

17 Cum igitur illi huc convenissent, ego nulla interposita mora, postridie pro tribunali sedi, & hominem adduci imperavi.

18 Cui cum præsto essent accusatores, nullum crimen inferebant, cujusmodi opinatus eram:

19 Sed quæstiones quasdam de superstitione sua contra eum habebant, & de quodam Iesu mortuo, quem Paulus vivere dicebat.

20 Ego de hujusmodi quæstione dubitans, quæsivi an Hierosolymam proficisci vellet, & illic de his causam dicere.

21 Sed Paulus ut ad Augusti cognitionem servaretur, appellavit. Et ego jussi, ut asservaretur, donec eum mittam ad Cæsarem.

22 Tum Agrippa ita Festo dixit: Vellem ego quoque hominem audire. Et ille: Cras, inquit, audies eum.

23 Igitur postridie Agrippa & Berenice multo cum apparatu veniunt, & in auditorium intrant una cum Tribunis, & excellentibus in civitate viris. Et Festus, adducto jussu ejus Paulo, sic locutus est:

24 Agrippa Rex, & omnes viri qui apud nos adestis, videtis hunc, de quo me omnis Iudæorum multitudo, & Hierosolymis, & hic interpellavit, vociferans, eum vivere amplius non debere.

25 Ego cum eum nihil capitale admisisse comperissem, & ipse ad Augustum provocasset, statui mittere. Act. 23, 9. & 26, 31.

26 Tametsi quid certum de eo scribam ad dominum, non habeo. Ea de causa produxi eum ad vos, & maxime ad te, Rex Agrippa, ut re disquisita, habeam quod scribam.

27 Absurdum enim mihi videtur, mittere vinctum, nec quæ ei crimina imponantur, significare.

Cap.

CAP. XXVI.

Paulus coram Agrippa, vitam actam a juventute, vocationemque suam, tanta autoritate exponit, ut etiam regis animum nonnihil flecteret, sed re infecta discedunt proceres.

HIc Paulum sic alloquitur Agrippa: Liberum est tibi pro te ipso dicere. Tum Paulus porrecta manu seipsum defendit:

2 Quod omnia, de quibus a Iudæis postulor, hodie sum apud te, Rex Agrippa, defensurus,

3 Qui sis omnium Iudaicarum consuetudinum, ac controversiarum vel in primis peritus, equidem beatum me duco. Quamobrem oro te, ut me æquo animo audias.

4 Ac meam quidem ab ineunte ætate vitam, quæ ab initio Hierosolymis inter meos populares acta est, norunt omnes Iudæi,

5 Iam diu scientes (modo velint fateri) me ex exactissima religionis nostræ secta vixisse Pharisæum.

Act. 23, 6. Phil. 3, 5.

6 Et nunc sto reus speratæ repræsentationis eorum, quæ majoribus nostris a Deo promissa sunt.

Gen. 3, 15. & 22, 18. & 26, 4. & 49, 10. Deut. 18, 15. 2. Sam. 7, 12. Ps. 132, 11. Es. 4, 2. & 7, 14. & 9, 5. & 40, 10. Ier. 23, 5. & 33, 14. Ezech. 34, 23. & 37, 24. Dan. 9, 24. Mich. 7, 20. Act. 24, 15. 21.

7 Quo quidem se perventuras duodecim tribus nostræ, Deum noctes diesque assidue colendo, sperant. De hac spe accusor, Rex Agrippa, a Iudæis.

8 Ita-ne incredibile apud vos judicatur, mortuos a Deo excitari?

9 Equidem statueram multa mihi contra Iesu Nazareni nomen esse facienda. Act. 8, 3. & 9, 1. & 22, 4. 1. Cor. 15, 9. Gal. 1, 3. 1. Tim. 1, 13.

10 Ita que feci Hierosolymis, multosque sanctorum ego in custodias inclusi, accepta a Pontificibus potestate, & interficiendos mea sententia damnavi.

Supr. 8, 3.

11 Quin eos per omnes Synagogas tormentis sæpe cogebam impie loqui: jamque immodice in eos furens, persequebar etiam ad exteras urbes.

12 Ac aliquando proficiscens Damascum, cum potestate mihi a Pontificibus permissa,

Sup. 9, 2. & 22, 6.

13 Die medio, Rex, in itinere vidi de cœlo solis splendore majus lumen, quod me meosque comites circumfulsit.

Supr. 9, 3.

14 Ac nobis omnibus ad terram collapsis, vocem audivi affantem me, & Hebræo sermone dicentem, Saule, Saule, quid me persequeris? Durum tibi fuerit contra stimulos calcitrare.

15 Tum ego: Quis es, inquam, Domine? Et ille: Ego sum Iesus, quem tu persequeris:

16 Verum surge, & consiste in pedes. Nam eo tibi apparui, ut te & ministrum, & testem constituam eorum, quæque videris, quæque tibi demonstrabo.

17 Vindicando te a populo & gentibus, ad quas nunc te mitto,

18 Ad eorum oculos aperiendos: ut ex tenebris in lucem, & ex Satanæ potestate ad Deum se convertant, & ita peccatorum veniam, & eandem cum eis sortem consequantur, qui fide mihi habenda sancti facti fuerint.

Es. 35, 5. & 42, 7. & 60, 1. Ephes. 1, 18. Col. 1, 13. 1. Petr. 2, 25.

19 Nec ego, rex Agrippa, cœlesti visioni non fui dicto audiens:

20 Quin primum eis qui Damasci erant, & Hierosolymis, perque omnem Iudææ agrum nec non ipsis extraneis denunciarem, ut vitam corrigerent, & ad Deum se converterent, ac vitæ correctione digna facerent.

Sup. 9, 20. 28. & 13, 14. & 22, 17. 21. Matth. 3, 8.

21 His de causis Iudæi me in fano comprehensum conabantur interficere: Supr. 21, 30.

22 Sed divino præsidio ad hunc usque diem steti, infimos iuxta ac summos commonefaciens: neque quicquam extra ea dicens, quæ tum cæteri vates, tum Moses, futura ante denunciarunt:

23 Videlicet supplicio afficiendum Christum, primumque ex mortuis in vitam revocatum, lucem populo & gentibus nunciaturum. Sup. v. 18. 1. Cor. 15, 20. Col. 1, 18. Apoc. 1, 5. Luc. 2, 32.

24 Hæc eo defendente, Festus magna voce dixit: Insanis, Paule: nimiæ te literæ ad insaniam redigunt.

25 At ille: Non insanio, inquit, præstantissime Feste, sed vera & sana verba profero.

26 Scit hæc rex, ad quem eo confidentius loquor, quod eum nihil horum latêre persuasum habeo. Nec enim hoc in angulo gestum est.

Ioh. 18, 20.

27 Credis, Rex Agrippa, vatibus? Credis, scio.

28 Et Agrippa Paulo: Propemodum mihi persuades, ut Christianus fiam.

29 Et Paulus: Deum precor, inquit, ut & propemodum & plane non solum tu, sed etiam omnes qui me audiunt, hodie tales fiant, qualis ego sum, exceptis his vinculis. 1. Cor. 7, 7.

30 Hæc eo locuto surrexit rex, & prætor, & Berenice, & eorum assessores:

31 Et digressi loquebantur inter sese, eum hominem nihil morte aut vinculis dignum facere.

Act. 23, 9. & 25, 25.

32 Agrippa vero Festo dixit, eum hominem absolvi posse, nisi Cæsarem appellasset.

CAP. XXVII.

Paulo periculosam navigationem præmonenti non creditur, diu ventis undique jactati naufragium faciunt: omnes tamen salvi in terram evadunt.

UT autem nos in Italiam navigare decretum est, traditus est Paulus, & alii quidam vincti, centurioni, nomine Iulio, cohortis Augustæ: Act. 25, 12.

2 Et conscensa nave Adramitina secundum Asiæ loca navigaturi

turi solvimus, comitante nos Aristarcho Macedone Thessalonicensi. 2. Cor. 11, 25.
Act. 19, 29. & 20, 4. Col. 4, 9.

3 Postridie ad Sidonem appulsi sumus: & Iulius Paulo humane usus, permisit ei amicos adire, qui eius curam gererent.
Act. 24, 23. & 28, 16.

4 Inde postquam solvimus, subter Cyprum navigavimus, quod erant venti contrarii.

5 Ac navigato Cilico Pamphylioque pelago, Lyciæ Myram appulimus.

6 Et ibi nactus Centurio navem Alexandrinam, quæ in Italiam navigaret, eo nos imposuit.

7 Postquam autem compluribus diebus tarde navigantes, ægre in eum locum, qui est secundum Cnidum, venissemus, obstante nobis vento, subter Cretam secundum Salmonam navigavimus:

8 Eamque ægre præterlati, venimus in quendam locum, nomine Pulchros portus, prope quem urbs erat Lasæa.

9 Iam vero satis multo tempore transacto, cum esset jam periculosa navigatio, quod tranquillitas præteriisset, monebat Paulus eos hujusmodi verbis:

10 Viri, video cum detrimento, gravique non solum oneris & navigii, verum etiam nostræ vitæ jactura fore navigationem.

11 At Centurio magis gubernatori & naviculario, quam Pauli dictis obtemperabat.

12 Ac quod erat portus ad hyberna parum accommodatus, plerique consilium ceperunt, illinc quoque solvere, si forte possent in Phœnicen appulsi hybernare, qui portus est Cretæ, spectans ad Africum & ad Corum.

13 Itaque aspirante Austro, arbitrati se propositum assecutos, Assum prætervecti Cretam præterferebantur.

14 Verum haud multo post in eam verticosus ventus impegit, qui Euroaquilo vocatur.

15 Ita cum correptum navigium contra ventum tendere non posset, cessimus: atque ita ferebamur.

16 Cumque subter parvam quandam insulam, nomine Claudam, cursum tenuissemus, vix scapham tenere potuimus:

17 Qua subducta, adjumentis utebantur, succingentes navem: ac ne in Syrtim inciderent metuentes, demissa scapha sic ferebantur.

18 Sed quia vehementi tempestate jactabamur, altero die jactura facta est:

19 Tertio die nos nostris manibus armamenta navis ejecimus.

20 Verum neque Sole, neque stellis complures jam dies apparentibus, & tempestate non mediocri incumbente, cætero spes omnis salutis nostræ sublata erat.

21 Cum autem multa esset inedia, Paulus in eorum medio astans, sic locutus est: Decebat quidem, ô viri, obtemperantes mihi, a Creta non solvere, & hoc detrimentum damnumque lucrari.

22 Nunc tamen moneo vos, ut bono sitis animo : nam nullius nostrûm vitæ jactura fiet, sed tantum navigii.

23 Astitit enim mihi hac nocte Dei, cujus sum, quemque colo, Angelus,

24 Et ita dixit : Ne metue, Paule, ad Cæsarem te sisti oportet : ac scito, tibi Deum omnes tecum navigantes condonasse.

25 Quamobrem bono este animo, viri, confido enim Deo, ita fore quomodo mihi promissum est.

26 Oportet autem nos in aliquam insulam ejici.

Act. 28, 1.

27 Deinde ubi quarta decima nox venit, cum in Adria agitaremur, sub noctem mediam nautæ, quod sibi ad aliquam terram accedere videbantur,

28 Demisso perpendiculo nautico, invenerunt ulnas viginti. Deinde paululum progressi, & iterum contati, invenerunt ulnas quindecim.

29 Ac ne in aspera loca inciderent veriti, jactis de puppi quatuor anchoris, optabant oriri diem.

30 Sed cum nautæ ex navi effugere conarentur, & scapham in mare demisissent, quasi qui ex prora anchoras extensuri essent,

31 Paulus Centurioni & militibus dixit : Nisi hi manserint in navi, vos evadere non potestis.

32 Tum milites scaphæ funes absciderunt, eamque delabi siverunt.

33 Interea dum dies appetit, Paulus omnes ut cibum caperent, cohortabatur : Hic decimus quartus dies agitur, inquit, cum expectantes jejuni permanetis, nihilque sumpsistis.

34 Itaque vos, ut cibum capiatis, exhortor : Hoc enim ad vestram salutem pertinet. Nam nullius vestrûm vel pilus ex capite cadet. Matth. 10, 30. Luc. 12, 7. & 21, 18.

35 His dictis sumptum panem, actis in omnium conspectu Deo gratiis, fregit, ac comedere cœpit. 1. Sam. 9, 13. Ioh. 6, 11. 1. Tim. 4, 3.

36 Tum omnes alacres redditi, ipsi quoque cibum ceperunt.

37 Eramus autem in navi capita in summa ducenta septuaginta sex. Act. 2, 41. & 7, 14. Rom. 13, 1. 1. Pet. 3, 20.

38 Deinde cibo satiati, navem exonerarunt, jacto in mare frumento.

39 Orta die, terram non agnoscebant : sed sinum quendam animadvertebant, qui littus habebat, in quod cogitabant, si fieri posset, navem appellere.

40 Itaque detractas anchoras permiserunt in mare : simulque laxatis gubernaculorum scalmis, & sublato ad flatum velo, tendebant ad littus.

41 Sed in locum bimarem delati, navem illiserunt, ita ut affixa prora maneret immobilis, puppis undarum vi solveretur.

2. Cor. 11, 25.

42 Militum autem consilium fuit, ut vinctos occiderent, ne quis enatando effugeret.

43 Sed Centurio Paulum servare volens, eos illo consilio prohibuit,

hibuit, jussitque, ut qui nare posset, primi se jacerent, & ad terram evaderent:

44 Cæteri partim in tabulis, partim in quavis re ex navi. Atque ita factum est, ut omnes in terram evaderent incolumes.

CAP. XXVIII.

Barbarorum humanitas erga naufragos. Paulus viperam manu tollit illæsus. Publium & alios sanat. Melita solventes Romam perveniunt. Paulus Iudæis causam suam exponit. Iesum docet biennio.

ELapsi autem, tum demum intellexerunt, insulam Melitam vocari. Act. 27. 26.

2 Barbari vero non vulgari humanitate erga nos usi sunt: Nam accenso igne, nos omnes juverunt propter instantem pluviam, & propter frigus, Rom. 1,14. 1.Cor.14,11.Col. 3,12.

3 Cum Paulus autem multum sarmentorum collegisset, ac igni imposuisset, vipera propter calorem egressa, ejus manum invasit.

4 Et Barbari, ut pendentem de ejus manu bestiam viderunt, dicebant inter se: Omnino homicida est hic homo, quem ex mari servatum, fas vivere non sinit.

5 At ille excussa in ignem bestia, nihil mali passus est, Marc. 16, 18. Luc. 10, 19.

6 Illis futurum expectantibus ut arderet, aut subito mortuus concideret: Sed postquam diutius expectantes, nihil incommodi ei vident accidere, mutati dicebant esse Deum. Act. 14,11.

7 Erant autem iis in locis prædia primo insulæ, nomine Publio, qui nos acceptos triduum benigne tractavit hospitio.

8 Accidit autem, ut Publii pater, febribus & torminibus laborans decumberet: ad quem ingressus Paulus, ac comprecatus, impositis illi manibus, eum sanavit. Iac. 5, 14.15.

9 Quo facto, cæteri quoque, qui morbis in insula tenebantur, accedebant, ac curabantur:

10 Qui nos etiam multis honoribus prosecuti sunt, & solventibus necessaria subministrarunt.

11 Post tres menses solvimus in navi Alexandrina, quæ in ea insula hyemaverat, insignita Castoribus:

12 Et Syracusas appulsi, illic mansimus triduum.

13 Inde circuitu pervenimus Regium: Et post unum diem, orto Austro, altero die venimus Puteolos:

14 Ubi fratres nacti, exorati sumus, ut apud eos maneremus septem dies, & ita Romam venimus.

15 Unde fratres, cum de nobis audivissent, nobis obviam prodierunt usque ad Appium forum & tres tabernas. Quibus visis, Paulus actis Deo gratiis, sumpsit fiduciam.

16 Postquam Romam venimus, Centurio vinctos Præfecto castrorum tradidit. Paulo autem permissū est, ut solus cum custode milite maneret. Act.24,23.& 27,3.

17 Post triduum convocavit Paulus Iudæorum primos, eosque postquam convenerunt, sic allocu-

allocutus est; Viri fratres, ego quamvis nihil contra populum patriosve mores fecissem, vinctus Hierosolymis traditus sum in manus Romanorum,

Act. 21, 33. & 24, 12. 13. 14. & 25, 8.

18 Qui me examinatum volebant absolvere, quod nullum in me foret capitale crimen:

Act. 22, 24. & 24, 10. & 25, 8. & 26, 31.

19 Sed contradicentibus Iudæis, coactus sum appellare Cæsarem, non ut qui aliquid haberem, quod populares meos accusarem. Act. 25, 11.

20 Hanc igitur ob causam vos advocavi, ut viderem & alloquerer. Nam causa spei Israelitarum hac catena circumdatus sum.

Act. 23, 6. & 24, 21. & 26, 6. 7. 29. Eph. 6, 20. 2. Tim. 1, 16.

21 Et illi: Nos quidem, inquiunt, neque literas de te accepimus ex Iudæa, neque fratrum quisquam advenit, qui aliquid sinistrum de te nunciaverit, aut dixerit.

22 Cæterum, vellemus ex te audire, quæ sentias. Nam de ista quidem secta notum est nobis, ei ubique contradici.

Act. 24, 5. 14.

23 Ac dicto ei die, venerunt ad eum in hospitium complures: quibus ille disserebat, divinum regnum testificans, & eis de Iesu ex Mosis lege & vatibus a mane ad vesperam persuadere conans.

Act. 26, 6.

24 Et aliis quidem oratione persuadebatur, alii non credebant.

Act. 17, 4.

25 Cumque inter sese discordes essent, discedebant, Paulo unum verbum locuto, videlicet: Recte allocutus est Spiritus Sanctus per Esaiam vatem majores nostros,

26 Dum ait: Adi populum istum, & dicito: Audietis quidem, sed non intelligetis: & aspicietis, sed non perspicietis.

Es. 6, 9. Ezech. 12, 2. Matth. 13, 14. Marc. 4, 12. Luc. 8, 10. Ioh. 12, 40. Rom. 11, 8.

27 Torpet enim animus illius populi, & auribus obtuse audiunt, & occlusos habent oculos, ne oculis videant, & auribus audiant, & animo intelligant ac mutentur, atque ita eos sanem.

28 Quapropter hoc vobis notum esto, missam extraneis esse divinam salutem, qui etiam audient.

Act. 13, 14. 46. & 18, 6. Luc. 24, 47.

29 His ab eo dictis, abierunt Iudæi, multam habentes inter sese contentionem:

30 Mansit autem Paulus totum biennium in conducto privatim, atque omnes admittebat, qui eum adibant.

31 Divinum regnum publicans, & de Domino Iesu Christo summa cum libertate, sine impedimento docens.

Pauli

PAULI EPISTOLA AD ROMANOS.

CAP. I.

Ab Apostolatus sui approbatione exorsus, Evangelii commendationem subnectit, per quod Deus virtutem suam exerit servandis fide hominibus, impiæ gratitudinis reis: in quos ira DEI merito effusa colligitur, quod laxatis habenis in omne scelus passim ferantur.

PAulus Iesu Christi servus, vocatus Apostolus, ad Evangelium Dei segregatus, Act. 9, 15. & 13, 2. 9. Gal. 1, 15.

2 Quod ante promiserat per suos vates in sacris literis.

Tit. 1, 2. Gen. 3, 15. & 22, 18. & 26, 4. & 49, 10. Deut. 18, 15. 2. Sam. 7, 12. Ps. 132, 11. Es. 4, 2. & 7, 14. & 9, 5. & 40, 10. Ier. 23, 5. & 33, 14. Ezech. 34, 23. & 37, 24. Dan. 9, 24. Mich. 7, 20.

3 De Filio suo orto ex Davidis semine, quod ad carnem attinet:

2. Sam. 7, 12. Psal. 132, 11. Matth. 1, 1. &c. Luc. 1, 32. & 3, 23. 31. Act. 2, 30. & 13, 23. 2. Tim. 2, 8.

4 Definito Dei filio cum potentia secundum Spiritum sanctificum, dum ex mortuis resurgit Iesus Christus Dominus noster.

Ioh. 10, 30. &c. Act. 13, 32. 33. Hebr. 1, 5. & 5, 5. 6.

5 Per quem gratiam sumus & Apostolatum adepti, ut obediatur fidei ob eius nomen apud omnes gentes,

Rom. 12, 3. & 15, 15. 1. Cor. 15, 10. Eph. 3, 8. Rom. 16, 26.

6 In quibus vos quoque estis vocati Iesu Christi:

7 Omnibus qui Romæ estis, Deo charis, vocatis, sanctis, gratiam & pacem a Deo patre nostro, & Domino Iesu Christo.

1. Cor. 1, 2. Eph. 1, 2. 1. Thess. 4, 7.

8 Primum ago Deo meo gratias per Iesum Christum de vobis omnibus, quod vestra fides toto orbe vulgatur.

Eph. 5, 20. Heb. 13, 15. 1. Pet. 2, 5. 1. Thess. 1, 8.

9 Testis enim mihi Deus est (quem ex animo in ejus Filii Evangelio colo) me sine intermissione mētionem vestri facere semper in meis supplicationibus,

Rom. 9, 1. & 15, 23. 29. 2. Cor. 1, 23. & 11, 31. Gal. 1, 20. Phil. 1, 8. 1. Thes. 2, 5. 17. & 3, 10. 2. Tim. 1, 3.

10 Precantem ut (quod Dei voluntate fiat) tandem aliquando commoditatem adipiscar itineris ad vos visendos. Inf. 15, 23. 32. 1. Thess. 3, 10.

11 Cupio enim videre vos, ut divinum aliquod beneficium vobis communicem vestri confirmandi gratia: Infr. 15, 29.

12 Hoc est, ut una apud vos recreemur per utrorumque fidem, vestram & meam. Inf. 15, 32.

13 Nolo enim vos ignorare, fratres, me sæpe statuisse adire vos (sed hactenus prohibitus sum) ut profectum aliquem apud vos quoque faciam quemadmodum apud cæteras nationes.

Infr. 15, 23. 1. Thess. 2, 18.

14 Græcis juxta ac Barbaris, doctis ac imperitis debeo.

1. Cor. 9, 16. 2. Cor. 11, 28.

15 Ita quod in me est, paratus sum, vos quoque qui Romæ estis, Evangelio instituere.

16 Nec enim me pudet Evangelii Christi: quippe quod sit divina potentia, salutaris omni fidenti, cum Græco, tum Iudæo.

Ps. 40, 20. 2. Tim. 1, 8. 1. Cor. 1, 18. & 15, 2.

17 Nam per id divina justitia exeritur, perpetuanda fide, quemadmodum scriptum est: Iustus autem fide vivet.

Hab. 2, 4. Ioh. 3, 6. Inf. 3, 21. Gal. 3, 11. Phil. 3, 9. Heb. 10, 38.

18 Exeritur enim ira Dei de cœlo in omnem impietatem & injustitiam hominum, veritatem injuste supprimentium.

19 Nam quod Dei cognosci potest, id apud eos manifestum est, utpote cum Deus eis patefecerit. Act. 14, 14. &c. & 17, 24. &c.

20 Etenim quæ ejus sunt inaspectabilia, cujusmodi est ejus sempiterna potentia atque divinitas, ea ex mundi opificio, dum considerantur per opera, perspiciuntur: ut sint inexcusabiles,

Psal. 19, 2. &c. & 148, 3. &c.

21 Quoniam cognito Deo, non ei dignam Deo gloriam, gratiamque tribuerunt: sed vanis cogitationibus usi sunt, caligavitque eorum insipiens animus:

Deut. 28, 28. 29. Eph. 4, 17.

22 Sapientes se professi, stultos præstiterunt:

23 Et immortalis Dei gloriam ad imagines similes hominis mortalis, & volucrum, & quadrupedum, & serpentium transtulerunt. Deut. 4, 15. &c. 2. Reg. 17, 29. Ps. 106, 20. Sap. 12, 23. &c. Ier. 2, 11. Es. 40, 17. 18. Act. 17, 29.

24 Quare Deus eos permisit animi sui cupiditatibus, in tantam impuritatem, ut ipsi sua corpora in sese deturpent:

Ps. 81, 13. Act. 14, 16. 2. Thess. 2, 11.

25 Quod Dei veritatem in falsitatem transtulerint, & res creatas supra creatorem venerati coluerint, qui est laudandus in sempiternum: Etiam.

26 Hanc ob rem permisit eos Deus in turpes libidines, ut eorum fœminæ mutaverint usum naturalem in non naturalem.

Lev. 18, 22. 23. Eph. 5, 11. 12.

27 Similiterque mares omisso fœminæ usu naturali exardescant mutua libidine, mares cum maribus obscœna perpetrantes, atque ita dignam errore suo mercedem in se accipientes.

28 Ac quemadmodum Dei cognitione non probe usi sunt, ita permisit eos Deus in improbam

bam mentem, ita ut nefaria faciant.

29 Pleni omnis injustitiæ, stupri, perversitatis, avaritiæ, malitiæ: referti invidia, cæde, jurgio, fraudulentia, nequitia:

30 Susurrones, maledici, Dei osores, contumeliosi, superbi, arrogantes, malorum inventores, contumaces erga parentes.

31 Insipientes, insociabiles, inhumani, perfidiosi, immiseri cordes:

32 Qui cum id esse divinum jus cognoscant, ut qui talia faciant, morte digni sint, non solum ea faciunt, sed etiam facientibus assentiuntur.

Hos. 7, 3.

CAP. II.

Omnes ad tribunal DEI sistit, gentibus excusationem ab ignorantia præcidit. Urget Iudæos a lege scripta, in qua gloriabantur, æquatque eos inter se.

ITaque inexcusabilis es, o homo, quicunque damnas: nam eo ipso quod alterum damnas, teipsum condemnas, cum facias eadem tu qui damnas.

2. Sam. 12, 5. Matth. 7, 1. 1. Cor. 4, 5.

2 Scimus autem, severum Dei judicium in eos futurum, qui talia faciunt.

3 An vero hoc putas, homo tu (qui eos damnas qui talia faciunt, & facis eadem) te Dei judicium evasurum?

4 An divitem ejus benignitatem & facilitatem, ac lentitudinem contemnis? ignorans, te Dei benignitate ad sanitatem invitari? Es. 30, 18. 2. Pet. 3, 9. 15.

5 Tu vero, quæ tua est duritas, & deploratus animus, congeris ipse tibi supplicium in supplicii diem, & repræsentationis justi Dei judicii. Deut. 32, 34. Rom. 9, 22. Iac. 5, 3.

6 Qui suis cuique factis digna solvet:

Job. 34, 11. Ps. 62, 12. Ier. 17, 10. & 32, 19. Matth. 16, 27. Rom. 14, 12. 1. Cor. 3, 8. 2. Cor. 5, 10. Apoc. 22, 12.

7 Hoc est, iis qui in recte factis perseverantes, gloriam, honoremque, & immortalitatem quærunt, vitam sempiternam:

8 Contentiosis autem, & in veritatem contumacibus, injustitiæ vero obedientibus imminet sævitia & pœna,

Iob. 24, 13. Ose. 4, 4. 2. Thess. 1, 8.

9 Calamitas & angustia, omni hominis animæ prave agentis cum Græci, tum Iudæi:

10 Gloria vero & honos & pax omni recte facienti cum Græco, tum Iudæo.

11 Nullum est enim apud Deum personarum discrimen:

Deut. 10, 17. 2. Par. 19, 2. Iob. 34, 19. Act. 10, 34. Gal. 2, 6. Eph. 6, 9. Col. 3, 25. 1. Pet. 1, 17.

12 Nam quicunque sine lege peccaverint: sine lege etiam peribunt: item quicunque cum lege peccaverint, per Legem damnabuntur.

13 Non enim legis auditores erunt apud Deum insontes, sed legis executores erunt insontes.

Matth. 7, 21. Iac. 1, 22, 25. 1. Joh. 3, 7.

14 Cum enim exterarum

nationum homines, legem non habentes, natura legitima faciant, ii legem non habentes, ipsi sibi lex sunt:

15 Qui quidem ostendant legis opus in suis animis inscriptum; id quod testabitur eorum conscientia: & utrorumque cogitationes eos vel accusabunt, vel defendent,

16 Quo die judicabit DEUS arcana hominum ex Evangelio meo, per Iesum Christum.

Matth. 25, 31. Act. 17, 31. 1. Cor. 4, 5.

17 En tu Iudæus nominaris, & in lege acquiescis, ac de Deo gloriaris,

Rom. 9, 4. Ioh. 8, 33. 41.

18 Et ejus voluntatem cognoscis, & præstabilia approbas, instructus lege: Phil. 1, 10.

19 Tibique persuades, te cœcorum esse ducem, lumen eorum qui sunt in tenebris,

20 Imprudentium præceptorem, imperitorum magistrum, qui veram legis cognitionem præ te feras.

21 Ergo qui alterum doces, seipsum non doces? qui prædicas non esse furandum, furaris?

Ps. 50, 6. &c. Matth. 23, toto.

22 Qui adulterandum negas, adulteras? qui deastros detestaris, sacrilegium committis?

23 Qui in lege gloriaris, contra legem committendo Deum dedecoras? Rom. 9, 4.

24 Per vos enim male audit Dei nomen apud exteras nationes, quemadmodum scriptum est. 2. Sam. 12, 14. Es. 52, 5. Ezech. 36, 20. 23.

25 Nam ita demum prodest circumcisio, si legi pareas. Sin contra legem committas, tua circumcisio in præputium abiit.

26 Quod si præputium legis instituta conservat, nimirum ejus præputium pro circumcisione habebitur:

27 Damnabitque qui natura præputiatus legem exequitur, te, qui literas & circumcisionem habens contra legem facis.

28 Non enim is Iudæus est, qui manifesto est: nec ea circumcisio est, quæ manifesto in carne est:

Joh. 6, 39. Rom. 9, 7.

29 Sed is Iudæus est, qui occulte est: & ea circumcisio est, quæ animi est, spiritu, non literis: cujus Iudæi laus non ab hominibus est, sed a Deo.

Deut. 10, 16. & 30, 6. Jer. 4, 4. Col. 2, 11. Phil. 3, 2. 3. 1. Petr. 3, 4. 1. Cor. 4, 5. 1. Thess. 2, 4.

CAP. III.

Concedit Iudæis aliquam, ex fœdere prærogativam, sed quæ penitus in DEI misericordia sita sit. Iudæos ac gentes æque esse peccatores, autoritate Scripturæ confirmat: usumque Legis monstrans, fide nos justificari colligit.

QVænam est ergo Iudæi præstantia, aut quæ circumcisionis utilitas?

2 Multa omnino. Primum, quod eis credita sunt oracula divina.

Deut. 4, 7. 8. Ps. 147, 8. 9. Sup. 2, 18. Inf. 9, 4.

3 Qvid

3 Quid enim si diffiderunt nonnulli? Num eorum diffidentia Dei fidem abolebit?

Num. 23,19. Rom. 9,6. 2. Tim. 2, 13. Heb. 4, 2.

4 Absit. Quin sit Deus verax, & omnis homo mendax, quemadmodum literis proditum est: Ut sis æqvus in tuis dictis, & causam obtineas.

Ps. 51, 6. & 62, 10. & 116, 11. Joh. 3, 33.

5 Sed si injustitia nostra Dei justitiam commendat, quid dicemus? Num Deus injustus est, qui supplicium irroget? Humano more loquor.

6 Absit. Alioquin quomodo jus redderet Deus mundo?

Gen. 18, 25. Job. 8, 3. & 34, 17.

7 Verum si Dei veritas mea falsitate amplificatur ad ejus gloriam, cur ego tandem ut nocens damnor?

8 Quin potius faciamus mala, ut eveniant bona: Sic enim male de nobis dicitur, & sic ajunt quidam dicere nos, qui merito damnandi sunt.

9 Quid ergo? antecellimus? Nequaquam. Convicimus enim, & Iudæos & Græcos omnes peccato subesse,

Gal. 3, 22.

10 Quemadmodum est in literis: Non est justus, ne unus quidem:

Ps. 14, 3. & 53, 4.

11 Non est qui sapiat, non est qui Deo studeat.

12 Omnes pariter deflectunt, nequamque sunt: non est qui recte faciat, non est, ne unus quidem.

13 Sepulchrum patens eorum guttur est, lingvis suis ad dolum utuntur: aspidum virus habent in labiis.

Ps. 5, 10, & 140, 3.

14 Eorum os execratione amarulentiaque plenum est.

Ps. 9, (10.) 7.

15 Pedes ad fundendum sangvinem veloces.

Es. 59, 7. Prov. 1, 16.

16 Exitium & calamitas est in eorum viis,

17 Et viam pacis nesciunt.

18 Non habent sibi propositum Dei metum.

Ps. 35, (36.) 1.

19 Scimus autem quæcunque lex dicit, iis loqui, qui sunt in lege, ut omne os obmutescat, obnoxiusque fiat totus orbis Deo,

Ezech. 16, 63.

20 Quod per legis opera mortalium nemo justus fiet apud Deum. Nam ex lege oritur agnitio peccati.

Inf. 7, 7. Gal. 2, 16.

21 Nunc absque lege divina justitia patefacta est, a lege & vatibus testata:

Ioh. 5, 46. Act. 15, 11. & 26, 22. Rom. 1, 17.

22 Divina, inquam, justitia, quam fide Iesu Christo habenda consequantur, & obtineant omnes fidentes. Non est enim discrimen ullum: nam omnes peccaverunt, divinaque gloria carent:

Rom. 10, 12. Gal. 3, 28. Col. 3, 11. Rom. 11, 32. Gal. 3, 22.

23 Iu-

23 Iustificandi gratis ejus beneficio, per liberationem quæ fit in Christo Iesu:

Matth. 20,28. Eph. 1,7. & 2,8. 1. Tim. 2,6. Tit. 3,5.7. 1. Pet. 1,18.

24 Quem proposuit DEUS placamentum, per fidem in ejus sangvine collocandam ad demonstrationem justitiæ Dei, qui pro sua facilitate præteritis peccatis veniam det,

Act. 13, 38.39. & 17, 30. 2. Cor. 5,19. Col. 1, 20. 1. Ioh. 2, 2. & 4,10.

25 Ut hoc tempore suam justitiam demonstret, ut sit ipse & justus, & qui Iesu fidem habentes justificet.

26 Ubi est ergo gloriatio? Exclusa est. Qua lege? operum? Non, sed fidei lege.

27 Censemus ergo fide justificari hominem absque legis operibus.

Act. 19, 38. Gal. 2, 16.

28 An Iudæorum solum Deus est? an non etiam extraneorum? Est etiam extraneorum.

29 Quandoquidem unus Deus est, qui & circumcisionem fide, & præputium per fidem justificet.

30 Ergo legem abrogamus per fidem? Absit: imo legem stabilimus.

CAP. IV.

Quod ante dixit de fide exemplo Abrahæ, Scripturæ testimonio comprobat: & decies imputationis vocem inculcat hoc capite.

QVid ergo dicemus Abrahamum, nostrum (quod ad humanam naturam attinet) parentem, consecutum esse?

Es. 51, 2.

2 Si enim Abrahamus operibus justificatus est, habet quod glorietur: sed non apud Deum.

3 Verum quid dicunt literæ? credidit autem Abrahamus Deo, id quod ei justitiæ ductum est.

Gen. 15, 6. Gal. 3, 6. Jac. 2, 23.

4 In operante quidem merces, non gratiæ, sed debiti locum habet:

Inf. 11, 6.

5 At non operanti, sed in eum credenti, qui sontem justificat, ejus fides justitiæ ducitur.

6 Quemadmodum David quoque hominis beatitatem in eo statuit, si ei Deus justitiam tribuat sine operibus:

Ps. 32, 1. 2.

7 Beati quorum remissa delicta, quorum obducta sunt peccata.

8 Beatus homo, cui non imputat Deus peccatum.

9 Hæc igitur beatitudo in circumcisionem ne cadit, an potius in præputium? Dicimus enim, fidem in Abrahamo habitam esse pro justitia.

10 Quomodo igitur habitam? cum in circumcisione esset, an cum in præputio? Non in circumcisione, sed in præputio:

11 Ac circumcisionis notam accepit, quæ sigillum esset justitiæ fidei, quæ fides fuit in præputio, ut pater esset omnium fidentium, sive præputiatorum (ut eis quoque justitia duceretur) sive circumcisorum:

Gen. 17, 11. Gal. 3, 7.

12 Pater

12 Pater esset, inquam, non iis solum qui essent a circumcisione, verum etiam gradientibus per fidei vestigia, quam parens noster Abrahamus habuit in præputio.

13 Non enim per legem promissum est Abrahamo, aut ejus posteritati, orbis hæredem fore, sed per fidei iustitiam.

Gen. 15, 6. & 17, 2. &c. Gal. 3, 18.

14 Nam si, qui a lege sunt, hæredes sunt, vana fides est, & irrita promissio.

15 Lex enim pœnam parit. Siquidem ubi lex non est, ne delictum quidem. Rom. 3, 20. &5, 13. 20. &7, 8. 10. Ioh. 15, 22. 1. Cor. 15, 56. 2. Cor. 3, 7. 9.

16 Ergo per fidem id fit, ut sit gratuitum: quo rata sit promissio omni posteritati, non solum quæ a lege, verum etiam quæ ab Abrahami fide sit: qui nostrum omnium pater est.

17 (Ut habetur scriptum: Te multarum gentium patrem effecturus sum) videlicet apud eum, cui credidit, Deum, qui mortuis vitam dat: & quæ non sunt, perinde ac si essent, vocat.

Gen. 17, 5.

18 Qui Abrahamus contra spem spe credidit, fore se multarum patrem gentium, ut erat promissum: Sic erit tua posteritas. Gen. 15, 4. 5. Heb. 11, 12.

19 Itaque fide non infirmus, non consideravit suum corpus jam emortuum (qui propemodum centenarius esset) aut enectam Saræ vulvam:

Gen. 17, 17. & 18, 11. Heb. 11, 11. 12.

20 Verum de Dei promisso non dubitavit diffidentia, sed fide valuit; Deoque gloriam tribuit: Heb. 11, 18.

21 Exploratum habens, eum, quæ promisisset, etiam præstare posse.

Ps. 115, 3. Es. 57, 19. Luc. 1, 37.

22 Itaque id ei justitiæ ductum est.

23 Non est autem scriptum propter eum solum, ei ductum esse,

Inf. 15, 4. 1. Cor. 10, 6. 11.

24 Sed etiam propter nos, quibus futurum est, ut ducatur, credentibus in eum qui Iesum Dominum nostrum suscitavit ex mortuis: Act. 2, 24.

25 Qui Iesus propter nostra delicta traditus, propter nostram justitiam revixit.

1. Ioh. 1, 7. & 2, 2. Rom. 8, 32. 1. Cor. 15, 17.

CAP. V.

Amplificationibus illustrat justitiam Christi, quæ fide apprehenditur, quia datus est pro infirmis, & peccatoribus. Inde comparationem facit Christi cum Adam: mortis cum vita: Legis cum gratia.

I Gitur fide justificati, pacem habemus cum Deo per Dominum nostrum Iesum Christum,

Eph. 2, 13.

2 Per quem fide aditum habuimus ad hoc beneficium, in quo stamus, & divinæ gloriæ spe gloriamur.

Ioh. 10, 9. & 14, 6. 1. Cor. 15, 1. Eph. 2, 18. & 3, 12. Heb. 3, 6. & 18, 19.

3 Neque id solum, sed etiam glo-

gloriamur in calamitatibus: illud scientes, quod calamitas patientiam parit,
Phil. 1, 29. Jac. 1, 3.

4 Patientia probationem, probatio spem:

5 Spes autem non pudefacit, quod Dei amore perfusi sunt animi nostri, per Spiritum Sanctum nobis datum.

6 Nam Christus, cum nos adhuc essemus per tempus infirmi, pro sontibus mortuus est,
Eph. 2, 1. Col. 2, 13. Heb. 9, 15. 1. Pet. 3, 18.

7 Cum vix quisquam etiam pro insonte moriatur: nam pro viro bono fortassis aliquis mori sustineat.

8 At Deus suum erga nos amorem in eo commendat, quod cum adhuc nocentes essemus, Christus pro nobis mortuus est.
Ioh. 15, 13. Hebr. 9, 15. 1. Pet. 3, 18.

9 Ergo multo magis nunc ejus sangvine justificati, defendemur per eum a supplicio.

10 Si enim, hostes cum essemus, reconciliati sumus Deo per Filii mortem, multo magis reconciliati servabimur per ejus vitam.
2. Cor. 5, 18. Col. 1, 21. 22.

11 Quinetiam (quod plus est) in Deo gloriamur per Dominum nostrum Iesum Christum, per quem nunc reconciliationem sumus assecuti.

12 Propter ea quemadmodum per unum hominem peccatum in mundum intravit, & per peccatum mors: atque ita ad omnes homines pervasit mors, quatenus omnes peccarunt.
Gen. 2, 17. & 3, 6. Rom. 6, 23. 1. Cor. 15, 21.

13 Nam usque ad legem peccatum erat in mundo: atqui peccatum non ducitur, nisi est lex:
Rom. 4, 15.

14 Et tamen ab Adamo ad Mosem usque etiam in eos, qui non peccaverant, regnavit mors propter similitudinem delicti Adami, qui futuri exemplum est.
1. Cor. 15, 21. 22. 45.

15 Sed non eadem beneficii, quæ delicti, ratio est. Si enim unius delicto multi mortui sunt, multo magis Dei beneficium atque donum unius hominis, Iesu Christi beneficio in multos exuberavit.

16 Neque est eadem condonationis ratio, quæ est ejus quod accidit per unum qui peccavit. Nam unus in causa fuit, ut judicium, & porro damnatio consequeretur: at beneficium peperit multorum delictorum absolutionem.

17 Si enim unius delicto mors per unum regnavit, multo magis qui tam excellens justitiæ beneficium atque donum fuerint adepti, in vita regnabunt per unum Iesum Christum.

18 Ergo quemadmodum unius delicto factum est, ut omnes homines damnarentur: sic etiam unius justitia fit, ut omnes homines absolvantur atque vivant.

19 Ut enim unius hominis contumacia sontes effecti sunt multi: sic etiam unius obedientia justi efficientur multi.

20 Lex

20 Lex autem supervenit, quo plus esset delicti: quo plus autem fuit peccati, eo magis excelluit gratia:

Luc. 7, 47. Rom. 4, 15. & 7, 8. Gal. 3, 19. 23.

21 Ut quemadmodum morte regnavit peccatum, sic gratia quoque per justitiam regnet ad sempiternam vitam per IEsum Christum.

CAP. VI.

Descendit ad sanctificationem, sine qua neminem induere Christi justitiam docet, argumento a Baptismo sumpto. Inde exhortationes ad vitæ puritatem deducit, brevemque mentionem interserit legis abrogatæ.

QVid ergo dicemus? manebimus in peccato, quo plus sit gratiæ?

2 Nequaqvam. Qvi peccato mortui sumus, qvomodo adhuc viveremus in eodem?

Gal. 6, 14.

3 An ignoratis, qvicunqve sumus Christi Iesu nomine baptizati, ad ejus mortem esse baptizatos? Gal. 3, 27.

4 Sumus ergo una cum eo per baptismum ad mortem sepulti: ut quemadmodum Christus ex mortuis in paterna gloria resurrexit, sic & nos in vitæ novitate gradiamur.

1. Cor. 6, 14. Eph. 4, 22. seqq. Col. 2, 12. & 3, 10. Heb. 12, 2. 1. Pet. 2, 1. & 4, 1. 2.

5 Si enim ejus mortis similitudine insititii facti sumus, etiam resurrectionis erimus:

Rom. 8, 11. Phil. 3, 10. 11.

6 Illud scientes, veterem nostrum hominem simul esse crucifixum, ut peccati corpus aboleatur, ne nos amplius peccato serviamus. Gal. 2, 20. & 5, 24.

7 Nam qui mortuus est, is peccato absolutus est,

1. Petr. 4, 1.

8 Quod si una cum Christo mortui sumus, etiam cum eo victuros credimus.

2. Tim. 2, 11.

9 Scientes Christum ex mortuis excitatum, non jam moriturum esse, non jam morti esse obnoxium. Apoc. 1, 18.

10 Qvod enim mortuus est, peccato mortuus est semel: qvod autem vivit, Deo vivit.

Luc. 20, 38. Heb. 9, 27. 28. 1. Pet. 2, 24.

11 Sic vos qvoqve existimate, vos ipsos mortuos quidem esse peccato, sed vivos Deo, per Christum Iesum Dominum nostrum. Gal. 2, 19.

12 Ne regnet ergo peccatum in mortali vestro corpore, ita ut peccato in corporis cupiditatibus pareatis:

13 Neve membra vestra injustitiæ arma peccato præbete: sed Deo vos, ut ex mortuis vivos, & vestra membra justitiæ arma præbete.

Luc. 1, 74. Rom. 12, 1. Gal. 2, 20. Heb. 9, 14.

14 Non enim dominabitur vobis peccatum: quippe cum non sub lege sitis, sed sub gratia,

15 Quid tum? peccabimus, quoniam non sub lege sumus, sed sub gratia? Absit.

1. Cor. 9, 21. Gal. 2, 18, 19.

16 An

16 An nescitis, cui vos ipsos servos præbetis obediendo, ejus servos esse, cui obediatis? vel peccati ad mortem, vel obedientiæ ad justitiam?

Joh. 8, 34. 2. Pet. 2, 19.

17 Sed est Deo gratia, quod cum servi essetis peccati, paruistis ex animo ei doctrinæ rationi, quæ vobis tradita est;

18 Ac peccato liberati, mancipati estis justitiæ.

Joh. 8, 32. 1. Pet. 2 16.

19 Humano more dico propter vestræ humanæ naturæ imbecillitatem. Ut enim vestra membra impuritati ac sceleri serva præbuistis ad scelus, ita nunc quoque membra vestra serva præbete justitiæ ad sanctimoniam.

20 Nam cum servi essetis peccati, eratis a justitia liberi:

Joh. 8, 34.

21 Quem vero tum fructum percipiebatis eorum, quorum nunc vos pudet? illorum enim finis, mors est.

22 At nunc peccato liberati, Deoque emancipati, fructum vestrum percipitis, ad sanctitatem, ad extremum vitam adepturi sempiternam.

23 Etenim peccati stipendia, mors est; at Dei beneficium, sempiterna vita, per Iesum Christum Dominum nostrum.

Gen. 2, 17. Rom. 5, 12. 1. Cor. 15, 22. Iac. 1, 15.

CAP. VII.

Explicat quid sit non esse amplius sub lege, sumpto ex conjugii lege exemplo. Idque in legis contumeliam ne urgeat, nostra culpa factum esse docet, ut in mortis materiam cederet, quæ in vitam data erat. Exin transit ad describendam spiritus & carnis luctam.

AN ignoratis, fratres (nam legis scientes alloquor) legem homini tandiu imperare, quamdiu ea vivit?

2 Etenim marita mulier viventi viro lege obstricta est. Sed si vir mortuus fuerit: ea a viri lege soluta est.

1. Cor. 7, 2. 10. 39.

3 Itaque vivente viro appellabitur adultera, si fiat alterius viri: Verum si vir moriatur, libera est a lege, ita ut adultera non sit, si fiat alterius viri.

Matth. 5, 32.

4 Ad eundum modum, mei fratres, vos quoque perempti estis legi, per Christi corpus, ita ut in jus alterius transieritis, ejus qui ex mortuis excitatus est, ut fructum feramus Deo.

Rom. 8, 2. Gal. 2, 19. 20.

5 Cum enim essemus in carne, peccatorum perturbationes a lege orientes, in membris agebant nostris, ita ut morti fœtificaremus:

Rom. 6, 21. Gal. 3, 19.

6 At nunc lege soluti sumus, ei mortui qua tenebamur, ita ut serviamus in novo spiritu, non in vetere litera.

Rom. 2, 29. & 6, 2. 2. Cor. 3, 6. 7.

7 Quid ergo dicemus? Lex peccatum est? minime. Sed peccatum non nossem, nisi per legem. Nam cupiditatem nescirem,

scirem, nisi diceret lex: Ne concupiscito.

Exod. 20, 7. Deut. 5, 21. Sup. 3, 20.

8 Peccatum autem occasionem nactum per præceptum, effecit in me omnem cupiditatem. Siquidem absque lege peccatum est mortuum. Ioh. 15, 22. Rom. 4, 15. & 5, 20. Gal. 3, 19.

9 Ego vero aliquando sine lege vivebam: Sed adventu præcepti, peccatum revixit,

10 Ego mortuus sum: atque ita præceptum vitæ causa comparatum, compertum est mihi mortiferum.

Lev. 18, 5. Ezech. 20, 11. 13.

11 Peccatum enim occasionem nactum per præceptum, decepit me, & per præceptum interfecit.

12 Itaque lex quidem sancta est, & præceptum sanctum, & justum & bonum.

1. Timoth. 1, 8.

13 Ergo quod bonum est, id mihi mors fuit? Nequaquam; sed peccatum, quod, ut appareret peccatum, per bonum mihi mortem peperit, ut esset quam peccantissimum peccatum per præceptum.

14 Scimus enim legem esse spiritualem: ego vero carnalis sum, peccato emancipatus.

1. Reg. 21, 20. 23. Es. 50, 1. 1. Macc. 1, 16.

15 Quod enim ago, non agnosco. Non enim quod volo, id ago: sed quod odi, id facio.

Gal. 5, 17.

16 Quod si quod nolo, id facio, legem bonam esse consentio.

17 Nunc non jam ego id ago, sed habitans in me vitiositas.

18 Scio enim, non habitare in me, hoc est, in mea carne, bonum. Nam velle inest mihi: sed quomodo bonum faciam, non invenio.

Gen. 6, 5. & 8, 21.

19 Non enim quod volo facio bonum, sed quod nolo malum, id ago.

20 Quod si quod nolo, ego id facio: non jam ego id ago, sed habitans in me vitiositas.

21 Itaque reperio per legem, mihi bonum facere volenti, inesse malum.

22 Delector enim Dei lege, quod ad interiorem hominem attinet: Ps. 1, 2. 2. Cor. 4, 16. Eph. 3, 16.

23 Sed aliam video legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, quæ me captivum reddat legi vitiositatis, quæ lex est in membris meis. Gal. 5, 17.

24 Miser ego homo, quis me ab hujus mortis corpore liberet?

25 Ago Deo gratias per Iesum Christum Dominum nostrum. Ergo ego idem & mente servio legi Dei, & carne legi peccati.

CAP. IIX.

Concludit nihil damnationis esse iis qui sunt Christo inserti per ejus spiritum, utcunque onerati sint adhuc peccatis. Illo enim spiritu vivunt, cujus testimonium dubitationem omnem arcet, & miserias præsentes sublevat.

1 Igitur nulli iam damnationi sũt obnoxii, qui in Christo Iesu,

non carnis, sed spiritus arbitrio parent.

2 Nam lex spiritus vitalis in Iesu Christo, liberavit me a lege peccati atque mortis.

Ioh. 8, 36. Rom. 6, 18, 22. Gal. 5, 1.

3 Quod enim a lege fieri non poterat, quoniam ipsa in eo propter carnem infirma erat, id Deus præstitit suo ipsius Filio misso, carne hominis simili, & peccatum peccato damnavit in carne, 2. Cor. 15, 21. Eph. 2, 14. 15. Gal. 3, 13.

4 Ut legis justificatio in nobis perageretur, qui non carni obtemperamus, sed Spiritui.

5 Nam qui ad carnis arbitrium vivunt, secundum carnem affecti sunt: qui ad spiritus, secundum spiritum, 1. Cor. 2, 14.

6 Carnis autem affectio est mors; at Spiritus studium vita est, atque pax:

Rom. 6, 21. Gal. 6, 8.

7 Siquidem carnis affectio, inimicitiæ sunt adversus Deum, quippe quæ legi Dei non pareat, nec enim potest.

8 Qui sunt autem in carne, Deo placere nequeunt.

1. Cor. 2, 14.

9 At vos non estis in carne, sed in Spiritu si modo Dei Spiritus habitat in vobis. Quod si quis Christi Spiritum non habet, is Christi non est.

1. Cor. 3, 16. Gal. 4, 6. Phil. 1, 19. 1. Petr. 1, 11.

10 Si vero Christus in vobis est, corpus quidem mortuum est per peccatum, sed Spiritus vivus est per justitiam.

11 Quod si Spiritus ejus, qui Iesum ex mortuis excitavit, habitat in vobis, is qui Christum ex mortuis excitavit, etiam vestra mortalia corpora revocabit in vitam, per inhabitantem in vobis spiritum suum. Act. 2, 24.

Rom. 6, 4. 5. 1. Cor. 6, 14. 2. Cor. 4, 14. Eph. 2, 5.

12 Quapropter fratres, debemus non carni, ut ad carnis libidinem vivamus.

Rom. 6, 7. 18.

13 Nam si carnis arbitrio vixeritis, morituri estis. Sin spiritu corporis actiones peremeritis, vivetis. Eph. 4, 22. & 5, 3. Col. 3, 5. 6.

14 Nam quicunque Dei Spiritu aguntur, ii Dei filii sunt.

Gal. 5, 18.

15 Non enim servitutis spiritum accepistis rursus ad metum: sed spiritum accepistis adoptionis, per quem clamamus, Abba pater. 1. Cor. 2, 12. 2. Tim. 1, 7. Gal. 3, 26. & 4, 5. 6. Marc. 14, 36.

16 Is spiritus animis nostris testatur, nos esse Dei liberos.

2. Cor. 1, 22. & 5, 5. Eph. 1, 13. & 4, 30.

17 Quod si liberos, etiam hæredes, hæredes inquam Dei, Christi autem cohæredes: si modo simul patiamur, ut simul etiam gloriosi fiamus.

Act. 14, 22. 2. Tim. 2, 11. 12.

18 Censeo autem, ea quæ hoc tempore patienda sunt, nequaquam esse paria gloriæ, qua sumus afficiendi. Matt. 5, 12.

2. Cor. 4, 17. Phil. 3, 10. 21. 1. Pet. 1, 6. & 4, 13. 1. Io. 3, 1. 2.

19 Ea

19 Ea est enim rerum naturæ expectatio, ut filiorum Dei patefactionem præstoletur.

20 Nam vanitati natura rerum subjecta est, non sua sponte, sed per eum qui eam spei submisit, fore ut ipsa quoque rerum natura ab interitus servitute asseratur in gloriosam liberorum Dei libertatem:

21 Scimus enim, omnem rerum naturam hactenus congemiscere ac condolere.

Ioh. 16, 21.

22 Quin etiam nos quoque, qui spiritus primitias habemus, intra nos ipsos gemimus, adoptionem expectantes, liberationem nostri corporis.

Luc. 21, 28. 1. Ioh. 3, 2. 2. Cor. 5, 2. 24.

23 Nam spe servati sumus. Spes autem eorum, quæ cernuntur, spes non est. Quod enim cernit quis, cur speret?

2. Cor. 5 7.

24 Quod si quod non cernimus, id speramus, per patientiam expectamus.

2. Cor. 4, 18. Heb. 11, 1.

25 Adde, quod spiritus quoque nostris succurrit infirmitatibus. Nam quid oremus, ut fieri debet, nescimus: sed ipse spiritus pro nobis supplicat gemitibus ineffabilibus.

Zach. 12, 10. Matth. 20, 22. Iac. 4, 3.

26 Animorum autem indagator novit quæ sit spiritus affectio, qui quidem sic, ut Deus postulat, pro sanctis oret.

1. Par. 28, 9. Ps. 7, 10. Ier. 11, 20. & 17, 10.

27 Scimus autem, Deo amantibus omnia ad bonum conferre, qui divino decreto sunt vocati.

28 Quos enim prævidit, etiam destinavit imaginis Filii sui consimiles, ut sit in iis multis fratribus primogenitus.

29 Item quos destinavit, hos etiam vocat: & quos vocat, hos etiam justificat, & quos justificat, hos etiam gloriosos efficit.

Ioh. 3, 21. Eph. 1, 5. 11. Phil. 3, 21. Col. 1, 18.

30 Quid ergo dicemus ad hæc? Si Deus a nobis est, quis contra nos est? Num. 14, 8. Ps. 56, 12. & 118, 6.

31 Qui suo ipsius filio non pepercerit, sed eum pro nobis omnibus tradiderit, potestne non una cum eo nobis omnia largiri?

Gen. 22, 12. Es. 53, 5. Ioh. 3, 16. Rom. 4, 25. & 5, 6. 9.

32 Quis Dei electos accuset? Deus est qui absolvit, Es. 50, 8. 9.

33 Quis est qui damnet? Christus est qui mortuus est, vel potius qui resurrexit, qui etiam est ad Dei dexteram, & pro nobis supplicat,

Ps. 110, 1. Macc. 16, 19. Heb. 1, 3. & 2, 1. & 12, 2.

34 Quis nos divellat ab amore Dei? Calamitas? an angustia? an vexatio? an fames? an nuditas? an periculum? an gladii?

35 Quemadmodum scriptum est: Tua causa necamur quotidie, pro lanioniis ovibus ducimur:

Ps. 43. (44.) 23. 1. Cor. 4, 9. 2. Cor. 4, 11. & 11, 23.

36 Et tamen in his omnibus exuperamus per eum qui nos adamavit. 1. Ioh. 4, 4 & 5, 4. 5.

37 Nam (quomodo mihi persuasum est) neque mors, neque vita, neque Angeli, neque principatus, neque potestates, neque instantia, neque futura,

Eph. 1, 21. Col. 2, 15.

38 Neque sublimia, neque demissa, nec ulla alia rerum natura possit nos ab amore Dei divellere, qui amor est in Christo Iesu Domino nostro.

CAP. IX.

Iudæis occurrit, ac duplex filiorum Abrahæ genus dicit, cunctaque in hoc negotio peragi ex DEI voluntate, instar figuli. Tum vocationem gentium tum Iudæorum reprobationem Prophetarum testimoniis testatam ostendit.

VErum dico in Christo, non mentior, testis est mihi mea conscientia in Spiritu sancto,

Rom. 1, 9. Gal. 1, 20. Phil. 1, 8.

2 Magno me animi dolore, & irremisso cruciatu affici.

Rom. 10, 1.

3 Optarem enim me ipsum a Christo alienatum esse pro meis fratribus: meis, quod ad humanam naturam attinet, cognatis,

Exod. 32, 32.

4 Qui sunt Israelitæ, quorum est adoptio, & gloria, & fœdera, & legislatio, & cultus, & promissiones: Exod. 4, 22. Deut. 7, 6. Ps. 147, 19. Ier. 31, 9.

5 Quorum sunt patres, & ex quibus est Christus, quod ad humanitatem attinet, qui est super omnia Deus collaudandus in sempiternum.

Matth. 1, 1. Heb. 1, 8, 9.

6 Neque id eo dico, quod Dei dictum exciderit: Non enim omnes ab Israele orti, sunt Israelitæ: Num. 23, 29. Ioh. 8, 39. 2. Tim. 2, 13.

7 Neque quia sunt Abrahami progenies, ideo omnes sunt filii. Sed ab Isaaco tibi denominabitur progenies.

Gen. 21, 12. Hebr. 11, 15.

8 Hoc est, non humanitatis filii, ii sunt Dei filii, sed promissionis filii, progenies habentur.

Gal. 4, 28.

9 Promissionis enim hoc est dictum: Cum revisam te hoc tempore, habebit Sara filium.

Gen. 18, 10.

10 Neque vero illi solum, sed etiam Rebeccæ ex uno Isaaco parente nostro uterum ferenti,

Gen. 25, 11.

11 Fœtibus nondum natis, nec ullo bono malove functis, ut Dei per electionem decretum ratum esset,

12 Non ex operibus, sed ex vocante, Rebeccæ, inquam, dictum est: Major serviet minori.

Gen. 25, 23.

13 Quemadmodum scriptum est: Iacobum amavi, Esaum vero odio habui. Mal. 1, 2.

14 Quid ergo dicemus? Estne in Deo injustitia? Nihil minus. Deut. 32, 4. 2. Par. 19, 7.

15 Mosi enim dicit: Gratiam facio, & misericordiam tribuo, cuicunque mihi collibitum est.

Exod. 33, 19.

16 Ergo non est volentis, neque currentis, sed gratiam facientis Dei.

17 Sic enim in Literis Pharaoni

raoni dicitur: Te ad hoc ipsum excitavi, ut in te meam ostendam potentiam, utque meum nomen toto orbe prædicetur.

Exod. 9, 16.

18 Ergo quem vult, miseratur, & quem vult, indurat.

19 Dices mihi: Quid jam quæritur? nam ejus voluntati quis resistat?

20 Eho homo, tu quis es, qui cum eo disceptes? Scilicet dicet ficta res fictori: Cur me sic fecisti?

Es. 45, 9. & 64, 8. Ier. 18, 6. Sap. 15, 7.

21 Quasi vero non liceat figulo, ex eadem luti massa aliud facere vas ad honesta, aliud ad inhonesta.

2. Tim. 2, 20.

22 Quid Deus? si volens suam iram exercere, potentiamque declarare, tulit multa cum patientia iræ vasa ad exitium composita,

23 Simul ut suam opulentam gloriam declararet in vasa misericordiæ, quæ præparavit ad gloriam:

24 Hoc est in nos, quos etiam non solum ex Iudæis, sed ex cæteris nationibus vocavit.

25 Quemadmodum & in Osea dicit: Vocabo non populum meum, populum meum: & non amatam, amatam:

Os. 2, 23. 24. 1. Petr. 2, 10.

26 Ac quo loco negati fuerint, meus esse populus, illic Dei viventis filii vocabuntur. Os. 1, 10.

27 Esaias vero sic de Israelitis vociferatur: Etiamsi fuerint Israelitæ marina numerosiores arena, evadent tantum reliquiæ.

Es. 10, 22. Rom. 11, 5.

28 Nam rem severe atque semel, idque cum justitia, rem, inquam, severam faciet Dominus in terra.

29 Ac quemadmodum jam dixerat Esaias: Nisi nobis Dominus armipotens semen reliquisset, idem nobis, quod Sodomæ ac Gomorræ, accidisset.

Gen. 19, 24. Es. 1, 9. Ier. 50, 40. Lam. 3, 22. Ezech. 16, 46.

30 Quid ergo dicemus? Cæteras nationes justitiam non persequentes, justitiam consecutas esse: justitiam, inquam, quæ a fide manat.

31 Israelitas autem justitiæ legem persequentes, ad justitiæ legem non pervenisse.

32 Cur? quoniam non per fidem, sed per legis opera. Impegerunt enim in lapidem impactorium.

33 Quemadmodum scriptum est: Positurus sum in Sione lapidem impactorium, & petram illisoriam, cui quicunque confidet, non frustra erit.

Es. 8, 14. & 28, 16. 1. Petr. 2, 7. Ps. 118, 22. & 2, 12. Luc. 2, 34.

CAP. X.

Pertractat effecta electionis, quod alii respuant, alii amplectantur Christum finem legis. Gentium vocationem a Mose, Iudæorum vero indurationem ab Esaia prædictam recenset.

FRatres, equidem animi mei propensio, & ad Deum supplicatio, ad salutem spectat Israelitarum.

2 Nam de eis hoc testor, eos Dei studium habere, sed inscite facere.

Gal. 1, 14.

3 Ignorantes enim divinam justitiam: suam autem justitiam statuere conantes, divinæ justitiæ non subjiciuntur. Rom. 9, 30.

4 Finis enim legis Christus est, ad omnium fidentium justitiam. Matth. 5, 17. 2. Cor. 3, 13. Gal. 3, 24.

5 Nam de ea quidem justitia, quæ in lege sita est, scribit Moses, hominem qui jussa præstiterit, victurum esse per ea.

Lev. 18, 5. Ezech. 20, 11. Gal. 3, 12.

6 At quæ ex fide proficiscitur justitia, sic dicit: Ne dixeris cum animo tuo: Quis ascendet in cœlum? Hoc est Christum devocare. Deut. 30, 11. 12.

7 Aut quis in Tartara descendet? Hoc est Christum ex mortuis educere.

8 Sed quid ajunt Literæ: Oratio tibi prope adest, tibi in ore est & animo. Hæc est quam de fide publice habemus orationem: Deut. 30, 14.

9 Quod si & ore Dominum Iesum confessus fueris, & a Deo ex mortuis excitatum animo credideris, servabere.

Matth. 10, 32.

10 Nam & animo creditur ad justitiam, & ore fit confessio ad salutem.

11 Sic enim dicunt Literæ: Quisquis ei confidet, non frustra futurum. Es. 28, 19. Rom. 9, 33.

12 Nullum quidem Iudæi, Græcique discrimen est, cum idem sit omnium Dominus, dives omnibus qui eum invocant.

Act. 10, 34. 35. & 15, 9. 1. Tim. 2, 5.

13 Quisquis enim Domini nomen invocaverit, servabitur.

Ioel. 2, 32. Act. 2, 21.

14 Sed possunt-ne invocare eum in quem non credunt? Aut credere ei, de quo non audierunt? aut audire sine præcone?

15 Aut prædicare, nisi qui erunt legati? quemadmodum extat in Literis: O quam elegantes sunt pedes nunciantium pacem, nunciantium bona.

Es. 52, 7. Nah. 1, 15.

16 Sed non omnes obtemperant Evangelio. Esaias enim dicit: Domine, quis credidit orationi nostræ?

Es. 53, 1. Ioh. 12, 38.

17 Ergo fides est ex auditione: auditio autem ex divina oratione.

18 Sed an non audiverunt? inquam. Quidni: cum in omnes terras pervenerit eorum sonus, eorumque verba ad ultimum orbem. Ps. 19, 5.

19 Sed annon noverunt Israelitæ? inquam. Primus Moses dicit: Ego vos per non gentem provocabo: vos per imperitam gentem irritabo. Deut. 32, 21.

20 Esaias vero dicere audet: Repertus sum non quærentibus me: perspicuus factus sum non curantibus me. Es. 65, 1.

21 Ad Israelitas vero sic dicit: Pando meas manus totum diem ad contumacem contradicentemque populum. Es. 65, 2.

CAP. XI.

Ne Iudæorum rejectio ad oculi aspectum limitetur, deceptum olim Eliam fuisse ait. Et cum radicem sanctam habeant, plures quoque

ex iis fore sanctos. Gentes vero admonet humilitatis, & exclamat profunda DEI esse judicia.

NUm ergo rejecit Deus populum suum? inquam, Absit. Etenim ego Israelita sum, ex Abrahami semine, tribus Benjamiticæ. Ier. 31, 37, 2. Cor. 11, 22. Phil. 3, 5.

2 Non rejecit Deus populum suum, quem prænovit. An nescitis de Elia quid dicant Literæ, ut Deum contra Israelitas appellet?

3 Domine, tuos, inquit, vates interfecerunt & aras everterunt, me solo relicto, quem postulant ad necem. 1. Reg. 19, 10.

4 Verum quid ei dicit Oraculum: Mihi reliqua feci septem hominum millia, qui Baali genua non submiserunt. 1. Reg. 19, 18.

5 Similiter hoc tempore supersunt per gratuitam electionem reliquiæ. Rom. 9, 27.

6 Quod si gratuito, ergo non per opera: alioqui gratia non jam esset gratia. Sin per opera, non jam est gratia: alioquin opus non jam esset opus. Deut. 9, 4. Sup. 4, 4. 5.

7 Quid ergo? quod conquirunt Israelitæ, id non sunt assecuti: at electi assecuti sunt, reliqui excæcati sunt. Rom. 9, 31.

8 Sicuti Literis proditum est: Dedit eis Deus torpentem animum, oculos, ita ut non videant, & aures, ita ut non audiant; id quod ad hunc diem durat. Es. 29, 10. & 6, 9. Matt. 13, 14.

9 Item David dicit: Sit eis ipsorum mensa laqueus, & decipula, & offendiculum, atque supplicium. Ps. 69, 23.

10 Caligent eorum oculi, ita ut non videant: eorumque dorsum jugiter incurva.

11 Quæro igitur, an impegerint ut caderent? Nequaquam. Sed eorum casu cæteris gentibus parta salus est, ut ipsi provocentur. Act. 13, 46.

12 Quod si eorum lapsus sunt orbis divitiæ: si eorum inopia reliquarum gentium opes sunt, quāto magis eorum plena copia.

13 Vobis enim dico extraneis, quatenus equidem sum extraneorum Apostolus, ministerium meum illustro, Act. 9, 15. & 13, 2. & 22, 21. Gal. 1, 16.

14 Si qua meos possim pellicere consanguineos, & eorum servare nonnullos.

15 Nam si eorum rejectio mundi est reconciliatio: quid erit cooptatio, nisi vita ex mortuis?

16 Quod si primitiæ sacræ sunt, ergo & massa: & si sacra radix est ergo & rami.

17 Quod si ramorum quidam avulsi sunt, & tu oleaster in eos insitus es, & particeps factus radicis ac pinguedinis Oleæ, Ier. 11, 16.

18 Noli contra ramos gloriari. Quod si gloriaris, non tu radicem fers, sed radix te.

19 Dices: Avulsi sunt rami ut ego insererer.

20 Recte: diffidentia avulsi sunt: tu fide stas, ne insolesce, sed time. Prov. 28, 14. Es. 66, 2. Phil. 2, 12.

21 Si

21 Si enim Deus naturalibus ramis non pepercit, quid si ne tibi quidem parcat?

22 Vide ergo Dei benignitatem & severitatem: in lapsos severitatem; in te benignitatem, si modo in benignitate permanseris. Alioquin & tu resecaberis. Ioh. 15, 2. 1. Cor. 15, 2. Heb. 3, 6. 14.

23 Et illi, nisi in diffidentia permanserint, inserentur. Potest enim Deus eos rursum inserere. 2. Cor. 3, 16.

24 Nam si tu ex naturali amputatus oleastro, insitus es contra naturam in bonam olivam: quanto magis illi secundum naturam in propriam inserentur oleam?

25 Nolo enim vos ignorare, fratres, arcanum hoc, ne ipsi vobis placeatis: cæcitatem ex parte Israelitis contigisse, donec cæterarum gentium plenus intret numerus: Luc. 21, 24.

26 Atque ita omnes Israelitæ serventur, quemadmodum memoriæ proditum est: Veniet ex Sione liberator, qui a sceleribus Iacobæos vindicet. Es. 59, 20.

27 Atque hæc est pactio, quam ego cum eis facio, videlicet me eorum peccata sublaturum. Ps. 27, 9. & 14, 7. Ier. 31, 31.

28 Quod ad Evangelium attinet, sunt propter vos inimici: quod vero ad electionem, sunt chari propter majores.

29 Sunt enim irrevocabilia Dei munera, & vocatus.

30 Ut enim vos, qui aliquando non paruistis Deo, horum contumacia misericordiam estis consecuti:

31 Sic hi nunc, tributa vobis misericordia, non parent, ut ipsis quoque tribuatur misericordia.

32 Conclusit enim Deus omnes in contumaciam, ut omnium misereatur. Rom. 8, 9. Gal. 3, 22.

33 O altam sapientiæ cognitionisque Dei opulentiam: quam penitus recondita ejus judicia? quam obstrusæ sunt rationes? Iob 11, 7. Ps. 36, 7.

34 Quis enim Domini mentem novit? aut quis ei fuit a consilio? Ps. 92, 6. Es. 40, 13. Ier. 23, 18. Sap. 9, 13.

35 Aut quis illi ante contulit, ut ei gratia referatur? Iob. 41, 2.

36 Nam ab eo, & per eum, & propter eum omnia: ei gloria in sempiternum. Amen. Prov. 16, 4. 1. Cor. 8, 6. Col. 1, 16.

CAP. XII.

Paræneticæ tractat. Ad cultum DEO gratum: ad dilectionem non simulatam, etiam inimicorum adhortatur.

QUare cohortor vos fratres, per Dei misericordiam, ut præstetis corpora vestra hostiam viventem, sacram, acceptam Deo, qui vester sit cultus rationalis. 2. Petr. 2, 5.

2 Neve similes vos huic seculo præstate, sed vestræ mentis renovatione transfiguramini, ut quod velit Deus, quod bonum, acceptum, perfectumque sit, id approbetis. Eph. 1, 18. & 4, 23. & 5, 10. 17. 1. Thes. 4, 3. Col. 1, 21. 22.

3 Edico

3 Edico enim per beneficium quod mihi collatum est, vestrûm cuivis, ne sibi plus arroget, quam arrogare debeat: sed tantum arroget, ut sobrie arroget, pro fidei modo, quem cuique Deus impertivit. Deut. 29, 29. Prov. 25, 27. Eccl. 7, 16. Rom. 1, 5.

4 Ut enim uno in corpore multa membra habemus, quæ membra non omnia idem opus habeant: 1. Cor. 12, 12. &c.

5 Sic multi sumus unum corpus in Christo, invicem alii aliorum membra,

Eph. 1, 23. Col. 1, 24.

6 Sed qui dotes pro collato in nos beneficio varias habeamus: ut divinationem pro fidei portione:

1. Cor. 12, 4. 10. 2. Cor. 10, 13. 1. Pet. 4, 10.

7 Ut ministerium ad ministrandum: sive quis doceat, ad docendum: Eph. 4, 11.

8 Sive cohortetur, ad cohortandum: sive sit distributor, ut sincere: sive præsit, ut sedulo: sive largiatur, ut hilare faciat.

Deut. 15, 7.

9 Charitas simulationis expers: vitii osores, virtutis tenaces, Ps. 36, 5. & 139, 21. Am. 5, 15.

10 Ad fraternum mutuumque amorem proclives, honore prævenientes alius alium,

Phil. 2, 3. Eph. 4, 3.

11 Studio impigri, ferventes animo, tempori servientes,

Apoc. 3, 15.

12 Spe gaudentes, in adversis patientes, in precibus assidui,

Luc. 10, 20. & 18, 1. Rom. 15, 13.

13 Sanctorum egestatibus opitulantes, hospitalitatem exercentes.

1. Cor. 16, 1.

14 Bene precamini vos insectantibus, bene precamini, & ne imprecamini.

Matth. 5, 44.

15 Gaudete cum gaudentibus, & cum plorantibus plorate,

16 Eodem modo invicem animati: non vos animo efferentes, sed humilibus accommodantes. Ne vobis placete:

Prov. 3, 7.

17 Nemini malum pro malo reddite. Date operam ut vos apud omnes homines honeste geratis.

Prov. 20, 22. Matth. 5, 39. 1. Pet. 3, 9.

18 Si fieri potest (quantum in vobis est) pacem cum omnibus exercete,

Heb. 12, 14.

19 Non vos ipsos ulciscentes, o mihi charissimi, sed supplicio locum dantes. Extat enim scriptum: Mea est ultio, ego remunerabor, inquit Dominus.

Lev. 19, 18. Eccl. 28, 1. Matth. 5, 39.

20 Si itaque esurit inimicus tuus, da ei comedere: si sitit, da bibere. Id enim faciens, candentes carbones in ejus caput congeres.

Prov. 25, 21. Matth. 5, 44.

21 Noli maleficio vinci, sed beneficio vince maleficium.

CAP. XIII.

Vult ut subdamur magistratibus, proximum diligamus, vivamus juste, & Christum induamus.

OMnes mortales superioribus potestatibus pareant. Nulla est enim potestas nisi a Deo: ac quæ sunt potestates, eæ a Deo sunt institutæ.

Prov. 8, 15. 16. Dan. 4, 32. Sap. 6, 4. Joh. 19, 11.

2 Itaque qui potestati repugnat, Dei institutioni resistit: quique restiterint, pœnas dabunt.

3 Non enim recte factis metuendi sunt Magistratus, sed prave factis. Vis potestatem non timere? benefacito, & ab ea laudem consequeris.

1. Pet. 2, 14.

4 Nam Dei minister est, tibi quod sit bono. Verum si malefeceris, formida. Nec enim sine causa gladium gestat: quippe cum sit Dei minister, ad irrogandas pœnas iis, qui male faciunt.

5 Quapropter parere necesse est, non solum supplicii metu, sed etiam quia officii est.

6 Si quidem hanc ob causam tributa penditis, sunt enim publici Dei ministri, in hoc ipso assidui.

7 Quocirca solvite quod cuique debetis: cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal: cui metum, metum: cui honorem, honorem.

Matth. 22, 11. Marc. 12, 17.

8 Nihil cuiquam debete, nisi ut ametis vos inter vos. Nam qui alios amat, is lege perfunctus est.

Gal. 5, 14. 1. Tim. 1, 5.

9 Etenim, Ne adulterato, Ne occidito, Ne furator, Ne falsum testator, Ne concupiscito, & si quod aliud præceptum est, id in hoc dicto summatim comprehenditur: Alterum ut teipsum amato.

Exod. 20, 14. Deut. 5, 18. Lev. 19, 18.

10 Charitas alteri non male facit. Itaque legis perfunctio charitas est:

Matth. 22, 40. Marc. 12, 31. Gal. 5, 14. Iac. 2, 8.

11 Præsertim cum sciamus, venisse tempus & horam, qua jam sit nobis a somno expergiscendum. Nunc enim propius nos est salus quam tum, cum credidimus.

1. Cor. 5, 34. Eph. 5, 14. 1. Thess. 5, 6.

12 Discessit nox, dies adest. Quare deponamus opera tenebrarum, & induamus arma lucis.

Eph. 5, 11. 1. Thess. 5, 5. Col. 3, 8.

13 Honeste nos, ut in die geramus: non comessationibus, & ebrietatibus, non concubitibus, & libidinibus, non jurgiis, æmulatione:

Luc. 21, 34. 1. Cor. 6, 10. Eph. 5, 5. Gal. 5, 21.

14 Sed induite Dominum Iesum Christum, neve carnis curam gerite, cupiditatibus indulgēdo.

Prov. 23, 20. Gal. 3, 27. & 5, 16.

CAP. XIV.

Commendat eos qui fide sunt infirma, ne vitio nostro scandalizentur. Et illis e diverso imperat, ut non temere firmiores judicent, ut intra ædificationis, & caritatis terminos Christiana consistat libertas.

Si

SI quis autem imbecilla fide est, huic nulla cum animi dubitatione opitulamini.

Rom. 15, 1. 7. 1. Cor. 8, 9. 11. & 9, 22.

2 Alius omnibus vesci fas esse credit: alius infirmus vescitur oleribus.

3 Qui vescitur, non vescentem ne contemnito: item qui non vescitur, vescentem ne damnato: cum ei Deus subvenerit.

Col. 2, 16.

4 Tu quis es, qui alienum famulum damnes? suo Domino stat, aut cadit. Consistet autem: potest enim Deus eum stabilire.

Iac. 4 12.

5 Alius diem, diemque discernit: alius dies omnes eodem loco habet: Suam quisque sententiam exploratam habeat.

Gal. 4, 10. Col. 2, 16.

6 Qui dierum rationem habet, Domino habet: item qui dierum rationem non habet, Domino non habet. Qui vescitur, Domino vescitur, agit enim Deo gratias: item qui non vescitur, Domino non vescitur, & agit Deo gratias. 1. Cor. 10, 31.

7 Nullus enim vestrum sibi ipsi vivit, nullus item sibi ipsi moritur.

2. Cor. 5, 15. Gal. 2, 10.

8 Sive enim vivimus, Domino vivimus: Sive morimur, Domino morimur. Sive igitur vivimus sive morimur, Domini sumus:

9 Nam ideo Christus & mortuus est & resurrexit, ac revixit, ut & mortuis dominetur & vivis. Act. 10, 42. 2. Cor. 5, 25.

10 Tu vero cur tuum fratrem damnas? aut cur tuum fratrem despicis? cum simus omnes ad Christi tribunal adfuturi?

Matth. 25, 31. 2. Cor. 5, 10.

11 Scriptum est enim: Sic vivam (inquit Dominus) ut mihi se flecter omne genu, omnisque lingva Deum celebrabit.

Es. 45, 23. Phil. 2, 10.

12 Itaque nostrum quisque causam pro se dicet apud Deum.

Matth. 12, 36. 1. Cor. 3, 8.

13 Quamobrem ne jam damnemus alius alium: sed hoc potius statuite, non esse fratri offensioni, aut incommodo.

Matth. 18, 7. 8. 9. 1. Cor. 10, 32. 2. Cor. 6, 3.

14 Scio, & per Dominum Iesum persvasum habeo, nihil per se profanum esse, nisi quod putanti aliquid profanum esse ei profanum est.

Matth. 15, 11. Act. 10, 15. 2. Cor. 8, 4. 7. 10.

15 Verum si propter esum frater tuus offenditur, tu non jam charitatis officio fungeris. Noli eum tuo esu perdere, pro quo mortuus Christus est.

1. Cor. 8, 11.

16 Ne committite igitur, ut male audiat vestrum bonum.

17 Non est enim Dei regnum cibus & potio: sed justitia & pax & gaudium in Spiritu Sancto.

1. Cor. 8, 8.

18 In his enim qui Christo servit, is & Deo acceptus, & hominibus probatus est.

19 Quamobrem persequamur ea quæ ad pacem mutuamque utilitatem pertinent:

Matth. 15, 11. Act. 10, 25.

20 No-

20 Noli esus causa Dei opus abolere. Omnia quidem pura sunt: sed in eo malum est, si quis cum alterius offensione vescitur. Tit. 1, 5.

21 Decet neque carnes comedere, neque vinum bibere, neque quicquam, quo tuus frater vel impingat, vel lædatur, vel infirmetur. 1. Cor. 8, 13.

22 Tu fidem habes: apud te habe, in Dei conspectu. Felix qui se ipsum non damnat, in eo quod probat.

23 Qui vero dubitat, si comedit, damnandus est, quoniam non facit id cum fiducia: & quicquid cum fiducia non fit, peccatum est.

CAP. XV.

Paulus in hoc capite monet ut fortiores in fide robur suum conferant ad confirmandos fratres infirmos, idque Domini IESU Christi Salvatoris nostri exemplo, qui seipsum omnibus communicavit, non solum Iudæis, sed etiam gentibus. Denique rationem reddit, cur hanc ad Romanos epistolam scripserit. Obsecrat fratres per Iesum Christum, ut se laborantem precationibus adjuvent, ut liberetur ab incredulis Iudæis.

DEbemus autem nos, qui fortes sumus, imbecillorum infirmitates tolerare, neque nobis ipsis indulgere. 1. Cor. 9, 22. Gal. 6, 1.

2 Quisquis nostrum alteri indulgeat, boni causa, ad ejus utilitatem. 1. Cor. 9, 19. Phil. 2, 4. 5.

3 Etenim Christus non ipse sibi indulsit: sed quemadmodum memoriæ proditum est: Tuorum conviciatorum conviciis impetor. Ps. 69, 10.

4 Quæcunque enim ante scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, ut per patientiam, & scripturarum consolationem spem habeamus.

Rom. 4, 23. 24. 1. Cor. 10, 11.

5 Faxit autem Deus & patientiæ & consolationis autor, ut idem inter vos sentiatis, sicuti Christo Iesu dignum est,

Rom. 12, 16. 2. Cor. 1, 10.

6 Ut uno animo, unoque ore concelebretis Deum, & Patrem Domini nostri Iesu Christi.

7 Quocirca opitulamini mutuo, ut & Christus nobis ad Dei gloriam opitulatus est.

Rom. 14, 1. 3.

8 Dico autem, Iesum Christum ministrum fuisse circumcisionis propter Dei veritatem, ad ea confirmanda quæ majoribus fuerant promissa:

Matth. 15, 24. Act. 3, 25. 26.

9 Utque cæteræ gentes Deum ob ejus misericordiam celebrarent, quemadmodum scriptum extat: Quare te celebrabo apud gentes, tuumque nomen cantabo.

Ps. 18, 50. 2. Sam. 22, 50.

10 Item: Lætamini gentes, inquit, cum ejus populo.

Deut. 32, 43. Ps. 67, 5.

11 Item: Laudate Dominum gentes omnes, eumque collaudate omnes populi. Ps. 117, 1.

12 Item Esaias: Erit Isæa radix, existetque qui gentibus imperet, in quo gentes spem habebunt.

Es. 11, 10. Apoc. 5, 5. & 22, 16.

13 Cæ-

13 Cæterum Deus ſpei omni vos lætitia atque pace compleat fidentes, ut ſpe abundetis vi Spiritus Sancti.

14 Equidem hoc de vobis perſuaſum habeo, mei fratres, vos omnis eſſe bonitatis plenos, omni refertos cognitione, qui alius alium commonefacere poſſitis. 2. Pet. 1, 12. 1. Ioh. 2, 21.

15 Sed ideo vobis aliquanto audacius ſcripſi, fratres, ut vos in memoriam revocarem pro eo quod in me divinitus collatum eſt beneficio,

Rom. 1, 5. & 12, 3.

16 Ut ſim Ieſu Chriſti publicus miniſter ad extraneos, ſacrum Dei adminiſtrans Evangelium, ut extraneorum libatio accepta ſit, per ſanctum conſecrata ſpiritum. Act. 9, 15. Rom. 11, 13. Gal. 2, 7. 8.

17 Itaque habeo quod in Chriſto Ieſu glorier, apud Deum quidem.

18 Nam ne quidem eloqui auſim, quam nihil non (ad efficiendum, ut gentes obedirent) effecerit per me Chriſtus, tum verbis tum re.

Rom. 1, 5. & 16, 26.

19 Tanta prodigiorum ac miraculorum, tanta divini ſpiritus vi, ut a Hieroſolyma per circuitum, usque ad Illyricum, omnia Chriſti Evangelio repleverim:

20 Idque ita, ut Evangelium docere contenderem, non ubi nominatus eſſet Chriſtus, ne alieno fundamento ſuperſtruerem.

2. Cor. 10, 15. 16.

21 Sed quemadmodum ſcriptum extat: Quibus de eo non erat nunciatum, aſpicient: & qui non audiverant, intelligent.

Eſ. 52, 15.

22 Itaque ſæpenumero impeditus ſum, quo minus ad vos venirem.

Supr. 1, 23. 1. Theſſ. 2, 18.

23 At nunc cum jam in his tractibus locum non habeam, & veſtri viſendi cupiditate jam a multis annis tenear,

Supr. 1, 10. 1. Theſſ. 3, 10. 2. Tim. 1, 4.

24 Si quando in Hiſpaniam proficiſcar, adibo vos. Spero enim in itinere viſurum vos, & a vobis illo deductum iri, ſi prius meam veſtri aviditatem aliquantum explevero.

25 Nunc quidem proficiſcor Hieroſolymam, miniſtraturus ſanctis.

Act. 19, 21. & 24, 17.

26 Viſum eſt enim Macedonibus, & Achæis collectam quandam conficere ad ſanctorum pauperes, qui ſunt Hieroſolymis. 1. Cor. 16, 1. 2. Cor. 8, 1. &c. Gal. 2, 9. 10.

27 Viſum eſt, inquam, & ſane eis debent. Nam ſi extranei illorum ſpiritualia participarunt, debent viciſſim carnalibus rebus ſubvenire illis.

Rom. 11, 17. 1. Cor. 9, 11. Gal. 6, 6.

28 Hoc igitur ubi perfecero, eisque fructum hunc conſignavero, iſthac me conferam in Hiſpaniam.

29 Scio autem, cum veniam ad vos, venturum cum plena Chriſtiani Evangelii ubertate.

Rom. 1, 11.

30 Ex-

30 Exhortor autem vos fratres, per Dominum nostrum IEsum Christum, perque Spiritus charitatem, ut me faciendis ad Deum pro me supplicationibus adjuvetis,

2. Cor. 1, 11. Phil. 2, 1. Col. 4, 11.

31 Ut eos evadam qui sunt in Iudæa contumaces: utque id, cujus administrandi gratia Hierosolymam peto, gratum sit sanctis, 2. Thess. 3, 2.

32 Quo vos cum lætitia, Dei voluntate, visam, vobiscumque recreer. Act. 18, 21. Rom. 1, 10. & 15, 23.

33 Deus pacis vobis omnibus adsit. Amen.

Rom. 16, 20. 1. Cor. 14, 33. 2. Cor. 13, 11. Phil. 4, 9. 1. Thess. 5, 23. 2. Thess. 3, 16. Heb. 13, 20.

CAP. XVI.

Commendat Phœbam, salutat officiose complures, admonetque ut eos caveant, qui dissidiorum autores sunt.

COmmendo autem vobis Phœbam sororem nostram, Cenchreensis Ecclesiæ ministram,

2 Ut eam per Dominum accipiatis, sicuti sanctis dignum est, eique adsitis, quacunque in re ei vobis erit opus. Nam ea cum multis aliis tum mihi adfuit. 3. Ioh. v. 6.

3 Salutate Priscam & Aquilam, meos in Christo Iesu adjutores, Act. 18, 2. 26. 2. Tim. 4, 19.

4 (Qui pro mea vita suas objecere cervices: quibus non ego solus gratias ago, verum etiam omnes extraneorum Ecclesiæ.)

5 Et eorum domesticam Ecclesiam: Salutate Epænetum mihi charissimum, qui est Achaiæ primitiæ in Christianitate.

6 Salutate Mariam, quæ multum causa nostra laboravit.

7 Salutate Andronicum & Iuniam, meos cognatos, & aliquando mecum una captos, qui sunt in Apostolis insignes, qui etiam ante me Christo accesserunt.

8 Salutate Ampliam mihi in Domino charissimum.

9 Salutate Urbanum nostrum in Christo adjutorem: & Stachym mihi charissimum.

10 Salutate Apellem in Christo probatum. Salutate eos qui sunt ex Aristoboli familia.

11 Salutate Herodionem cognatum meum. Salutate eos qui sunt ex Narcissi familia, qui sunt in Domino.

12 Salutate Tryphænam & Tryphosam, quæ in Domino laborant. Salutate Persidem charissimam, quæ multum in Domino laboravit.

13 Salutate Rufum, hominem in Domino lectum, ejusque & meam matrem.

14 Salutate Asyncritum, Phlegontem, Hermam, Patrobam, Hermem, & eorum socios fratres.

15 Salutate Philologum, & Iuliam, Nereum & ejus sororem, & Olympam, & eorum socios omnes sanctos.

16 Salutate vos inter vos osculo sancto. Salutant vos Christi Ecclesiæ. 1. Cor. 16, 20. 2. Cor. 13, 12. 1. Thess. 5, 26.

17 Co-

17 Cohortor autem vos fratres, ut ab eis, qui seditiones & offensiones contra eam quam accepistis doctrinam excitant, caveatis, eosque declinetis.
Matth. 18, 8. 17. 1. Cor. 5, 9. 11. Col. 2, 8.

18 Nam ejusmodi homines non Domino Iesu Christo, sed suo ventri serviunt, & blanda speciosaque oratione fallunt animos non malitiosorum.
Ezech. 13, 18. Phil. 3, 18. 19. 2. Pet. 2, 3.

19 Nam vestra obedientia apud omnes increbuit, id quod vestra causa gaudeo: Sed volo vos, ut ad malum simplices, sic ad bonum esse sapientes.
Matth. 10, 16. Rom. 1, 8.

20 Deus autem pacis Satanam brevi sub vestris pedibus conteret. Adsit vobis Domini nostri Iesu Christi favor. Gen. 3, 15.

21 Salutant vos Timotheus meus adjutor & Lucius, & Iason, & Sosipater mei cognati.
Act. 13, 1. & 16, 1. & 20, 4.

22 Saluto vos ego Tertius, qui hanc epistolam in Domino scripsi. Act. 19, 22. 1. Cor. 1, 15. 2. Tim. 4, 20.

23 Salutat vos Cajus meus hospes, & totius Ecclesiæ. Salutat vos Erastus procurator civitatis, & Quartus frater.

24 Favor Domini nostri Iesu Christi adsit vobis omnibus. Amen.

25 Ei autem, qui potest confirmare vos secundum meum Evangelium, & Iesu Christi prædicationem, secundum patefactionem mysterii æternis temporibus taciti; Rom. 1, 5. & 15, 18. Eph. 1, 9. & 3, 9. 20. Col. 1. 26. 2. Tim. 1, 10.

26 Nunc autem declarati, & per vaticinas literas ex Dei immortalis instituto, ad obediendum fidei ad gentes omnes explicati: 1. Joh. 1, 1.

27 Soli sapienti Deo per Iesum Christum gloria in perpetuum. Amen.
Heb. 13, 15. 1. Tim. 1, 17. Iud. v. 25.

Scripta est Corinthi, missa per Phœbam Cenchreensis Ecclesiæ ministram.

PAULI APOSTOLI
EPISTOLA PRIMA
AD CORINTHIOS.

CAP. I.

Post gratulationem quæ vim habet exhortandi, taxat dissidia Corinthiorum, eosque a fastu ad humilitatem revocat. Nam evertens omnem mundi sapientiam, solam crucis prædicationem erigit.

Paulus vocatus Apostolus Iesu Christi Dei voluntate, & Sosthenes frater, Act. 18, 17.

2 Divinæ Ecclesiæ quæ Corinthi est, sanctificatis per Christum Iesum, vocatis sanctis: nec non omnibus, qui Domini nostri Iesu

Iesu Christi nomen invocant, quocunque in loco sive suo sive nostro:

Ioh. 17, 10. Act. 9, 14. 21. & 15, 9. & 22, 16.

3 Gratiam & pacem a Deo Patre nostro, & Domino Iesu Christo.

Rom. 1, 7. 2. Cor. 1, 2. Ephes. 1, 2. 1. Pet. 1, 2.

4 Ago Deo meo semper de vobis gratias, ob Dei beneficium in vos collatum, per Iesum Christum, Rom. 1, 8.

5 Quod per eum adeo rebus omnibus ditati estis, omni & oratione & scientia,

1. Cor. 12, 8. 2. Cor. 8, 7. Col. 1, 9.

6 (Quemadmodum de Christo testimonium in vobis confirmatum est)

7 Ut nulla dote careatis, patefactionem expectantes Domini nostri Iesu Christi,

Tit. 2, 13. Phil. 3, 20.

8 Qui vos confirmabit ad extremum inculpatos, ad diem Domini nostri Iesu Christi.

1. Thess. 3, 13. & 5, 23.

9 Fidelis Deus est, per quem ad ejus Filii Iesu Christi Domini nostri communionem vocati estis. 1. Thess. 5, 24.

10 Exhortor autem vos, fratres, per Domini nostri IESU Christi nomen, ut idem omnes loquamini: neve sint in vobis dissidia, sed sitis in eadem mente, eademque sententia compositi: Rom. 12, 16. Phil. 2, 2.

11 Declaratum est enim mihi de vobis, mei fratres, a Chloæ domesticis, inter vos esse lites;

12 Quod dico, hoc est, quod vestrum alius dicit, Ego sum Pauli: alius, ego Apollo, ego Cephæ, ego Christi.

Act. 18, 24.

13 Divisus ne Christus est? NumPaulus pro vobis crucifixus est? aut in Pauli nomen estis baptizati?

14 Ago Deo gratias, quod vestrum neminem baptizavi, nisi Crispum & Cajum:

Act. 18, 8.

15 Ne quis dicat, me in meum baptizasse nomen.

16 Baptizavi præterea Stephanæ familiam. Cæterum nescio an ullum baptizaverim.

1. Cor. 16, 15. 17.

17 Non enim legavit me Christus ad baptizandum, sed ad docendum Evangelium, nulla cum orationis eruditione, ne Christi crux inanis fiat.

2. Pet. 1, 6. Inf. 2, 1. 4. 13.

18 Est enim crucis oratio perituris stultitia, servandis autem nobis divina potestas.

Rom. 1, 16.

19 Scriptum est enim: Perdam sapientum sapientiam, & prudentum prudentiam abolebo.

Es. 29, 14. Job. 5, 12.

20 Ubi sapiens? Ubi literatus? ubi hujus seculi conquisitor? Nonne infatuavit Deus sapientiam hujus mundi?

Esa. 33, 18. Iob. 12, 17. & 20, 24.

21 Postquam enim ex divina sapientia non ita sapuit mundus, ut Deum cognosceret, visum est Deo, per prædicationis stultitiam servare fidentes:

Matth. 11, 25. Rom. 1, 21. 28.

22 Quan-

22 Quandoquidem & Iudæi portentum postulant: & Græci sapientiam quærunt,

Matth. 12, 38. Ioh. 4, 48.

23 Nos vero Christum prædicamus crucifixum, Iudæis offensionem, Græcis stultitiam:

Matth. 11, 6. Ioh. 6, 60. 66.

24 Sed ipsis vocatis, tum Iudæis, tum Græcis Christum Dei potentiam, Deique sapientiam.

Rom. 1, 16. Col. 2, 3.

25 Nam quod Dei stultum est, id sapientius est quam homines: & quod Dei imbecillum est, id fortius est quam homines.

26 Videtis enim, quomodo sitis vocati fratres: non multi quidem sapientes, quod ad carnem attinet, non multi potentes, non multi nobiles:

Ioh. 7, 48. Iac. 2, 5.

27 Sed mundi stultissima Deus elegit, ut sapientes confutaret: & mundi infirmissima elegit Deus, ut fortia confutaret:

28 Et mundi ignobilissima contemptissimaque elegit Deus, & quæ nihil sunt, ut quæ aliquid sunt, aboleret,

29 Ne quis mortalium gloriatur apud Deum.

Rom. 3, 27. Eph. 2, 9.

30 Ab eo autem vos estis per Christum Iesum, qui nobis est sapientia a Deo, justitia, & sanctitas, & liberatio:

Ioh. 17, 9. Col. 2, 3.

31 Ut quemadmodum scriptum est, Qui gloriatur, in Domino glorietur.

Esa. 65, 16. Ierem. 9, 23, 24.

CAP. II.

Prædicationem suam in exemplum adducit, humanitus quidem abjectam, spirituali tamen virtute insignem. Tandem concludit carnis judicio non posse æstimari.

ITaque ego cum veni ad vos, fratres, ita veni, ut nulla cum orationis, aut sapientiæ excellentia divinum vobis oraculum exponerem.

1. Cor. 1, 17. 2. Petr. 1, 16.

2 Statueram enim nihil scire apud vos, nisi Iesum Christum, & eum crucifixum.

Gal. 6, 14.

3 Itaque multa cum infirmitate & metu, ac tremore versatus sum apud vos:

Act. 18, 1. 3.

4 Et ejusmodi oratione ac prædicatione usus, quæ non persuasoriis humanæ sapientiæ verbis, sed spirituali potentique demonstratione constaret:

2. Cor. 1, 17. & 2, 13. 2. Pet. 1, 16.

5 Ne vestra fides in hominum sapientia, sed in Dei potentia sita foret. 2. Cor. 4, 7.

6 Sapientiam autem loquimur apud perfectos, sapientiam, inquam, non hujus seculi, neque principum hujus seculi, qui abolentur:

Iob. 28, 21. 1. Cor. 15, 24. Iac. 3, 15.

7 Sed Dei sapientiam arcane loquimur, abditam, quam destinavit Deus ante secula, ad nostram gloriam,

Rom. 16, 25. Ephes. 3, 9.

8 Quam nemo principum hujus seculi cognovit. Si enim

cognovissent, nunquam gloriæ Dominum crucifixissent.

Matt. 11,25. Ioh. 7,48. & 16,3.

9 Sed (quemadmodum scriptum est) quæ nec oculus hominis vidit, nec auris audivit, nec animus cogitavit, quæ præparavit Deus suis amatoribus.

Es. 64, 4.

10 Nobis autem Deus suo spiritu patefecit. Spiritus enim omnia rimatur, etiam Dei abditissima.

Matth. 13,11. & 16,17.

11 Nam quis hominum scit hominis negotia, nisi hominis spiritus qui in eo est? Sic Dei negotia nullus scit, nisi Dei spiritus.

Prov. 20, 27. & 27, 19. Ier. 17, 9.

12 Nos vero non mundi spiritum accepimus, sed profectum a Deo spiritum, ut intelligamus quæ nobis largitus Deus est.

Rom. 8,15.

13 Quæ etiam eloquimur, non eruditis humanæ sapientiæ, sed eruditis Sancti Spiritus sermonibus, spiritualibus spiritualia componentes.

Sup. 1,17. 1. Petr. 1, 16.

14 Animalis autem homo non capit quæ sunt divini Spiritus, quippe quæ sint ei stultitia: itaque non potest ea cognoscere, ut quæ sint spiritualiter examinanda.

Rom. 8, 7.

15 At spiritualis explorat omnia, nec ipse a quoquam exploratur.

Prov. 27,19. & 28,5. 1. Thess. 5,21. 1. Ioh. 4,1.

16 Quis enim Domini mentem novit, ut eum instiget? At nos Christi mentem habemus.

Iob. 15,8. Esa. 40, 13. Ier. 23, 8.

CAP. III.

Ratione reddita doctrinæ suæ humilis, docet quo loco habendi sint ministri, quod munus, quæ vera ædificandi ratio, monet Corinthios, ne patiantur animos suos profanari, superba carnis sapientia.

EGo vero, fratres, non potui vos ut spirituales alloqui, sed ut carnales, ut in re Christiana infantes.

2 Lac vobis bibendum dedi, non cibum. Nondum enim poteratis, sed ne nunc quidem adhuc potestis, quippe qui sitis adhuc carnales. Heb. 5, 12. 13. 1. Petr. 2, 2.

3 Etenim cum sit inter vos æmulatio, & lis, & dissidia, nonne carnales estis, humanoque more vos geritis?

1. Cor. 1, 11. Gal. 3, 19.

4 Cum enim dicat aliquis, ego sum Pauli: alius, ego Apollo: nonne carnales estis?

1. Cor. 1, 12.

5 Quis vero est Paulus? aut quis Apollos? nisi ministri, per quos vos credidistis, prout cuique dedit Dominus.

Act. 14, 24. 1. Cor. 1, 12.

6 Ego sevi, Apollo irrigavit: sed Deus auxit.

7 Itaque neque sator quicquam est, neque irrigator, sed qui auget Deus.

8 Sator autem & irrigator idem sunt: sed uterque suam mercedem

mercedem accipiet pro suo labore.

Ps. 62,13. Ier. 17, 10.

9 Nos enim Dei sumus adjutores: Vos Dei agricultura, Dei ædificium estis.

2. Cor. 6, 1. Eph. 2,20.

10 Ego pro Dei beneficio in me collato, ut sapiens architectus fundamentum jeci: alius superstruit. Sed videat quisque quomodo superstruat.

Rom. 1,5. Apoc. 21,14.

11 Nam fundamentum aliud jacere nemo potest, præter id quod jactum est, qui est Iesus Christus. Es. 28, 16.

Matth. 16, 18.

12 Quod si quis huic fundamento superstruit aurum, argentum, gemmas, ligna, fœnum, stipulam,

13 Cujusque opus perspicuum fiet: Dies enim declarabit: nam igne patefiet: ac quale cujusque sit opus, ignis explorabit.

Es. 8,20. & 48,10. Ier. 23, 29.

14 Si cujus opus, quod superstruxerit, manebit, is præmium accipiet.

15 Si cujus opus comburetur, is jacturam faciet: quanquam evadet ipse quidem, sed sic ut per ignem.

16 An nescitis, vos Dei esse templum, Deique Spiritum in vobis habitare. Inf. 6, 19.

2. Cor. 6 16. Eph. 2,21. 22.

17 Si quis Dei templum corrumpit, corrumpet hunc Deus: templum enim Dei sacrum est, qui estis vos.

18 Nemo seipsum fallat. Si quis sapiens sibi videtur apud vos, in hoc seculo stultus fiat, ut fiat sapiens.

19 Nam hujus mundi sapientia, apud Deum stultitia est. Sic enim scriptum extat: Qui sapientes sua ipsorum calliditate capit:

Ioh. 5, 13.

20 Itemque intelligit Dominus sapientum cogitationes esse vanas. Ps. 94, 11.

21 Itaque nemo glorietur in hominibus: omnia enim vestra sunt,

22 Et Paulus, & Apollos, & Cephas, & mundus, & vita, & mors, & præsentia, & futura, omnia vestra sunt: vos autem Christi, & Christus Dei.

1. Cor. 11, 3.

CAP. IV.

Definitione veri apostoli adducta, humilitatis speciem honori sibi magis esse debere, quam probro docet. Signa profert unde re ipsa appareat, nec gloriæ, nec ventri ipsum studuisse. Ad finem Timotheum commendat.

SIc de nobis existiment homines, ut de Christi ministris, & divinorum arcanorum dispensatoribus, Matth. 14, 45.

1. Cor. 4,5. & 6, 4.

2 Cæterum quod in dispensatoribus requiritur, ut fidelis quis comperiatur:

Luc. 17, 42.

3 Ego vero minimi facio, de me vel a vobis, vel omni humana die judicari: quin neque ipse de me sententiam fero.

4 Quamvis enim nihil mihi consciam, non tamen idcirco

sum absolvendus. Verum qui de me judicium facturus sit, Dominus est.

Exod. 34, 7. Ps. 130, 3. & 143, 2.

5 Quamobrem ne quid ante tempus judicate, donec veniat Dominus, qui & tenebrarum occulta proferat in lucem, & animorum consilia patefaciat: ac tum demum laudem quisque consequatur a Deo.

Dan. 7, 10. Matth. 7, 1.

6 Hæc ego, fratres, in me & in Apollo derivavi, propter vos, ut in nobis discatis, nemini supra quam scriptum est arrogare, ne alius de alio contra alterum tumeatis.

Prov. 3, 7. Rom. 12, 3.

7 Quis enim de te judicaturus est? Quid vero habes, quod non aliunde habeas? quod si aliunde habes, quid te jactas, perinde ac si non aliunde haberes?

Ioh. 3, 27. Rom. 12, 6.

8 Iam vos saturi, jam divites estis, sine nobis regnatis: atque utinam regnaretis, ut nos quoque una vobiscum regnaremus.

9 Nos enim postremos Apostolos Deus, puto, pro necandis habet: qui mundo, & Angelis, & hominibus spectaculum sumus.

Ps. 44, 23. Rom. 8, 36.

10 Nos propter Christum stulti sumus, vos in re Christiana prudentes: Nos imbecilli, vos fortes: Vos gloriosi, nos infames. Ad hoc tempus & esurimus, & sitimus, & nudi sumus, & pugnis cædimur, & agitamur,

1. Cor. 2, 3.

11 Et laboramus, nostris ipsi manibus operantes.

Act. 23, 2. 2. Cor. 4, 8.

12 Conviciis appetiti fausta precamur: infestati patimur:

Matt. 5, 44. Luc. 6, 28. & 23, 34.

13 Cum maledicitur nobis, solamur: hactenus pro mundi recrementis ac publicis quisquiliis ducimur.

Lament. 3, 45.

14 Non equidem ut vos pudore afficiam, hæc scribo: sed ut charissimos mihi natos commonefacio. 1. Thess. 2, 11.

15 Nam etiam si mille pædagogos habeatis in Christo, at non multos patres. Etenim in Christo Iesu per Evangelium ego vos genui. Act. 18, 11.

Gal. 4, 19. Philem. v. 10.

16 Itaque vos cohortor, ut mei sitis imitatores.

1. Cor. 11, 1. Phil. 3, 17.

17 Hanc ob causam misi vobis Timotheum, qui meus est charus fidusque natus in Domino, qui vobis narret instituta mea, quod ad Christi rem attinet, quomodo ubique in omni Ecclesia doceam. 1. Tim. 1, 2. 2. Tim. 1, 2.

18 Enim vero perinde quasi ad vos ego venturus non sim, inflati sunt quidam:

19 Sed veniam ad vos brevi, si volet Dominus, & cognoscam non orationem istorum inflatorum, sed vires.

Act. 18, 21. Iacob. 4, 15.

20 Non enim in oratione situm est divinum regnum, sed in viribus.

1. Thess. 1, 5.

21 Utrum vultis, cum virga veniam

veniam ad vos, an cum charitate, animoque mansueto?
2. Cor. 10, 2.

CAP. V.

Quod incestuosum privigni cum noverca conjugium taciti ferrent satis causæ esse admonet, cur pudore dejiciantur potius, quam superbiant. Ejusmodi scelera excommunicatione vindicanda esse, ne contagio latius serpant.

OMnino auditur apud vos esse stuprum, & quidem tale stuprum, quale ne apud extraneos quidem nominatur, ut uxorem quidam patris habeat:
Lev. 18, 8. Deut. 27, 20.

2 Et vos inflati estis, & non potius lugetis ut de medio vestrûm tollatur, qui facinus istud commisit.

3 Ego vero ut corpore absens, animo præsens, jam decrevi, tanquam præsens, istius facti perpetratorem, Col. 2, 5.

4 In nomine Domini nostri Iesu Christi, congregatis vobis & animo meo cum Domini nostri Iesu Christi potentia,
Matth. 6, 19. & 18. 8.

5 Istum, inquam, dedere Satanæ ad perniciem corporis, ut animus servetur ad diem Domini Iesu. 1. Tim. 1, 20.

6 Non est honesta vestra gloriatio. An nescitis, exiguo fermento massam totam fermentari? Gal. 5, 9. Iac. 1, 29.

7 Expurgate ergo vetus fermentum, ut sitis nova massa, sicut estis infermentati. Etenim Pascha nostrum pro nobis immolatus est Christus:
Es. 53, 7. Ioh. 1, 29.

8 Proinde festum agamus, non vetere fermento, neque improbitatis malitiæque fermento, sed sinceritatis, veritatisque panibus infermentatis.
Exod. 12, 3. 15.

9 Quod scripsi vobis per epistolam, ne cum impudicis commercium haberetis,

10 Id non scripsi de omnibus hujus mundi impudicis, aut avaris, aut rapacibus, aut deastricolis: alioqui vobis esset ex orbe migrandum.

11 Sed quod cum eis non esse contrahendum scripsi, id eo pertinet, ut si quis, qui frater nominetur, impudicus est, aut avarus, aut deastricola, aut conviciator, aut ebriosus, aut rapax, cum hujusmodi homine ne quidem cibum capiatis. Matth. 18, 17.
Rom. 16, 17. 2. Thess. 3, 6. 14.

12 Nam de alienis quidem quid me judicare attinet? cum vobis sit de vestris judicandum:
Matth. 4, 11. Col. 4, 4.

13 De alienis quidem judicat Deus. Igitur auferte malos de medio vestrûm.

CAP. VI.

Invehitur in forenses contentiones, quibus se mutuo vexabant sub infidelibus, cum magno evangelii dedecore. Deinde scortandi licentiam gravi comminatione exagitat.

AUdet aliquis vestrûm, negotium habens cum altero, judicio experiri apud injustos, ac non potius apud sanctos?

2 An nescitis, sanctos de mundo judicium esse facturos?

Quod si a vobis de mundo judicandum est, an tantillis indigni judiciis estis?

Matth. 19, 28. Luc. 22, 30.

3 An vos præterit, nos etiam de Angelis sententiam esse laturos, nedum de hujus vitæ negotiis?

4 Ergone si de hujus vitæ negotiis controversias habetis, eas ad eorum judicium refertis, qui in Ecclesia despicatui sunt?

5 Hoc dico, ut vos pudeat. Adeone in vobis ne unus quidem ita peritus est, ut possit inter suos fratres dijudicare?

6 Sed frater cum fratre litigat, idque sub infidentibus.

7 Iam quidem omnino vitium in vobis est, quod inter vos controversias habetis. Cur non potius injuriam patiamini? Cur non fraudamini? Prov. 20, 22.

Matth. 5, 39. Luc. 6, 29.

Rom. 12, 17. 19.

8 Imo vos injuriam facitis ac fraudatis & quidem fratres.

9 An vos latet, injustos non esse divinum regnum adepturos?

10 Ne errate: nec impudici, nec deastricolæ, nec adulteri nec molles, nec cinædi, nec fures, nec avari, nec ebriosi, nec conviciatores, nec rapaces, divinum regnum consequentur.

1. Thess. 4, 6. Gal. 5, 19. Eph. 5, 5. 1. Timoth. 1, 9.

11 Et tales quidem nonnulli eratis: sed abluti estis, sed sancti, sed justi facti per nomen Domini Iesu, perque Dei nostri Spiritum. Eph. 2, 1. 2. 3. & 5, 8. Col. 3, 7.

12 Quidvis mihi licet, tametsi non quidvis conducit: quidvis mihi licet, tametsi ego nulli rei mancipabor.

Infr. 10, 23.

13 Et dapes ventri, & dapibus venter: & hunc & illum abolebit Deus. At corpus non stupro, sed Domino, & Dominus corpori. Matth. 15, 17. Rom. 14, 17.

14 Deus vero & Dominum suscitavit, & vos per ejus potestatem suscitabit. Act. 2, 24.

Rom. 6, 5. 8. 2. Cor. 4, 24.

15 An nescitis corpora vestra Christi esse membra? Ergo Christi membra tollam, & scorti membra faciam? Absit.

Eph. 4, 12. 15. 16.

16 An nescitis, eum qui cum scorto copulatur, unum esse corpus? Fiet enim, inquit ille, ex duobus una caro.

Gen. 2, 24. Matth. 19, 5.

17 Qui vero cum Domino copulatur, unus spiritus est.

Ioh. 17, 21. seqq. Eph. 4, 4. & 5, 30.

18 Fugite stuprum. Omne aliud peccatum, quodcunque committit homo, extra corpus est: sed qui scortatur, is intra corpus suum peccat.

19 An ignoratis vestrum corpus templum esse Sancti Spiritus, qui in vobis est, quem a Deo habetis? neque vos esse vestros.

Sup. 3, 16. & 6, 16. Eph. 2, 21.

20 Quippe precio emptos? Honorate sane Deum vestris & corporibus, & animis, quæ Dei sunt. Infr. 7, 23.

CAP. VII.

Differens hic de conjugio, quod est remedium vitandæ scortationis, indissolubile, iubet unumquemq; sorte

sorte sua contentum vivere. Quo virginitatis finis esse debeat ostendit, & qui conjugium suscipere debeant.

DE quibus autem mihi scripsistis, bonum esset homini mulierem non tangere:

2 Sed propter stupra, suam quisque uxorem, & suum quæque virum habeat.

3 Uxori vir debitam benevolentiam solvat: itidemque uxor viro. 1. Petr. 3, 7.

4 Uxor sui corporis domina non est, sed vir: itemque vir sui corporis Dominus non est, sed uxor.

5 Nolite alter alterum defraudare, nisi forte ex mutuo consensu, ad tempus, ut jejunio & precibus vacetis: & deinde congrediamini, ne vos tentet Satanas propter vestram intemperantiam.

6 Hoc autem dico, quod ita permittam, non quod præcipiam.

7 Vellem enim omnes homines sic esse, ut ego sum. Sed sua quisque dote præditus est a Deo, alius aliter. Matth. 19, 12. Act. 26, 29. 1. Cor. 12, 11.

8 Cælibibus autem & viduis dico, bonum esse, si sic maneant, ut ego.

9 Tamen si se non continent, contrahant matrimonium. Satius est enim matrimonium contrahere, quam ardere. 1. Tim. 5, 14.

10 Conjugibus autem præcipio, non ego, sed Dominus, ne uxor a viro dirimatur. Mal. 2, 14. Matth. 5, 32. & 19, 6. 9.

11 Quod si dirempta fuerit, maneat cælebs aut viro reconcilietur. Item, ne vir uxorem repudiet.

12 Cæteris ego dico, non Dominus: Si quis frater uxorem habet infidentem, quæ tamen cum eo libenter habitet, eam ne repudiato.

13 Item mulier quæ virum habet infidentem, qui tamen cum ea libenter habitet, eum ne repudiato.

14 Sanctus enim fit vir infidens per uxorem: itemque sancta fit uxor infidens per virum. Alioquin vestri liberi impuri essent, cum nunc sint sancti.

15 Sin infidens divortium facit, faciat, non est in hujusmodi re servus frater aut soror: quin nos ad pacem vocavit Deus.

16 Quî scis autem mulier, an tu virum servatura sis? aut quî scis vir, an tu uxorem servaturus sis? 1. Petr. 3, 1.

17 Cæterum ut cuique largitus Deus est, ut quemque Dominus vocavit, ita se gerat: atque ita in omnibus Ecclesiis faciendum præcipio.

18 Circumcisus vocatus est aliquis, ne præputietur: præputiatus vocatus est, ne circumcidatur.

10 Circumcisio nihil est, & præputium nihil est, sed præceptorum Dei conservatio. Gal. 5, 6. & 6, 15.

20 In quo quisque statu vocatus est, in eo maneto. Eph. 4, 1. Phil. 1, 27. Col. 1, 10.

21 Servus vocatus es, ne curato: quanquam si liber fieri potes, eo potius utere.

22 Nam qui cum servus esset, vocatus est in Domino, is Domini libertus est. Itidem, qui liber vocatus est, is Christi servus est.

Ioh. 8, 36. Rom. 6, 18. 22. 1. Cor. 9, 21.

23 Precio empti estis: nolite hominum servi fieri.

Sup. 6, 20. 1. Petr. 1, 18. 19. Hebr. 9, 12.

24 In qua quisque conditione vocatus est, fratres, in ea maneto apud Deum.

25 De virginibus autem Domini præceptum non habeo: sed consilium do, ut qui is sim, cui Domini clementia fidentem esse datum sit.

26 Arbitror igitur, id bonum esse propter instantes res adversas, quod homini bonum est sic esse.

27 Devinctus es uxore, ne quære solutionem: solutus es uxore, ne quære uxorem.

28 Quod si duxisti, non peccasti: & si nupsit virgo, non peccavit, sed iis humanæ calamitates ferendæ sunt, & ego vobis parco.

29 Cæterum hoc ajo, fratres: Tempus angustum est: restat, ut qui & uxores habent, perinde sint, ac si non habeant:

Rom. 13, 11. 1. Pet. 4, 7. 2. Pet. 3, 8. 9.

30 Et qui plorant, ac si non plorent: & qui gaudent, ac si non gaudeant: & qui emunt ac si non teneant:

31 Et qui utuntur hoc mundo, ita ut non abutantur. Abit enim species hujus mundi,

Ps. 39, 7. Es. 40, 6. Iac. 1, 10. & 4, 14. 1. Petr. 1, 24.

32 Et ego vos securos esse vellem. Cœlebs Domini res curat, ut Domino placeat.

1. Tim. 5, 5.

33 Maritus mundana curat, uxori ut placeat, atque ita divisus est.

34 Item mulier cœlebs, aut virgo Domini res curat, ut & corpore sancta sit, & spiritu: at nupta curat mundana, viro ut placeat.

35 Hoc autem ad vestram ipsorum utilitatem dico, non uti laqueum vobis injiciam, sed ut honeste ac indivisa cum Domino conjunctione vivatur.

36 Quod si quis in virgine sua indecorum esse putat, ut ea vieta sit, atque ita faciendum est, quod volet faciat, non peccat, nubat.

37 Sed qui animo constans est, neque cogitur, sed liber, & sui juris est, atque hoc animo suo statuit, suam servandam esse virginem, recte facit.

38 Itaque & qui nuptum elocat, recte facit: & qui non elocat, rectius facit.

39 Mulier lege obstricta est, quandiu vivit ejus vir: Sin obdormiverit vir ejus, liberum est ei cui velit nubere, dummodo in Domino.

Rom. 7, 1. 2.

40 Quanquam felicior est, si sic manserit mea quidem sententia: Videor autem ego quoque mihi Dei habere Spiritum.

1. Thess. 4. 8.

CAP.

CAP. VIII.

Ab hoc loco usque ad finem decimi capitis dehortatur, ut ab impuris gentilium epulis abstineant. Abusum Christianæ libertatis coercet, & scientiam caritate frenandam docet.

DE iis autem, quæ sunt sacrificata deastris, scimus omnes nos ejus rei cognitionem habere. Cognitio inflat, charitas aliis prodest.

Act. 15, 20. 29. Rom. 14, 3. 10. 14. 22.

2 Quod si quis scire sibi aliquid videtur, nihil dum novit, ut quidem nosci debet.

Gal. 6, 3. 1. Tim. 6, 4.

3 At si quis Deum amat, is Deo notus est.

4 Ergo de esu immolatorum deastris, scimus nullum esse in mundo deastrum: nullumque alium esse Deum excepto uno.

Deut. 4, 39, & 6, 4. Marc. 12, 29. Rom. 14, 14.

5 Quamvis enim sint qui dicantur Dii, tum in cœlo, tum in terra (ut sunt multi, & qui Dei, & qui Domini dicantur)

6 At nobis quidem unus est Deus, Pater ille, a quo omnia, & in quem nos: item, unus est Dominus Iesus Christus, per quem omnia, & per quem nos.

Mal. 2, 10. Ioh. 13, 13. Act. 17, 28.

7 Sed non est in omnibus hujus rei cognitio. Quin nonnulli hodie opinantes esse deastros, tamen quasi deastris immolata comedunt: itaque eorum conscientia, quæ infirma est, labefactatur.

Rom. 14, 23. 1. Cor. 10, 28.

8 Atqui cibus non commendat nos Deo: Nam neque si vescimur, præstantiores sumus: neque si non vescimur, sumus deteriores. Rom. 14, 17.

9 Sed videte, ne vestra ista potestas detrimento sit imbecillibus.

Rom. 14, 13. 26. Gal. 5, 13.

10 Si quis enim viderit, te cui nota res est, in deastrorum mensa accumbentem, nonne cum sua illa opinionis infirmitate impelletur, ad vescendum deastrorum victimis:

11 Atque ita per tuam cognitionem peribit frater imbecillis, propter quem oppetiit Christus.

Rom. 14, 15. 20.

12 Sic autem peccantes in fratres, & eorum infirmam conscientiam percellentes, in Christum peccatis. Rom. 14, 18.

13 Quamobrem si esus officit meo fratri, nunquam carnem comedero, ne fratrem meum lædam. Rom. 24, 21. 2. Cor. 11, 29.

CAP. IX.

Ostendit qualiter libertate a Domino sibi permissa, ultro abstinuerit, ne quem in rebus mediis offenderet, vitamque nostram stadii instar esse dicit.

AN scilicet non sum Apostolus? scilicet non sum liber? scilicet Iesum Christum Dominum nostrum non vidi? scilicet opus meum non estis vos in Domino?

Act. 9, 3. 17. & 22, 14. 17. 18.

2 Si aliis non sum Apostolus, at certe vobis sum, siquidem, vos mei muneris sigillum estis in Domino.

3 Atque hæc est mea apud eos, qui me explorant, defensio,

4 Scilicet non liceat nobis comedere ac bibere?

1. Thess. 2, 7.

5 Scilicet non liceat nobis sororem uxorem circumducere, ut & cæteris Apostolis, & Domini fratribus & Cephæ?

Matth. 8,14. & 12, 46. Marc. 6, 3.

6 Soli ne mihi & Barnabæ, ne non operemur, interdictum est?

2. Thess. 3, 9.

7 Quis unquam suis stipendiis militat? quis vineam pangit, nec ejus fructu vescitur? aut quis ovile pascit, quin ovilis lacte vescatur?

Ioh. 21, 15. 1. Cor. 3, 6. 7. 8.

8 Num hæc ego humano more loquor? an non lex quoque dicit eadem?

9 Nam in Mosis lege scriptum est: Bovi trituranti os ne obstruito. Bovesne curæ Deo sunt?

Deut. 25, 4. 1. Tim. 5, 18.

10 An propter nos omnino dicit? Propter nos enim literis proditum est, spe debere arantem arare, & triturantem spe participare quod sperat.

2. Tim. 2, 6.

11 Si nos vobis divina seminavimus, magnum vero est, si nos humana vestra metemus?

Rom. 15, 27.

12 Si alii vestras facultates participant, cur non magis nos? Verum non sumus hac usi potestate, sed quidvis perferimus, ne quid Christi remoremur Evangelium. Act. 20, 33.

2. Cor. 11, 9. 12.

13 An nescitis, eos qui sacra procurant, sacris vesci? qui aræ operam dant, aræ participes esse?

Num. 18, 8. Deut. 18, 1.

14 Similiter item Evangelium publicantibus mandavit Dominus, ut Evangelio viverent.

Lev. 19, 13. Deut. 24, 14. & 25, 4.

15 Et tamen ego nihil horum usurpam. Neque vero hæc eo scripsi, ut in me sic fiat. Nam mihi mori satius est, quam ut meam gloriationem quisquam aboleat. Act. 18, 3. & 20, 34.

16 Etenim si Evangelium doceo, non est quod glorier, quippe cum necessitate cogar, ac pœnas daturus sim nisi doceam.

Rom. 1, 14.

17 Quod si volens hoc facio: mercedem assequar: sin invitus, hæc mihi procuratio credita est.

1. Cor. 4, 1.

18 In quo igitur mihi posita merces est? si ita doceam, ut nullus in Christi Evangelium sumptus fiat, non abutendo mea in Evangelio potestate.

19 Cum enim ab omnibus liber essem, omnibus me mancipavi, quo plures lucrarer.

Matth. 18, 15. Rom. 11, 14.

20 Fuique Iudæis ut Iudæus, quo Iudæos lucrifacerem: legi subditis, ut legi subditus, quo legi subditos lucrifacerem:

Act. 16, 3. & 18, 18. & 21, 23. &c.

21 Exlegibus ut exlex (non quod Deo exlex essem, eram enim in lege Christo) quo exleges lucrifacerem.

1. Cor. 7, 22. Gal. 2, 3.

22 Fui infirmis perinde ac infirmus, quo infirmos lucifacerem:

rem: Denique quibusvis quidvis fui, ut omnino aliquos servarem.
Rom. 11, 14. & 15, 1. 1. Cor. 10, 33.

23 Atque hoc Evangelii causa facio, ut ejus fiam particeps.

24 An nescitis ut qui currunt in curriculo, omnes quidem currant, sed unus certaminis precium obtinear? sic currite, ut assequamini. Gal. 2, 2. & 5, 7.
Phil. 2, 16. & 3, 14.

25 Enimvero omnes qui certant, omnia perferunt, illi quidem, ut interituram assequantur coronam: at nos, immortalem.
Eph. 6, 12. 1. Tim. 6, 12.
1. Pet. 1, 4. & 5, 4.

26 Equidem sic curro, ut non incerto: sic luctor, ut qui non aerem verberem:
2. Tim. 2, 5. & 4, 8.

27 Quin contundo subigoque corpus meum, ne forte cum alios docuerim, ipse sim rejectaneus. Rom. 6, 18. 19. & 8, 13.

CAP. X.

Si DEUS Iudæis non pepercit, neque iis parcet, quibus sors est æqualis in tesseris externis suæ gratiæ. Itaque absurdum esse participes fieri mensæ dæmoniorum eos, qui Cœnæ Domini communicant, & qui in rebus mediis rationem proximi non habent.

NOlo autem vos ignorare, fratres, majores nostros omnes sub nube fuisse, & omnes mare trajecisse. Exod. 13, 21.
& 14, 22. Num. 9, 18.

2 Et omnes nomine Mosis nube marique baptizatos.

3 Et omnes eodem spirituali cibo usos fuisse.
Exod. 16, 14. Ps. 105, 41.

4 Et omnes eandem potionem spiritualem bibisse. Bibebant enim ex spirituali sequente petra, quæ petra Christus erat.
Exod. 17, 6. Num. 20, 10.
& 21, 16.

5 Et tamen eorum plerique Deo accepti non fuerunt: sunt enim in solitudine prostrati.
Num. 14, 23. 37. & 26, 64. 65.

6 Hæc autem nobis exempla præbent, ne simus malorum cupidi, ut illi concupiverunt:
Num. 11, 4. 33. Ps. 78, 20.
& 106, 14.

7 Neve deastrorum cultores sitis, ut illorum nonnulli, sicuti memoriæ proditum est: Sedit populus ad capiendum cibum, ac potionem, deinde surrexerunt ad ludendum. Exod. 32, 6.

8 Neve scortemur: quemadmodum eorum nonnulli scortati sunt, ideoque ceciderunt uno die viginti tria millia.
Num. 25, 1. 9. Ps. 106, 28.

9 Neve Christum tentemus, quemadmodum eorum nonnulli tentarunt, itaque a serpentibus perierunt.
Exod. 17, 2. 7. Num. 21, 6.

10 Neve murmurate, quemadmodum eorum nonnulli murmurarunt: itaque ab exterminatore perierunt.
Exod. 16, 2. & 17, 2.

11 Hæc autem omnia illis ut exempla contigerunt: scriptaque sunt nostri, qui in extrema seculorum incidimus, admonendi gratia. Rom. 15, 4. Phil. 4, 5.

12 Proinde qui sibi stare videtur, videat ne cadat.
Rom. 11, 20.

13 Nul-

13 Nulla vos, nisi humana, invasit tentatio. Sed ita fidelis Deus est, ut vos non sit tentari permissurus, supra quam possitis: sed cum tentatione ejusmodi eventum facturus, ut ferendo vincere possitis. Ps. 125, 3.
Ier. 29, 11. 1. Cor. 1, 8.

14 Quamobrem, o mihi charissimi, fugite deastrorum cultum.
2. Cor. 6, 17. 1. Ioh. 5, 21.

15 Ut prudentes alloquor: judicate vos quod dico ego.

16 Poculum laudatorium, in quo laudes dicimus, nonne communitas sangvinis Christi est? Quem panem frangimus, nonne communitas Christi corporis est? Matth. 26, 26.

17 Quandoquidem unus panis, unum corpus multi sumus: omnes enim sumus ejusdem panis participes.
Rom. 12, 5. 1. Cor. 12, 27.

18 Considerate Israelitas quod ad humanitatem attinet: nimirum qui sacrificiis vescuntur, sunt aræ participes.
Lev. 3, 3. & 7, 15.

19 Quid ergo est quod dico? sacrificata deastris esse aliquid? aut deastros esse aliquid?
1. Cor. 8, 4.

20 Imo quæ sacrificant extranei, ea dæmoniis sacrificare dico, non Deo. Dæmonum autem participes esse vos nolo.
Lev. 17, 7. Deut. 32, 17.

21 Non potestis & Domini & dæmoniorum poculum bibere, non potestis & Domini & dæmoniorum mensam participare.
Deut. 32, 18. 2. Cor. 6, 15.

22 Irritandusne nobis Dominus est? num sumus eo potentiores? Deut. 32, 21.

23 Quidvis mihi licet, sed non quidvis conducit. Quidvis mihi licet, sed non quidvis prodest.
Sup. 6, 12.

24 Nemo suo, sed alterius quisque commodo studeat.
Rom. 15, 1. 2. 1. Cor. 13, 5.

25 Quicquid in macello venale est, vescimini, nihil sciscitantes propter conscientiam.

26 Nam Domini & terra est, & omnia terrestria.
Exod. 19, 5. Ps. 24, 1. & 50, 12.

27 Quod si quis infidentium vos invitat, & vultis ire, quicquid vobis apponetur, vescimini, nihil sciscitantes propter conscientiam.
Luc. 10, 7. 1. Cor. 8, 7.

28 Si quis vero nobis dixerit, Hoc deastris immolatum est, ne vescimini propter eum qui indicavit, propterque conscientiam. Nam Domini & terra est, & omnia terrestria.
1. Cor. 8, 10. 11. & 10, 26.

29 Conscientiam autem dico, non suam cujusque, sed alterius. Cur enim mea libertas damnaretur ab alia conscientia?
Rom. 14, 16.

30 Quod si ego grate participo, cur in eo vituperer, de quo gratias ago? 1. Tim. 4, 4.

31 Ergo sive comeditis, sive bibitis, seu quid aliud facitis, omnia ad Dei gloriam facite.
Col. 3, 17.

32 Præbete vos & Iudæis, & Græcis, & Ecclesiæ divinæ innoxios: Rom. 14, 13.

33 Quem-

33 Quemadmodum ego quoque omnia omnibus indulgeo, non meæ, sed multorum studens utilitati, ut serventur. Imitatores mei estote, quemadmodum ego quoque sum Christi.

Rom. 15, 2. 1. Cor. 9, 19. 22. 1. Cor. 4, 16. Eph. 5, 1. Phil. 3, 17.

CAP. XI.

Notat Corinthios quod in sacris cœtibus, viri orent velatis capitibus, mulieres vero retectis. In summa, quod in pejus conventrent, & profana symposia permiscerent epulo sacro Cœnæ Domini, quam ad primam institutionem exigit.

LAudo equidem vos, fratres, quod omnia mea meministis: & instituta, quemadmodum vobis tradidi, sic tenetis.

2 Volo autem scire vos, omnis viri caput esse Christum, fœminæ caput esse virum, Christi caput esse Deum. Ioh. 14, 28.

1. Cor. 3, 23. & 15, 27. 28. Eph. 5, 23.

3 Omnis vir operto capite supplicans, aut vaticinans, caput suum turpificat.

4 Rursus omnis mulier detecto capite supplicans, aut vaticinans, caput suum turpificat: nam prorsus perinde est ac si tonsa foret.

5 Quod si non velatur mulier, certe tondeatur. Quod si tonderi, radi ve mulieri turpe est, obnubatur. Num. 5, 18.

6 Nam vir quidem caput obnubere non debet, cum sit imago gloriaque Dei. At mulier viri gloria est.

Gen. 1, 26. 27. & 5, 1. & 9, 6.

7 Non enim est vir ex muliere, sed ex viro mulier:

Gen. 2, 18. 21.

8 Cum non propter mulierem creatus sit vir, sed propter virum mulier.

9 Propterea debet mulier habere in capite potestatis indicium propter Angelos.

10 Cæterum neque vir sine fœmina, neque fœmina sine viro in Domino.

11 Ut enim ex viro fœmina, sic vir per fœminam: omnia autem ex Deo.

12 Ipsi apud vos judicate, an decorum sit, fœminam Deo supplicare detectam?

13 An ne ipsa quidem natura vos docet, viro comam alere dedecori esse?

14 Fœminæ autem comam alere decorum esse: Quandoquidem coma pro amictu data est.

15 Quod si cui contentiosum esse libet, nos talem consuetudinem non habemus, neque Dei Ecclesiæ. 1. Tim. 6, 4.

16 Hoc autem admonens, non laudo, quod non utiliter, sed damnose convenitis.

17 Primum enim convenientibus vobis in concionem, audio dissidia in vobis esse, & non nihil credo:

1. Cor. 1, 10. 11. 12.

18 Oportet enim in vobis factiones esse, ut probi fiant inter vos manifesti.

Matth. 18, 7.

19 Igitur cum eodem coitis, istud non est Dominicam epulari cœnam.

20 Cum suam quisque cœnam

nam antecapiat comedendo, & hic esuriat, ille sit ebrius.

21 Numnam domos non habetis ad edendum ac bibendum? an divinam concionem contemnitis, & egenos pudore afficitis? Quid vobis dicam? laudem vos? in hoc non laudo. Iac. 2, 6.

22 Nam (quemadmodum ego & a Domino accepi, & vobis tradidi) Dominus Iesus, qua nocte prodebatur, sumptum panem, Matth. 26, 26. Marc. 14, 22. Luc. 22, 17. 1. Cor. 15, 3.

23 Actis gratiis, fregit, ac dixit: Sumite, comedite: hoc meum corpus est, pro vobis frangendum: hoc facitote ad mei memoriam.

24 Similiter & poculum, postquam cœnavit, dicens: Hoc poculum est novum fœdus, per meum sangvinem. Hoc facitote, quoties bibetis, ad mei memoriam.

25 Quoties enim hoc pane vescemini, & hoc poculum bibetis, mortem Domini indicabitis, donec veniat. Ioh. 14, 3. Act. 1, 11.

26 Itaque quisquis indigne panem hunc comederit, aut Domini poculum biberit, pœnas dabit, ob Domini corpus atque sangvinem. Num. 9, 13. Ioh. 6, 51. 63. 64. & 13, 27.

27 Proinde exploret homo seipsum, atque ita de pane comedat, & de poculo bibat. Gal. 6, 4. 2. Cor. 13, 5.

28 Nam qui indigne comedit & bibit, damnationem ipse sibi comedit & bibit, qui de Domini corpore non recte judicet.

29 Propterea apud vos multi sunt ægri & infirmi, & frequentes obdormiverunt.

30 Si enim de nobis ipsi recte judicaremus, non puniremur: Ps. 32, 5. Prov. 18, 17.

31 Dum punimur autem, a Domino castigamur, ne cum mundo damnemur. Hebr. 12, 5. 10.

32 Quocirca fratres mei, dum ad comedendum convenitis, alius alium expectate.

33 Quod si quis esurit, domi cibum capiat, ne ad pœnam conveniatis.

34 Reliqua cum venero, componam.

CAP. XII.

Ut a contentione & superbia Corinthios avocet, dicit spiritualia dona ideo varia conferri, ut mutuo collata, coalescamus ea symmetria in unum Christi corpus, quemadmodum membra in bonum corporis humani coalescunt.

QVod ad spiritualia, fratres, attinet, nolo vos ignorare.

2 Scitis, cum extranei essetis, ut ad mutos deastros duceremini ac abduceremini. Sup. 6, 11. Eph. 2, 11. 12.

3 Itaque declaro vobis, neminem esse, qui divino afflatu loquens Iesum verbis execretur: itemque neminem esse, qui Dominum possit Iesum dicere, nisi per Sanctum Spiritum. Marc. 9, 39. Ioh. 13, 13. 1. Cor. 8, 6.

4 Sed discrimina sunt donorum, cum sit idem Spiritus: Rom. 12, 6. Eph. 4, 4.

5 Et

5 Et discrimina sunt ministeriorum, cum sit idem Dominus:
Eph. 4, 11.
6 Et discrimina sunt effectionum, cum sit idem Deus, qui omnia efficit in omnibus.
Eph. 1, 23.
7 Datur autem cuique declaratio Spiritus, prout commodum est.
8 Huic enim per Spiritum datur oratio sapientiæ: illi oratio scientiæ ex eodem Spiritu:
9 Alii fides per eundem Spiritum: alii dona sanationum per eundem Spiritum:
10 Alii prodigiorum effectiones: alii vaticinatio: alii spirituum dijudicationes: alii genera lingvarum: alii interpretatio lingvarum.
Act. 2, 4. & 10, 46.
11 Atque hæc omnia efficit unus idemque Spiritus, dispertiens privatim cuique ut vult.
Ioh. 3, 8. Rom. 12, 3. 6. 1, Cor. 7, 7.
12 Quemadmodum enim corpus unum est, & membra habet multa, omniaque membra corporis unius multa cum sint, unum corpus est, sic etiam Christus. Rom. 12, 4. 5.
13 Etenim uno Spiritu nos omnes unum in corpus baptizati sumus, & Iudæi & Græci, & servi & liberi, omnesque unum Spiritum hausimus.
Ioh. 6, 63. Rom. 6, 5. Eph. 2, 14. 15. 16.
14 Etenim corpus non est unum membrum, sed multa.
15 Si se pes, quia manus non sit, corporis esse neget, an idcirco non sit corporis?
16 Item si auris, quia non sit oculus, se corporis esse neget, an ideo non sit corporis?
17 Si totum corpus oculus est, ubi auditus? si totum auditus, ubi olfactus?
18 Nunc Deus unumquodque membrum in corpore sic collocavit, ut voluit.
19 Quod si essent omnia unum membrum ubi corpus?
20 Nunc multa membra, sed unum corpus est.
21 Neque vero potest oculus dicere manui, Non egeo te: aut rursum caput pedibus, Non egeo vobis.
22 Contraque, quanto quodque membrorum corporis debilius videtur esse, tanto est magis necessarium.
23 Et quo quæque in corpore inhonestiora judicamus, eo majore honore ea stipamus: & nostri inhonestissima quæque maximam honestatem obtinent.
24 Cum ea honestissima quæque nostri nihil egeant. Enimvero Deus ita corpus temperavit, egentissimo cuique maximum tribuens honorem,
25 Ne esset in corpore dissidium, sed eandem membra alia aliorum curam gererent:
26 Ac sive doleret unum membrum, una condolescerent cuncta membra: sive in honore esset unum membrum, omnia membra congratularentur.
27 Vos vero aliquatenus Christi corpus estis atque membra:
Rom. 12, 5. Eph. 1, 23. & 4, 11. & 5, 23. 30.
28 Et alios statuit Deus in Eccle-

Ecclesia, primum Apostolos, dede vates, tertio magistros, deinde portenta, deinde sanationum dotes, adminicula, gubernationes, genera lingvarum.

Rom. 12, 8. Ephes. 2, 20. & 4, 11. 1. Tim. 5, 17.

29 Nunquid omnes sunt Apostoli? nunquid omnes vates? nunquid omnes magistri? nunquid omnes portentifici?

30 Nunquid omnes habent sanationum dotes? nunquid omnes lingvis loqvuntur? nunquid omnes interpretantur?

31 Affectate sane præstantissimas quasque dotes: sed tamen excellentiorem viam jam vobis ostendam.

1. Cor. 14, 1.

CAP. XIII.

Monet nulla tam eximia esse dona, quæ non vitientur coram Deo, si absit charitas, ideoque in ejus laudes digreditur.

SI & hominum loquar & Angelorum lingvis, neque charitate sim præditus, sum æs resonans, aut cymbalum tinniens.

2 Et si tantum divinationis habeam, ut omnia arcana, scientiamque omnem teneam: & si adeo omni sim fide præditus, ut vel montes transmoveam, & tamen charitate non sim præditus, nihil sum.

Matth. 7, 22. & 17, 20. Marc. 11, 23.

3 Et si omnes meas facultates in libertatem erogem, & si vel meum corpus comburendum tradam, & tamen charitate non sim præditus, nihil proficio.

4 Charitas patiens est, benigna est: charitas non æmulatur, non est temeraria, non tumet,

Prov. 10, 12. 1. Pet. 4, 8.

5 Non se gerit turpiter, non sibi ipsi studet, non est irritabilis, non male cogitat:

1. Cor. 10, 24. Phil. 2, 4.

6 Non gaudet injustitia, sed veritate lætatur:

Ps. 10, 3. & 15, 4. & 49, 19.

7 Omnia tolerat, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet. Prov. 10, 12.

8 Charitas nunquam intercidit. Et vaticinationes abolebuntur, & lingvæ cessabunt, & scientia delebitur.

9 Nam aliquatenus scimus, & aliquatenus vaticinamur.

10 Sed cum venerit perfectio, tum quod aliquatenus sit, delebitur.

11 Dum puer eram, ut puer loquebar, ut puer sentiebam, ut puer cogitabam: sed vir factus, puerilia delevi.

12 Nunc enim per speculum cernimus per ambages: at tunc præsentes coram. Nunc aliquatenus cognosco: at tunc recognoscam, quemadmodum recognitus sum.

2. Corinth. 3, 18. & 5, 7. Phil. 3, 12. 1. Ioh. 3, 2.

13 Nunc quidem manet fides, spes, charitas: sed harum trium maxima est charitas.

CAP. XIV.

Commendat donum prophetiæ, & comparatione a musicis instrumentis sumpta verum interpretandi scripturas usum docet, abusum tollit, ac vetat, ne mulieres publice doceant.

Per-

PErsequimini charitatem, & affectate sane spiritualia, sed inprimis ut vaticinemini.

1. Cor. 12, 31.

2 Nam qui peregrina lingua loquitur, non homines alloquitur, sed Deum: quippe cum nemo audiat, sed animo loquatur arcana. Act. 2, 4. & 10, 46.

3 Qui vero vaticinatur, homines alloquitur utiliter, & cohortando & consolando.

4 Qui peregrina lingua loquitur, ipse sibi prodest: qui vero vaticinatur, is concioni prodest.

5 Vellem equidem vos omnes peregrinis loqui linguis: sed magis ut vaticinemini. Major est enim qui vaticinatur, quam qui alienis loquitur linguis: nisi si interpretetur, ut concio capiat utilitatem.

6 Alioquin, fratres, si ego vos alienis linguis allocutū veniam, quid vobis prodero, nisi insit in oratione mea patefactio aut cognitio, aut vaticinatio, aut doctrina?

7 Etiam inanimata vocem emittentia, ut tibia, ut cithara, nisi discrimen sonis faciant, quomodo intelligetur quid tibia aut cithara significetur?

8 Si enim incertam vocem tuba edat: quisad prælium accingetur?

9 Similiter vos lingua nisi significantia verba faciatis, quomodo intelligetur quid dicatur? Eritis enim ii qui in auram loquamini.

10 Tot sunt (verbi gratia) genera vocum in mundo, nec ullum eorum mutum est.

11 Si igitur vim vocis non intelligam, ero loquenti barbarus, & loquens erit apud me barbarus.

12 Ita vos, postquam affectatores estis donorum Spiritus, date operam, ut in eis ita excellatis, ut id utilitati sit concioni.

13 Quare qui aliena lingua loquitur, oret, ut possit interpretari.

14 Si enim peregrina lingua orem, animo quidem oro, sed quod ad sententiam attinet, sum infructuosus.

15 Quid ergo est? Ita animo orabo, ut significanter orem: ita animo cantabo, ut significanter cantem.

Eph. 5, 10. Col. 3, 16.

16 Etenim si animo laudes dicas, is qui illiterati nomen tenet, quo pacto dicet, Amen, ad tuam gratiarum actionem, cum quid dicas ignoret?

17 Nam tu quidem recte gratias agis: sed alter non juvatur.

18 Ago Deo meo gratias, quod magis quam vestrūm quisquam, linguas teneo peregrinas.

19 Sed in concione malo quinque verba sic eloqui, ut intelligatur oratio mea, quo alios erudiam, quam ignoto sermone mille verba.

20 Fratres, ne este mentibus infantes: sed vitiis este pueri, mentibus autem adulti.

Ps. 131, 2. Matth. 11, 25. & 18, 3. & 19, 14.

21 In disciplina sic memoriæ proditum est: Alienis linguis atque labris istum populum alloquar, & tamen ne sic quidem

mihi obtemperabunt, inquit Dominus.

Deut. 28, 49. Esa. 28, 11. 12.

22 Itaque linguæ portento sunt non fidentibus, sed infidentibus: vaticinatio vero non infidentibus, sed fidentibus.

23 Igitur si convenerit eodem universa concio, & omnes peregrinis loquantur linguis, si eo illiterati aut infidentes intrent, nonne vos insanire dicent?

24 Sed si omnes vaticinentur, & intret aliquis infidens, aut illiteratus, arguitur ab omnibus, exploratur ab omnibus.

25 Atque ita ejus animi arcana fiunt perspicua: ita fit ut pronus accidat, adoretque Deum, confitens Deum revera in nobis esse. Zachar. 8, 23.

26 Quid ergo est, fratres? Quando coitis, carmen habet aliquis vestrûm, doctrinam habet, linguam habet, patefactionem habet, interpretationem habet, omnia ad utilitatem fiant.

1. Cor. 12, 8. 9. 10.

27 Si quis peregrina loquitur lingua, fiat id per duos, aut ad summum tres, idque alternis, & unus interpretetur.

28 Quod si abest interpres, taceat in concione, ac sibi loquatur & Deo.

29 Vates item duo tresve loquantur, & alii dijudicent.

30 Quod si quid alii sedenti patefactum fuerit, primus fileto.

31 Potestis enim omnes singulatim vaticinari, ut omnes discant & omnes confirmentur.

32 Et vatum Spiritus sese vatibus submittunt.

33 Non enim est turbamenti Deus, sed pacis: ut fit in omnibus sanctorum concionibus.

1. Cor. 11, 16.

34 Uxores vestræ in concionibus tacento, non enim conceditur eis loqui, sed parere, quemadmodum disciplina dicit.

Gen. 3, 16. 1. Cor. 11, 3. Eph. 5, 22.

35 Quod si quid discere volunt, domi suos viros interroganto. Turpe est enim fœminis in concione loqui.

36 A vobisne divinus sermo prodiit? aut ad vos solos pervenit?

37 Si quis sibi vates aut spiritualis videtur esse, recognoscat, quæ vobis scribo, esse Domini præcepta. 2. Cor. 10, 7. 1. Io. 4, 6.

38 Quod si quis ignorat, ignorato.

39 Proinde, fratres, & vaticinari studete, neque peregrinis loqui linguis prohibete.

40 Omnia decenter fiant & ordine.

CAP. XV.

Cum essent apud Corinthios, qui corporum resurrectionem in dubium vocarent, postquam ejus necessitatem validis argumentis comprobavit, rationem etiam & modum subjungit.

DEclaro autem vobis fratres Evangelium quod vos docui, & quod accepistis, & in quo statis, Gal. 1, 11. 12.

2 Et per quod servabimini, qua ratione vos docuerim, si tenetis, nisi si frustra credidistis.

Rom. 1, 16. 1. Cor. 1, 21.

3 In primis enim vobis tradidi id quod acceperam, Christum mortuum

mortuum esse propter peccata nostra, ut est in literis.

Ps. 22, 16. 17. Es. 53, 5. Dan. 9, 24. Hos. 6, 2.

4 Et sepultum esse, & tertio die resurrexisse, ut in literis habetur: Ps. 16, 10. Es. 53, 9. Ion. 2, 1. Matth. 12, 40.

5 Et apparuisse Cephæ, deinde duodecim: Marc. 16, 14. Luc. 24, 34. Ioh. 20, 19.

6 Deinde apparuisse plusquam quingentis fratribus semel, quorum plerique sunt adhuc superstites, nonnulli obdormierunt.

7 Deinde apparuit Iacobo, deinde Apostolis omnibus. Luc. 24, 50.

8 Postremo omnium, quasi abortui apparuit etiam mihi. Act. 9, 3. 17. & 23, 11.

9 Ego enim sum Apostolorum minimus, indignus qui vocer Apostolus, qui divinam Ecclesiam insectatus sim. Act. 8, 3. & 9, 1. & 22, 4. & 26, 9.

10 Sed Dei beneficio sum quod sum: & ejus in me beneficium adeo inane non fuit, ut plus quam eorum quisquam laboraverim: vel potius non ego, sed Dei favor, qui mihi aderat. Rom. 15, 18. 19. 2. Cor. 11, 23. & 12, 11.

11 Igitur & ego & illi ita prædicamus: & ita vos credidistis.

12 Quod si Christus ex mortuis surrexisse prædicatur, quî fit ut quidam apud vos mortuorum resurrectionem fore negent?

13 Quod si mortuorum resurrectio non est, ne Christus quidem resurrexit.

14 Si autem Christus non resurrexit, ergo vana est nostra prædicatio, vana est vestra fides,

15 Ac falsi de Deo testes deprehendimur, qui contra Deum testificati sumus, eum suscitasse Christum, quem non suscitavit, siquidem mortui non resurgent. Act. 2, 24. 32.

16 Si enim mortui non resurgent, ne Christus quidem resurrexit.

17 Et si Christus non resurrexit, vana est vestra fides: adhuc estis in peccatis vestris.

18 Ergo qui in Christo obdormiverunt, perierunt.

19 Si hujus duntaxat vitæ gratia in Christo spem habemus, sumus omnium hominum miserrimi.

20 At nunc Christus ex mortuis surrexit: fuit eorum, qui obdormivere, primitiæ. Act. 26, 23. Col. 1, 18.

21 Cum sit enim per hominem mors, etiam per hominem est mortuorum resurrectio.

22 Ut enim per Adamum omnes moriuntur, sic per Christum omnes reviviscent, Gen. 2, 17. & 3, 6. Rom. 5, 12. 18. & 6, 23.

23 Sed suo quisque in ordine: primitiæ Christus, deinde Christiani in ejus adventu: 1. Thess. 4, 15. 16. 17. Sup. v. 20.

24 Deinde finis erit, cum regnum tradiderit Deo & Patri, cum quidem omnem principatum, omnem potentiam, ac potestatem aboleverit.

25 Oportet enim eum regnare,

donec ille omnes hostes sub ejus pedes subjecerit:
26 Ultimus hostis delebitur mors.
27 Omnia enim ille sub ejus pedes subjecerit. Quod autem omnia subjicienda dicit, id sic accipiendum est, ut excipiatur is, qui ei subjecerit omnia.
28 Cum autem ei subjecta fuerint omnia, tunc ipse quoque Filius subjicietur ei, qui ipsi subjecerit omnia, ut sit Deus omnia in omnibus.
29 Alioquin quid facient qui pro mortuis baptizātur, si omnino mortui non resurgent? quorsum pro mortuis baptizantur?
30 Quorsum & nos omnibus horis periclitamur?
31 Quotidie morior, gloriationem nostram juro, quam habeo in Christo Iesu Domino nostro.
32 Si humano more Ephesi cum bestiis pugnavi, quæ mihi inde utilitas, si mortui non resurgunt? Comedamus & bibamus: cras enim morituri sumus.
33 Nolite falli. Mores bonos colloquia corrumpunt mala.
34 Estote sobrii, ut æqvum est, & ne peccate. Ignorant enim nonnulli Deum: quod ideo dico, ut vos pudeat.
35 Sed dicet quis: Quomodo resurgent mortui, aut quali corpore venient? Ezech. 37, 3.
36 O demens: tu quod seris, id non viviscit, quin mortuum sit:
37 Et quod seris, non gignendum corpus seris, sed nudum granum, verbi gratia, frumenti aut cujuspiam alterius rei.
38 Deus vero corpus ei dat, ut libuit, & suum cuique seminum corpus.
39 Non omnis caro eadem caro est, sed alia est hominum caro, alia pecudum, alia piscium, alia volucrum.
40 Item corpora sunt cœlestia alia, alia terrestria. Sed alius est cœlestiūsplendor, alio terrestriū.
41 Alius solis, alius lunæ splendor est, alius item stellarum. Nam stella alia aliam splendore antecellit.
42 Talis est etiam mortuorum resurrectio. Seritur cum mortalitate, resurgetur cum immortalitate.
43 Seritur cum probro, resurgetur cum gloria. Seritur cum infirmitate, resurgetur cum potentia.
44 Seritur corpus animale, resurget corpo spirituale. Est corpo aliud animale, aliud spirituale.
45 Cumque ita scriptum sit, factum esse primum hominem Adamū animantem vivum, ultimus Adamus spiritus est vivificus:
46 Sed non primum est spirituale, sed animale, deinde spirituale.
47 Primus homo ex terra terrenus: secundus homo de cœlo cœlestis. Ioh. 3, 13. 31.
48 Qualis terrenus, tales etiam terreni: & qualis cœlestis, tales etiam cœlestes.
49 Ac quemadmodum tulimus imaginem terreni, feremus etiam cœlestis imaginem.
50 Hoc autem ideo dico, fratres, quod caro & sanguis divinum regnum consequi nequeunt, neque mortalitas immortalitatem consequetur. Matt. 16, 17.
51 Equidem arcanum quiddam vobis dico: Omnes quidem non obdormiemus, sed omnes mutabimur,
52 Uno

52 Uno temporis puncto, oculique momento, ad ultimum clangorem. Clangetur enim, & mortui resurgent incorruptibiles, & nos mutabimur.

53 Oportet enim hoc corruptibile incorruptibili natura, & hoc mortale immortalitate indui.

54 Cum autem hoc corruptibile incorruptam naturam, & hoc mortale immortalitatem induerit, tunc accidet id quod illo scripto dicitur: Absorpta est mors victoriose.

55 Ubi est tuus, o mors, stimulus? ubi tua, ô Orce, victoria?

56 Est autem mortis stimulus peccatum, & peccati potentia lex.

57 Sed Deo gratia, qui nobis victoriam dat per Dominum nostrum Iesum Christum.

58 Proinde, fratres mei charissimi, præstate vos constantes, immobiles, semper excellentes in Domini negotio, scientes vestrum in re dominica laborem non esse vanum.

CAP. XVI.

Hortatur ut fratrum Hierosolymitanorum inopiæ succurrant. Deinde Timotheum commendat, & amica exhortatione: deinde salutationibus epistolam claudit.

Quod ad collectam attinet in Sanctos conferendam, quemadmodum Galatiæ Ecclesiis præcepi, sic vos quoq; facite.

2 Primo quoque post sabbathum die unusquisque vestrum apud se reponat, congerens quod commode poterit, ne tum demum cum venero, fiant collectæ.

3 Ut autem advenero, quos per epistolas probaveritis, eos mittam, qui ferant beneficium vestrum Hierosolymam.

4 Quod si me etiam proficisci fuerit operæ precium, mecum proficiscentur.

5 Veniam autem ad vos, postquam Macedoniam obiero: nam Macedoniam obiturus sum.

6 Apud vos autem forsitan commorabor, aut etiam hyemabo, ut vos me deducatis, quocunque proficiscar. 2. Cor. 1, 15.

7 Nolo enim vos duntaxat obiter videre, quin me spero aliquandiu mansurum apud vos, si Dominus permiserit.

8 Morabor autem Ephesi usque ad quinquagesimam.

9 Nam mihi janua magna patet, & efficax, & multi sunt adversarii.

10 Quod si venerit Timotheus, videte ut sine metu sit apud vos: nam Domini opus agit: ut & ego.

11 Quamobrem nemo eum contemnat, sed eum bona cum pace dimittite, ut ad me veniat. Expecto enim eum cum fratribus.

12 Quod ad Apollo fratrem attinet, multum eum hortatus sum, ut ad vos cum fratribus veniret, sed prorsus non erat voluntas nunc eundi: verum veniet, cum erit ei commodum.

13 Vigilate, state in fide: este viri & constantes,

14 Omnia vestra cum charitate fiant.

15 Cohortor autem vos, fratres: scitis Stephanæ & Fortunati familiam esse Achajæ primitias, & sese ad ministerium addixisse sanctis: Rom. 16, 5.

16 Ut vos quoque talibus, & omni adjuvanti laborantique pareatis. Phil. 2, 29. 1. Thess. 5, 12.

17 Gaudeo equidem adventu Stephanæ, & Fortunati, & Achaici,

Achaici, quod hi defectum vestri suppleverunt.

18 Quippe qui & meum & vestrum animum recreaverint. Tales ergo recognoscite.
1. Thess. 5, 12.

19 Salutant vos Asianæ Ecclesiæ. Salutant vos multum per Dominum Aquila & Priscilla, una cum suæ domus Ecclesia.
Rom. 16, 5.

20 Salutant vos fratres omnes. Salutate inter vos osculo sancto:
Rom. 16, 16. 2. Cor. 13, 12. 1. Thess. 5, 26. 1. Pet. 5, 14.

21 Salutatio mea Pauli manu.
Col. 4, 18. 2. Thess. 3, 17.

22 Si quis Dominum Iesum Christum non amat, esto detestabilis, Maranatha.

23 Gratia Domini Iesu Christi vobis adsit.

24 Meus amor in Christo Iesu vobis omnibus adsit, Amen.

Ad Corinthios prima scripta est Philippis, missa per Stephanum & Fortunatum, & Achaicum, & Timotheum.

PAULI APOSTOLI
EPISTOLA SECUNDA
AD CORINTHIOS.

CAP. I.

A laude afflictionum auspicatur. Exponen: quid in Asia pertulerit, & quam dexter affulserit Deus. Addit nulla levitate id factum esse, quod non venerit, uti fuerat pollicitus.

PAulus Iesu Christi Apostolus, per Dei voluntatem, & Timotheus frater, Ecclesiæ Dei, quæ Corinthi est, nec non sanctis omnibus in tota Achaja degentibus,

2 Gratiam & pacem a Deo Patre nostro, & Domino Iesu Christo. Rom. 1, 7. 1. Cor. 1, 3. Eph. 1, 2.

3 Collaudandus Deus & Pater Domini nostri Iesu Christi, misericordiæ pater, & omnis consolationis Deus,
Eph. 1, 3. 1. Petr. 1, 3.

4 Qui nos consolatur in omni calamitate nostra, quo possimus eos, qui sunt in quacunque calamitate, consolari ea consolatione, qua confirmamur ipsi a Deo. 2. Cor. 7, 6.

5 Quanto enim majoribus propter Christum malis afficimur, tanto per Christum major est nostra consolatio. Ps. 34, 20. & 94, 19. Act. 9, 4. 2. Cor. 4, 10.

6 Nam sive affligimur, id fit pro vestra consolatione atque salute, quæ agitur in tolerandis iisdem malis, quæ nos quoque patimur, sive confirmamur, id fit pro vestra consolatione, & salute:
2. Cor. 4, 15. 17.

7 Ac firmam de vobis spem habemus, scientes quemadmodum adversorum participes estis, sic fore etiam consolationis.
2. Thess. 2, 13. Heb. 6, 9. 10.

8 Nolu-

8 Nolumus enim vos ignorare, fratres, quanta afflictione, & quam omnino viribus nostris majore pressi fuerimus in Asia, usque adeo ut etiam de vita dubitaremus. Act. 19, 23. &c. 1. Cor. 15, 32.

9 Verum ideo de nobis latam mortis sententiam sensimus, ne ipsi nobis confideremus, sed Deo mortuorum suscitatori, Ier. 17, 5. 7.

10 Qui nos a tanta morte & defenderit, & defendat, quem speramus etiam deinceps defensurum esse, 1. Cor. 15, 31.

11 Vobis quoque nos supplicatione adjuvantibus, ut a multis personis agantur ingentes Deo gratiæ, ob collatum in nos beneficium vestra causa. Rom. 15, 30. Phil. 1, 19. Philem. v. 22. 2. Cor. 4, 15.

12 Nam hæc nostra gloriatio est nostræ conscientiæ testimonium: quod cum divina simplicitate ac sinceritate, non cum humana sapientia, sed cum divina gratia, versati sumus, cum in reliquo orbe, tum potissimum apud vos. 1. Cor. 2, 4. 13.

13 Non enim alia vobis scribimus, quam quæ legitis, aut etiam recognoscitis: &, ut spero, ad extremum recognoscetis.

14 Quemadmodum nos aliquatenus recognovistis, quod nos sumus vestra gloriatio, sicut & vos nostra, ad diem Domini Iesu. 2. Cor. 5, 12. Phil. 2, 16. & 4, 1.

15 Atque hac fiducia volebam prius ad vos venire, ut alterum beneficium acciperetis: Rom. 1, 11. 1. Cor. 16, 5.

16 Et isthac in Macedoniam transire, rursumque ex Macedonia ad vos venire, & a vobis in Iudæam deduci.

17 Hoc igitur deliberans, nunquid levitate usus sum? aut quæ delibero, humano more delibero, ut sit apud me etiam, etiam: & non, non?

18 Fidelis est Deus, quod nostra ad vos oratio non fuit etiam & non. Matth. 5, 37. Iac. 5, 12.

19 Nam Dei filius Iesus Christus, qui apud vos per nos prædicatus est, per me & Sylvanum, & Timotheum, non fuit etiam & non, sed in eo fuit etiam.

20 Omnes enim Dei promissiones tales sunt, ut in eo sit etiam, & in eo sit ita, quæ res Deo sit gloriæ per nos.

21 Ac qui nos vobiscum confirmat in Christum, & qui nos unxit, Deus est: 2. Cor. 5, 5. 1. Ioh. 2, 20. 27.

22 Is qui nos consignavit, & Spiritus arrabonem nostris animis indidit. Rom. 8, 16. 2. Cor. 5, 5. Eph. 1, 13. & 4, 30. Apoc. 2, 17.

23 Ego vero animi mei testem appello Deum, me parcendi vobis causa, nondum Corinthum venisse. Rom. 1, 9. & 9, 1. 2. Cor. 11, 31. Gal. 1, 20.

24 Non quod vobis fiduciam derogemus, sed consulimus vestro gaudio: nam fiducia statis.

CAP. II.

Excusans se quod non venerit, clam illos taxat, & communem Sympathiam ostendit, ut nequeat nisi ipsis hilaribus gaudere. Mœcho quem Satanæ tradi præceperat, resipiscenti veniam dari obsecrat, & profectionis suæ in Macedoniam meminit.

SEd hoc ego apud me decrevi, non vos rursum visere cum dolore.

2 Nam si ego vos contristo, ecquis est qui me oblectet, nisi is qui a me contristetur?

3 Atque id ipsum vobis ideo scripsi, ne si venissem, dolore afficerer ab eis, per quos gaudere debeo: persuasum habens de vobis omnibus, meum gaudium omnium esse vestrum.

2. Cor. 8, 22. & 12, 21. Gal. 5, 10.

4 Nam multa cum animi angustia atque angore vobis scripsi, multis cum lachrymis, non quo doleretis: sed amorem ut cognosceretis, quo vos singulariter prosequimur.

5 Quod si quis contristavit, non me contristavit, nisi aliquatenus, ne vos omnes onerem.

1. Cor. 5, 1.

6 Satis est illi ea castigatio plurium, 1. Cor. 5, 5.

7 Ut contra potius condonetis, ac consolemini, ne forte immodico mœrore conficiatur.

8 Quamobrem hortor vos, ut charitatem in eum exeratis.

9 Nam ideo scripsi, ut vestri periculum facerem, an sitis ad omnia morigeri.

10 Cui autem vos condonatis, ego quoque condono. Etenim ego si quid ei condonavi, cui condonavi, id feci propter vos in persona Christi.

11 Ne circumveniamur a Satana; non enim ejus conatus ignoramus.

12 Cum autem in Troadem ob Christi Evangelium venissem, & esset mihi in Domini negotio aperta janua, Act. 16, 8. 1. Cor. 16, 9.

13 Nullam animi requietem habui, quod Titum fratrem meum non invenissem. Itaque illis vale dicto, profectus sum in Macedoniam. 2. Cor. 7, 5.

14 Deo vero gratia, qui semper facit, ut in Christi negotio triumphemus, ejusque cognitionis odorem per nos divulgat omnibus in locis. Col. 1, 7.

15 Siquidem Christi suavis odor sumus Deo, in iis qui servantur, & in iis qui pereunt:

1. Cor. 1, 18.

16 Quorum his sumus mortalis odor ad mortem, illis vitalis odor ad vitam. Ad quæ quisnam sit idoneus?

Luc. 2, 34. 2. Cor. 3, 5. 6.

17 Nec enim sumus ut multi, qui divinam doctrinam caupo nantur: sed ut ex sinceritate, sed ut ex Deo, in Dei conspectu, in Christi negotio loquimur.

Infr. 4, 2.

CAP. III.

Dicit se satis habiturum commendationis, quamdiu permanserint in fide, se ministrum non literæ, sed spiritus. Discrimen legis & Evangelii exponit, quod illius claritas magis perstringat oculos quam illuminet, hujus vero lux conspicuam Dei faciem exhibeat.

Ingre-

INgredimur rursum nos ipsos commendare? an vero nihil egemus (ut quidam) commendatitiis vel ad vos, vel a vobis epistolis? 2. Cor. 5, 12.

2 Epistola nostra vos estis, inscripta nostris animis, cognoscenda legendaque cunctis hominibus. 1. Cor. 9, 2. 3.

3 Estque perspicuum vos esse Christi epistolam a nobis administratam, non atramento, sed viventis Dei Spiritu descriptam, non in lapideis, sed in carneis animi tabulis.

Exod. 24, 12. & 34, 1.

4 In ea autem apud Deum persuasione sumus per Christum:

5 Non quia per nos ipsos simus idonei, qui aliquid ut per nos ipsos vel cogitemus: sed quod idonei sumus, id a Deo est,

2. Cor. 2, 16. Phil. 2, 13.

6 Qui nos idoneos reddidit novi fœderis ministros, non literæ, sed spiritus, nam litera perimit, at spiritus vivificat.

Ier. 31, 31. Rom. 2, 27. 29. & 7, 6.

7 Quod si mortis ministerium in literis impressum in lapidibus, tamen tanti fuit splendoris, ut non possent Israelitæ in Mosis vultum intueri, propter ejus vultus splendorem periturum:

Exod. 24, 12. & 34, 1. 29. &c.

Deut. 10, 1.

8 Nonne magis spiritus ministerium erit, cum splendore conjunctum?

9 Si enim damnationis ministerium splendidum est, multo magis excellit splendore ministerium justitiæ.

Rom. 1, 17. & 3, 21.

10 Etenim ne splendidum quidem fuit id quod splendidum fuit, si cum superante splendore conferatur.

11 Si enim quod perit, tamen cum splendore conjunctum est: multo magis quod manet, est cum splendore.

12 Habentes igitur hujusmodi spem, magna perspicuitate utimur: Eph. 6, 19.

13 Non ut Moses vultui suo velamen obtendebat, ne Israelitæ in rei perituræ finem intuerentur, sed mentes haberent cæcas.

Exod. 34, 33. &c. Rom. 10, 4.

14 Nam ad hunc usque diem idem velamen in veteris lectione fœderis manet, neque detegitur id in Christo aboleri.

Es. 6, 10. Ezech. 12, 2.

Matth. 13, 11.

15 Quin ad hodiernum usque diem, dum legitur Moses, velamine tecti sunt eorum animi.

16 Quandocunque autem revertitur ad Dominum, detrahitur velamen.

Matth. 13, 11. Rom. 11, 23. 26.

1. Cor. 2, 10.

17 Dominus autem Spiritus est: ubi vero Domini Spiritus est, ibi est libertas. Ioh. 4, 24.

18 Nos vero omnes detecta facie splendorem Domini speculantes, in eandem transformamur imaginem, splendore perpetuando, tanquam a Domini Spiritu. 1. Cor. 13, 12. 2. Cor. 5, 7.

CAP. IV.

Recenset se adeo laborasse in prædicando Evangelio, ut a satana excæcati sint, qui illius splendorem non cernant, prolatum in testaceis

fasculis, tot ærumnis obnoxius, itaque suo exemplo ad fortitudinem eos hortatur, ex contemptu præsentis vitæ.

PRopterea habentes hanc administrationem (quæ divina est in nos clementia) non defetiscimur: 1. Cor. 7, 25.

2 Quin turpi occultatione repudiata, non nos callide gerimus, neque divinam doctrinam fallaciter tractamus, sed veritatis declaratione nos ipsos apud omnem hominum conscientiam in Dei conspectu commendamus. Rom. 1, 16. 2. Cor. 2, 17. & 5, 11. & 6, 4.

3 Quod si tectum est nostrum Evangelium, tectum est pereuntibus: 1. Cor. 1, 18. 1. Thess. 2, 10.

4 Quorum videlicet infidentium mentes cæcavit hujus seculi Deus, ne collustret eos claritas gloriosi Christi Evangelii, qui est imago Dei inaspectabilis. Es. 6, 10. Matth. 11, 27.

5 Non enim nos ipsos prædicamus, sed Christum Iesum Dominum: nos autem vestros servos per Iesum. 2. Cor. 1, 24.

6 Nam Deus, qui lucem ex tenebris lucere jussit, is est qui nostris illuxit animis ad claritatem cognitionis gloriæ Dei in Iesu Christi persona. Gen. 1, 3. 2. Pet. 1, 29.

7 Habemus autem thesaurum hunc in testaceis vasis: ut tam excellens potentia sit Dei, non ex nobis, 1. Cor. 2, 5.

8 Qui in omnibus premimur quidem, sed non opprimimur: æstuamus, sed non exæstuamus:

9 Vexamur, sed non deserimur: dejicimur, sed non perimus. Ps. 37, 24.

10 Semper Domini Iesu circumcisionem in corpore circumferentes, ut etiam Iesu vita in nostro corpore repræsentetur. Rom. 8, 17. Gal. 6, 17. Phil. 3, 10.

11 Semper enim nos viventes morti dedimur propter Iesum: ut & vita Iesu repræsentetur in nostra mortali carne. Ps. 44, 23. Matth. 5, 11. Rom. 8, 36.

12 Itaque in nobis mors, in vobis vita viget. 2. Cor. 13, 9.

13 Ac eodem fiduciæ spiritu præditi, ut fert scriptum illud: Credidi, ideoque locutus sum: nos quoque credimus, ideoque loquimur, Ps. 115, (116) 10.

14 Scientes futurum esse, ut qui Dominum Iesum suscitavit, idem nos quoque per Iesum suscitet, ac vobiscum sistat. Rom. 8, 11. 1. Cor. 6, 14.

15 Omnia enim propter vos fiunt, ut tam largum beneficium per multorum gratiarum actionem redundet ad Dei gloriam. 2. Cor. 1, 6. 11. Col. 1, 24. 2. Tim. 2, 10.

16 Hanc ob causam non defetiscimur, quin etiam si exterior noster homo corrumpatur, at interior quidem renovatur in dies. Rom. 7, 22. Eph. 3, 16. 1. Pet. 3, 4.

17 Brevis enim levisque nostra calamitas, incredibile dictu, quam sempiternam, quamque gravem nobis gloriam pariat, Ps. 30, 6. Matth. 5, 12. Rom. 8, 18.

18 Non

18 Non ſpectantibus ea quæ cernuntur, ſed quæ non cernuntur. Nam quæ cernuntur, temporaria ſunt: quæ vero non cernuntur, ſempiterna.

Rom. 8, 24.

CAP. V.

Perſtat in eodem argumento, de certa ſpe ſalutis, per fidem. Non ut ſe jactet cum Deum & ipſius Eccleſiam præ oculis habeat, & nihili æſtimet omnia, præter vitæ nobilitatem in Chriſto.

SCimus enim, ſi terreſtris noſtræ domus tabernaculum diſſolutum fuerit, ædificium habituros eſſe nos a Deo, domum nullis manibus factam ſempiternam in cœlis:

2. Cor. 4, 7. 2. Pet. 1, 13. 14.

2 Etenim in hoc gemimus, domicilium noſtrum cœleſte ſuperinduere cupientes,

3 Si modo induti, non nudi reperiemur.

Matth. 22, 11. Gal. 3, 27.

4 Nam qui ſumus in tabernaculo, gemimus onerati, quandoquidem nollemus exui, ſed ſuperindui, ut mortalitas conficiatur a vita.

5 Qui vero nos ad hoc ipſum fecit, Deus eſt, is qui nobis Spiritus arrabonem dedit.

Rom. 8, 16.

6 Itaque ſemper confidimus: & cum ſciamus, nos in corpore peregrinantes, a Domino peregrinos abeſſe,

1. Chron. 29, 15. Pſ. 39, 13. & 119, 19.

7 (Nam in rei fiducia, non ipſa re verſamur)

8 Confidimus: & mallemus a corpore abeſſe, & apud Dominum adeſſe.

Phil. 1, 23.

9 Proinde operam damus, ut ſive adſumus, ſive abſumus, ei ſimus accepti.

10 Nam nobis omnibus comparendum eſt ante Chriſti tribunal, ut ferat quisque præmium ejus quod in corpore fecerit, vel boni vel mali.

Matth. 23, 31. Pſ. 62, 13.

11 Scientes igitur Dominum eſſe metuendum, utut hominibus perſvadeamus, Deo quidem perſpicui ſumus: quanquam ſpero, nos etiam in veſtris animis eſſe perſpicuos.

Iob. 31, 23.

12 Non enim rurſum nos ipſos vobis commendamus, ſed occaſionem vobis damus de nobis gloriandi, ut muniti ſitis adverſus eos, qui ſpecie, non animo gloriantur.

13 Nam ſive inſanimus, Deo inſanimus: ſive ſani ſumus, vobis ſumus.

14 Amor enim Chriſti tenet nos ita judicantes: ſi unus pro omnibus mortuus eſt, ergo omnes eſſe mortuos:

15 Ideoque pro omnibus eſſe mortuum, ut vivi non jam ſibi ipſis vivant, ſed ei qui pro eis & mortuus eſt & revixit.

Rom. 5, 15. & 6, 11. 12. & 14, 7.

16 Itaque nos deinceps neminem novimus ſecundum carnem. Quod ſi Chriſtum ſecundum carnem cognovimus, at nunc jam non novimus.

17 Proinde ſi quis Chriſtianus, is nova res eſt. Vetera præterierunt,

ierunt, ecce nova facta sunt omnia.

Es. 43, 18. Rom. 8, 10.

18 Omnia autem a Deo, qui nos sibi reconciliavit per Iesum Christum, nobisque reconciliationis administrationem dedit.

Rom. 5, 10. Col. 1, 20.

19 Quippe cum Deus esset in Christo, mundum sibi reconcilians, eis non imputans ipsorum peccata, nobisque reconciliationis orationem mandaverit.

20 Itaque cum pro Christo legatione fungamur, ut Deo per nos adhortante, quæsumus pro Christo, reconciliamini Deo,

21 Qui peccati ignarum pro nobis sontem effecerit, ut in eo nos fieremus justi Dei.

Es. 53, 6. 9. 12. Rom. 5, 19. & 8, 3.

CAP. VI.

Ut vitam Christo dignam vivant, hortatur, ne afflictionibus dejiciantur, nec gloria insolescant: pollutiones fugiant, cum sint viva viventis Dei templa.

NOs vero ad hanc rem adjutores, hortamur vos, ut detis operam, ne Dei beneficium incassum acceperitis.

Heb. 12, 15.

2 Dicit enim: Te accepto tempore exaudivi, tibi die salutis subveni. Adest nunc tempus acceptum, adest nunc dies salutis. Es. 49, 8.

3 Nos nullam usquam offensionem afferimus, ne taxetur ministerium:

4 Sed omnibus in rebus nos ipsos ut Dei ministri commendamus, in multa patientia, in calamitatibus, in rebus adversis, in angustiis, 1. Cor. 4, 1. 2. Cor. 4, 2. & 12, 23.

5 In plagis, in custodiis, in agitationibus, in laboribus, 2. Cor. 11, 23.

6 In vigiliis, in jejuniis, in castitate, in scientia, in clementia, in benignitate, in Spiritu Sancto, in charitate genuina,

7 In veritatis oratione, in Dei potentia, armis justitiæ dextris & sinistris, Eph. 6, 11. 13.

8 Per gloriam & dedecus, per maledicta & benedicta:

9 Quasi fallaces, & tamen veraces: quasi ignoti, & tamen noti: quasi morientes, cum tamen vivamus: quasi qui castigemur, neque tamen necemur:

Ps. 118, 18. Es. 26, 19.

10 Quasi dolentes, & tamen semper gaudentes: quasi pauperes, cum multos locupletemus: quasi nihil habentes, & tamen omnia tenentes.

11 Os nostrum ad vos apertum est, Corinthii: animus noster largus est.

12 Si vos estis angusti, non erga nos estis angusti, sed erga hominem cui estis intimi.

2. Cor. 7, 2. 3.

13 Ego vero ut a filiis vicem reposco, largi estote vos quoqve:

14 Ne este infidentium socii jugales. Quod est enim justitiæ cum improbitate consortium? quæ luci communitas cum tenebris? Deut. 7, 2. 1. Sam. 5, 1. 2. 1. Reg. 18, 21.

15 Quæ Christo cum Beliale concordia? aut quod fidenti cum infidente commercium?

16 Quæ

16 Quæ Dei templo cum deastris convenientia? Vos enim viventis DEI templum estis, quemadmodum dixit Deus: Habitabo ac versabor apud eos, eroque eorum Deus, & ipsi mihi populus erunt.

Lev. 26, 12. Ezech. 37, 26.

17 Quapropter exite ex medio eorum, ac separamini, inquit Dominus: neve impurum tangite: & ego vos accipiam,

Es. 52, 11. Apoc. 18, 4.

18 Vobisque pater ero, & vos mihi eritis filii ac filiæ, inquit Dominus omnipotens.

Ier. 31, 1. 9. 23.

CAP. VII.

Ne nimium teneros animos urgendo prosternat, probabile reddit, quod omnia dixerit ex ingenti erga illos dilectione, itaque sibi non displicere quod mœrore eos affecerit, & adduxerit ad pœnitentiam non pœnitendam.

HÆc igitur habentes promissa, charissimi, purgemus nos ipsos ab omni & corporis & animi labe, sanctimonia perfungentes cum Dei metu.

1. Tim. 4, 8. 1. Ioh. 3, 3.

2 Admittite nos: nemini injuriam fecimus, neminem corrupimus, neminem circumscripsimus. Act. 20, 32. 2. Cor. 12, 17.

3 Non equidem vestri damnandi causa dico, quippe qui ante dixerim, vos in nostris animis esse ad simul vel moriendum, vel vivendum.

4 Multa mihi apud vos loquendi libertas est: multa mihi de vobis gloriatio: plenus sum consolationis: circumfluo lætitia in omni calamitate nostra.

5 Etenim cum venissemus in Macedoniam, necullam quietem haberet nostra persona, sed in omnibus premeremur, extrinsecus præliis, intrinsecus timoribus:

Deut. 32, 25. Act. 16, 19. 23.

6 Tamen humilium consolator Deus nos adventu Titi consolatus est. 2. Cor. 1, 4.

7 Neque solum ejus adventu, sed etiam solatio, quo de vobis affectus est, exponens nobis vestrum nostri desiderium, complorationem atque studium, ita ut magis lætatus sim:

8 Adeo ut etiamsi vos per epistolam dolore affecerim, non me pœniteat, etiamsi pœnituisset. Video enim, si epistola illa, brevem quidem, sed tamen dolorem vobis fecit, 2. Cor. 2, 4.

9 Non vos doluisse solum, (sed id quod gaudeo) ad vitæ correctionem doluisse. Doluistis enim secundum Deum, ita ut nullo per nos incommodo sitis affecti.

10 Divinus enim dolor, vitæ correctionem ad nunquam pœnitendam salutem efficit. At mundanus dolor mortem parit.

2. Sam. 12, 13. Matth. 26, 75. Luc. 18, 13. 1. Pet. 2, 19.

11 Ecce enim vel hoc ipsum, quod secundum Deum doluistis, quantam vobis pepererit diligentiam? imo defensionem? imo indignationem? imo metum? imo desiderium? imo studium? imo vindictam? Quibus omnibus vestram in eo facinore innocentiam probastis.

12 Itaque si vobis scripsi, id non

non ejus, qui fecit, nec ejus qui passus est injuriam, causa factum est: sed ut vestrum nostri studium apud vos patefieret, in Dei conspectu.

13 Propterea orto a vobis solatio confirmati sumus: sed longe maximam cepimus ex Titi lætitia voluptatem, quod ejus animus a vobis omnibus recreatus sit.

14 Nam si quid apud eum de vobis gloriatus eram, non me puduit: quin ut omnia vere vobis elocuti sumus, sic nostra de vobis apud Titum gloriatio vera fuit.

15 Atque ipse vos singulari charitate prosequitur, recolens vestram omnium obedientiam, ut se cum metu ac tremore acceperitis.

16 Gaudeo posse me omnibus in rebus vobis confidere.

Phil. 2, 12. 2. Thess. 3, 4.

CAP. VIII.

Macedonum, atque adeo ipsius Christi exemplo, ut liberales sint in Sanctos, hortatur: Titum, & alium fratrem hac de causa ad ipsos profectos dicit.

CErtiores autem vos facimus fratres, de Dei beneficio in Ecclesiis Macedoniæ collato,

Rom. 15, 25. Gal. 2, 10.

2 Quod in tanta, qua explorati sunt calamitate, eorum singularis alacritas, penitissimaque paupertas tantum effecit, ut appareret eorum opulenta simplicitas:

3 Qui pro viribus (hoc testor) atque etiam supra vires ultro,

4 Nos multis cum precibus oraverint, ut beneficium & commune in Sanctos officium reciperemus. Act. 11, 29.

5 Neque id quemadmodum speraveramus: quin seipsos addixerunt primum Domino, deinde nobis, Dei voluntate,

6 Ut nos Titum hortati simus, quo ille, quemadmodum jam cœpit, sic absolvat hoc etiam erga vos beneficium:

7 Utque quemadmodum in rebus omnibus excellitis, fide & oratione, & scientia, & omni studio, & isto erga nos amore, sic in hoc quoque beneficio excellatis. 1. Cor. 1, 5.

8 Non per præceptum dico: sed ut per aliorum studium vestræ quoque charitatis germanitatem explorem.

9 Cognoscitis enim Domini nostri Iesu Christi beneficium, qui propter vos pauper fuerit, cum dives esset, ut vos ejus paupertate ditaremini.

Luc. 9, 58.

10 Atque in hoc consilium do: hoc enim e re vestra est, qui jam ab anno superiore non solum facere, sed etiam velle cœperitis.

1. Cor. 7. 7. 25. Prov. 19, 17.

11 Nunc igitur etiam rei confectionem absolvite: ut quomodo voluntatis est alacritas, ita sit etiam ex facultate perfectio.

12 Nam si jam adest alacritas, prout habet quis, ita acceptus est, non prout non habet.

Prov. 3, 28. Marc. 12, 43.

13 Non enim aliis laxitatem, vobis angustiam esse oportet:

14 Sed ex æqualitate, ad præsens tempus, abundantia vestra illo-

illorum egestati subveniri: ut illorum abundantia vestram vicissim egestatem suppleat, quo fiat æqualitas.

15 Quemadmodum scriptum extat: Neque qui plus collegerat, plus habebat, neque qui minus collegerat, minus habebat. Exod. 16, 18.

16 Est autem Deo gratia, qui idem vestri studium injecerit in animum Titi:

17 Qui adhortationem ita admiserit, ut diligentior sua sponte profectus sit ad vos.

18 Misimus autem una cum eo fratrem, qui præterquam quod in re Evangelica per omnes laudatur Ecclesias,

19 Etiam Ecclesiarum suffragio creatus est nostri socius itineris, in hoc beneficio a nobis administrando, ad Domini gloriam, alacritatemque vestram:

20 Hoc caventes, ne quis nos in hac a nobis administranda liberalitate carpat;

21 Prospicientes, ut non solum in Domini, verum etiam in hominum conspectu honeste se res habeat. Rom. 12, 27. Phil. 4, 8. 1. Pet. 2, 12.

22 Misimus autem una cum eis fratrem nostrum, quem sæpe multis in rebus diligentem experti sumus, tum nunc longe diligentiorem: tanta est de vobis confidentia.

23 Quod sive Titus spectetur, socius meus est, & ad vos collega: sive fratres nostri, Apostoli sunt Ecclesiarum, gloria Christi.

24 Quapropter & amoris vestri, & nostræ de vobis gloriationis specimen datote erga eos, & in Ecclesiarum conspectu.

CAP. IX.

Cur de eorum voluntate bene sentiens, illis tamen adhortandis sedulo incumbat, rationem adducit, & sementi eleemosynas comparat, quam Deus rependit magno fœnore.

NAm de officio erga sanctos, ad vos scribere mihi supervacaneum est. Act. 11, 29. Rom. 15, 26.

2 Novi enim alacritatem vestram, de qua vestro nomine glorior apud Macedones, Achajam ab anno superiore paratam esse: quæ vestri æmulatio plerosque excitavit.

3 Ideo autem fratres misi, ne nostra de vobis gloriatio vana sit in hac parte: ut (quemadmodum dicebam) sitis parati:

4 Ne si mecum venerint Macedones, & vos offenderint imparatos, pudeat nos (ne dicamus vos) in hoc gloriationis argumento.

5 Itaque necessarium putavi, fratres hortari, ut ad vos præirent, & jam divulgatam vestram liberalitatem ita præpararent, ut parata foret: sic tamen ut liberalitas, non ut profusio.

6 Cæterum & qui parce seret, parce etiam metet: & qui large seret, large etiam metet:

Prov. 11, 24. & 22, 9. Gal. 6, 8.

7 Prout quisque animo destinavit, non ægre aut invitus: hilarem enim datorem amat Deus.

Exod. 25, 2. & 35, 5. Eccl. 35, 11. Rom. 12, 8.

8 Potest

8 Potest autem Deus adeo vos omni beneficio cumulare, ut omnibus in rebus omnino quod satis sit habentes, abundetis ad omnia recte facta:

9 Quemadmodum scriptum extat: Cum dispergat & pauperibus largiatur, ejus liberalitas manet æterna. Ps. 112, 9.

10 Qui vero serenti & semen & panem ad victum suppeditat, is vobis semen suppeditet, multiplicetque, ac vestræ liberalitatis proventus sic augeat, Es. 55, 10.

11 Ut omnibus summa cum simplicitate circumfluatis, quæ efficiat per nos, ut agantur gratiæ deo.

2. Cor. 1, 11. & 4, 15.

12 Si quidem hujus muneris officium hujusmodi est, ut non solum Sanctorum egestates suppleat, verum insuper hoc tam probando officio in causa sit, ut multi Deo gratias agant,

13 Deum collaudantes tum ob vestram, qui in Christi Evangelium concordes sitis, obedientiam, & simplicem in eos inque omnes largitatem:

14 Tum ob eorum vota de vobis, qui propter singularem Dei in vos favorem, vestri sint cupidi.

15 Gratia Deo, de ejus dono ineffabili.

CAP. X.

Qua fiducia, quibus, armis, qua vindicta sit instructus adversus improborum calumnias ostendit, seque præsentem non minus virtutis habere in operibus quam absens gravitatis in verbis.

ILle ego Paulus vos exhortor per Christi lenitatem ac mansvetudinem, qui præsens quidem apud vos humilis, absens vero sum in vos confidens.

2 Rogo autem ut detis operam, ne mihi præsenti sit audendum confidentia, qua audere cogito in quosdam, qui nos perinde habent, ac si secundum carnem gradiamur.

3 Nam, in carne gradientes, non secundum carnem militamus.

4 Arma enim militiæ nostræ non carnalia sunt, sed divinipotentia, ad munitionum demolitionem: Ier. 1, 10. Eph. 6, 13.

5 Quibus armis cogitationes deturbamus, & omnem sublimitatem elatam contra Dei cognitionem, omnemque mentem ad obediendum Christo cogimus:

6 Et omnem ulcisci contumaciam sumus parati, cum completa fuerit vestra obedientia.

7 Rerum speciem spectatis? Si quis sibi persuasit se esse Christi: hoc rursum per sese cogitet, ut ipse Christi est, sic nos quoque esse Christi.

1. Cor. 14, 37. 1. Ioh. 4, 6.

8 Etsi enim paulo amplius de potestate nostra glorier, quam nobis Dominus ad vos instruendos, non destruendos dedit, non me pudebit.

1. Cor. 12, 6. & 13, 10.

9 Ne videar vos per epistolas terrere conari,

10 Quod epistolæ quidem (inquit) graves fortesque sunt, at corporis præsentia imbecilla, oratioque abjecta est.

11 Hoc

11 Hoc cogitet ille, quales oratione per epistolas sumus absentes, tales re etiam præsentes esse.

12 Nec enim audemus comparare aut conferre nos cum quibusdam, qui sese commendant illi quidem, sed ipsos se in seipsis metiri, seque sibi comparare non intelligunt.

2. Cor. 3, 1. & 5, 12.

18 Nos vero non immodice gloriabimur, sed ex modo regulæ, quem Deus nobis eum tribuit, ut etiam ad vos usque pertingamus. 1. Cor. 12, 11. 2. Cor. 11, 18. & 12, 5. 6. Eph. 4, 7.

14 Non enim quasi ad vos non pertingamus, nos nimis extendimus: nam ad vos etiam pervenimus Evangelio Christi, non supra modum gloriantes in alienis laboribus:

15 Spem habentes fore, ut crescente in vobis vestra fide, usque adeo amplificemur ex nostra norma, Rom. 15, 20.

16 Ut ultra vestros fines doceamus Evangelium: non aliena norma, de eis quæ sunt in promptu gloriando.

17 Qui vero gloriatur, in Domino glorietur.

Es. 65, 16. Ier. 9, 23. 24. 1 Cor. 1, 31.

18 Non enim qui seipsum commendat, probandus est; sed quem Dominus commendat.

Prov. 27, 2. Rom. 2, 29.

CAP. XI.

Ingenti se erga Corinthios amore cogi testatur, ut laudes deprædicet. Gratuitam illis suam operam impendisse, ne qua in re superiores essent pseudapostoli: quos longo antecellere recenset in iis quæ vera sunt laudis.

UTinam paululum aliquid meæ stultitiæ ferretis, & vero ferte me. 2. Cor. 5, 13. & 11, 16. & 1 , 6.

2 Vobis enim obtrecto divina obtrectatione, quippe quos uni viro desponderim, virginem castam Christo tradendam.

Lev. 21, 13.

3 Sed vereor ne forte ut serpens Evam sua astutia decepit, sic vestræ mentes a simplicitate, quæ esse debet in Christianis, corruptæ deflectant.

Gen. 3, 4. Ioh. 8, 44.

4 Quod si venerit, qui alium Iesum prædicaret, quam quem nos prædicavimus, aut si alium spiritum acciperetis, quam quem accepistis, aut aliud Evangelium, quam quod admisistis, recte illum ferretis.

Gal. 1, 8.

5 Ego vero me existimo nihilo inferiorem fuisse vel summis Apostolis. 1. Cor. 15, 10. Gal. 2, 6.

6 Quod si oratione imperitus sum, at non scientia: quin in omnibus omnino apud vos rebus patuimus.

1. Cor. 1, 17. & 2, 1. 13. Eph. 3, 4.

7 An peccatum admisi meipsum demittens, ut vos extolleremini, quod vos gratis divinum Evangelium docui.

1. Cor. 9, 6. 12.

8 Alias Ecclesias diripui, accipiendo ad vobis inserviendum stipendio.

Act. 20, 33. 2. Cor. 12, 13.

9 Et præsens apud vos, & egens, neminem tamen exuxi. Nam egestati meæ subvenere fratres, qui ex Macedonia venerant: itaque omnibus in rebus, ne vobis oneri essem, & cavi, & cavebo. Infr. 12, 23.

10 Hoc per Christum vere confirmo, non me commissurum esse, ut hac gloriatione excludar in Achajæ tractibus.

Rom. 9, 1. 1. Cor. 9, 15.

11 Quamobrem? an quia non amo vos? Scit Deus.

12 Ac quod facio, facturusque sum, id facio ut occasionem iis adimam, qui occasionem captant, quo sibi, in quo glorientur, suppetat, quemadmodum & nobis.

13 Sunt enim istiusmodi falsi apostoli, fallaces operarii, qui in Christi Apostolos transformantur.

14 Nec mirum, cum ipse Satanas transformetur in lucis Angelum.

15 Itaque non magnum est, si ejus quoque ministri sic transfigurantur, ut justitiæ ministri esse videantur: quos quidem dignus eorum factis exitus manet.

Phil. 3, 9

16 Iterum dicam: Nemo me dementem esse putet: Sin aliquis putat, vel ut dementem admittite me, ut ego quoque paululum me jactem.

2. Cor. 12, 6.

17 Quod dico, non ut Domino dignum est dico, sed ut per dementiam in hac gloriationis materia.

18 Quandoquidem multi humano more se jactant, ego quoque me jactabo. 2. Cor. 10, 13. & 12, 5. 6. Phil. 3, 2. 4.

19 Quoniam vos libenter dementes fertis ipsi prudentes.

20 Fertis enim, si quis vobis serviliter abutitur, si quis vos exest, si quis dona accipit, si quis sese effert, si quis vos in os cædit.

21 Indecore dicam: quasi vero nos nequeamus. Quin si quid est in quo quisquam audeat (insipienter dicam) ausim & ego.

2. Cor. 10, 10. Phil. 3, 3. 4. 5. 7.

22 Hebræi sunt, & ego: Israelitæ sunt, & ego: Abrahami progenies sunt, & ego:

Act. 22, 3. Rom. 11, 2.

23 Christi ministri sunt (desipiens dicam) ego magis: in laboribus amplius: in plagis plus: in custodiis amplius: in mortibus sæpenumero.

Act. 9, 16. & 21, 11. 1. Cor. 15, 10. 31.

24 A Iudæis quinquies undequadragenis plagis affectus sum: Deut. 25, 3.

25 Ter verberatus, semel lapidatus, ter naufragium feci: noctem & diem in profundo egi:

Act. 14, 19. & 16, 22. & 27, 41.

26 Sæpe versatus in itineribus, in periculis fluminum, periculis latronum, periculis a meis civibus, periculis ab extraneis, periculis in urbe, periculis in solitudine, periculis in mari, periculis in falsis fratribus:

27 In labore & fatigatione, in vigiliis sæpenumero, in fame, & siti, in jejuniis frequenter, in frigore & nuditate:

28 Præ-

28 Præter cætera, quæ me quotidiana distinent, videlicet omnium Ecclesiarum cura.

Act. 20, 18. &c.

29 Quis æger est, quin ego sim æger? quis offenditur, quin ego urar?

1 Cor. 8, 13. & 9, 22.

30 Si gloriandum est, de imbecillitate mea gloriabor.

2. Cor. 12, 5.

31 Scit Deus & Pater Domini nostri Iesu Christi, qui est collaudandus in sempiternum, me non mentiri. Rom. 1, 9. & 9, 1. Gal. 1, 20. Phil. 1, 8.

32 Damasci præfectus regis Aretæ, Damascenorum urbem custodiebat, capere me volens.

Act. 9, 24.

33 Itaque per fenestram in calatho demissus sum per murum, atque ita ejus manus effugi.

CAP. XII.

Insitus recenset revelationes divinitus sibi factas, ob quas cum vere gloriari possit, non velit infirmitatum suarum conscius; sed hanc sibi necessitatem ineptiendi ipsos injicere, dum se addicunt ambitiosis hominibus, per quos a Christo alienantur.

GLoriari sane mihi non expedit: veniam enim ad visiones & Domini patefactiones.

2 Novi hominem Christianum ante annos quatuordecim (an in corpore, an extra corpus, nescio, scit Deus) hunc, inquam, raptum ad tertium usque cœlum.

Act. 9, 3. & 22, 17. 1. Cor. 15, 8.

3 Et scio eum hominem (an in corpore, an extra corpus, nescio, scit Deus.)

4 Raptum esse in Paradisum, & audivisse arcana verba, quæ homini eloqui nefas.

5 De hujusmodi homine gloriabor: de me vero non gloriabor, nisi in meis infirmitatibus.

2. Cor. 11, 30.

6 Quod si vellem gloriari, non essem quidem amens, utpote qui verum dicerem. Sed parco, ne quis de me existimet supra quam esse me videt, aut ex me audit aliquid.

2. Cor. 10, 8. & 11, 16.

7 Ac ne ob patefactionum præstantiam me nimis efferam, appositus est mihi stimulus carni, angelus Satanæ, qui me tundat, ne nimis efferar. Iob. 2, 16.

8 De eo ter Dominum oravi, ut is a me facesseret:

9 Sed ille mihi sic dixit: Satis est tibi meus favor. Nam mea fortitudo in imbecillitate perficitur. Itaque multo libentissime gloriabor in meis debilitatibus ut habitet in me fortitudo Christi.

10 Proinde mihi placeo in debilitatibus, in contumeliis, in rebus adversis, in vexationibus, in angustiis pro Christo. Dum enim debilis tum, rum fortis sum.

11 Amens fui, qui gloriatus sum: vos me coegistis: qvum deberem ego a vobis commendari. Nihilo enim inferior fui vel summis Apostolis, tametsi nihil sum.

2. Cor. 4, 9. & 15, 8. 9. 10.
2. Cor. 11, 1. 5.

12 Specimina quidem Apostoli edita sunt apud vos, in

ſumma patientia, in prodigiis, & miraculis, ac portentis.

1. Cor. 9, 2. 2. Cor. 4, 2. & 6, 4. & 11, 6.

13 Quid enim eſt in quo ſuperati ſitis a cæteris Eccleſiis, niſi quod ego vos non exuxi? Condonate mihi hanc injuriam.

1. Cor. 9, 12. 2. Cor. 11, 9.

14 Iam tertium paratus ſum viſere vos, neque tamen vos exugam. Non enim veſtra, ſed vos expeto. Nec enim debent liberi parentibus congerere, ſed parentes liberis.

Act. 20, 33. 2. Cor. 13, 1.

15 Ego vero libentiſſime & inſumam, & inſumar pro veſtris animis, quamvis vos majorem in modum amans, minus redamer.

2. Cor. 1, 6. & 6, 12. 13. Col. 1, 24.

16 Sed eſto, ego vos non gravavi; ſed vafer, credo, dolo vos cepi.

17 Num quis eſt eorum, quos ad vos miſi, per quem vos circumvenerim? 2. Cor. 7, 2.

18 Hortatus ſum Titum, & una legavi fratrem: nunquid vos circumvenit Titus? Nonne eodem animo, nonne iisdem veſtigiis ingreſſi ſumus?

2. Cor. 8, 6. 16. 18. 22.

19 An rurſum putatis, vobis excuſare nos? In Dei conſpectu per Chriſtum loquimur, & omnia, o chariſſimi, pro veſtra utilitate facimus.

2. Cor. 5, 12.

20 Vereor enim, ne forte, cum venero, & ego vos non quales vellem inveniam, & ipſe vobis qualem non velletis, inveniar; ne forte ſint litites, æmulationes, iræ, jurgia, male dicta, ſuſurri, rumores, inconſtantiæ:

1. Cor. 4, 21. 2. Cor. 10, 2. & 13, 2. 10.

21 Ne rurſus ad vos ubi venero, affligat me Deus meus, multosque deplorem, qui ante peccaverint, nec ab ea, cui operam dederint, turpitudine, ſtupro & libidine deſtiterint.

CAP. XIII.

Tertio adveniens, ſeveriorem vindictam illis denunciat, qui reipſa experti ſunt virtutem Chriſti in ſuo Apoſtolatu. Optat tandem ut reſipiſcant, & fauſta illis precatur.

IAm tertio venturus ſum ad vos: ex duorum triumve teſtium ore decernetur de omni re.

Num. 35, 30. Deut 17, 16. & 19, 15. Matt. 18, 16. Ioh. 8, 17. 2. Cor. 12, 14. Heb. 10, 28.

2 Et prædixi, & prædico, ac ſicuti dum iterum aderam, nunc abſens ſcribo, iis qui ante peccaverint, cæterisque omnibus, me, ſi rurſum venero, non eſſe parſurum. 2. Cor. 12, 21.

3 Quandoquidem experimentum petitis loquentis in me Chriſti: qui erga vos debilis non eſt, ſed pollet in vobis.

Matth. 10, 20.

4 Nam ſi per debilitatem crucifixus eſt, at vivit per Dei potentiam. Etenim nos quoque debiles in eo ſumus: ſed vivemus cum eo per Dei in vos potentiā.

Phil. 2, 7. 8. 1. Petr. 3, 18.

5 Vos ipſos pertentate, an ſitis fide præditi: vos ipſos explorate? annon vos ipſos eos agnoſci-

agnoscitis, in quibus sit Iesus Christus, nisi forte rejectanei estis. 1. Cor. 11, 28.

6 Spero equidem futurum, ut nos non esse rejectaneos intelligatis.

7 Faxit Deus ut nihil mali faciatis: non ut nos accepti esse videamur, sed ut vobis recte facientibus nos rejectanei esse videamur. 2. Cor. 6, 9.

8 Nec enim quicquam possumus contra veritatem, sed pro veritate.

9 Gaudemus enim, cum & nos debiles, & vos fortes estis. Hoc equidem optamus, vos esse bene comparatos. 2. Cor. 11, 30. & 12, 5. 9. 10.

10 Propterea hæc absens scribo, ne præsenti mihi severe sit utendum potestate, quam mihi Dominus ad juvandum, non ad officiendum dedit. 1. Cor. 4, 21. 2. Cor. 2, 3. & 10, 2. 8. & 12, 20. 21.

11 Cæterum, fratres, gaudete, comparate vos, confirmamini, idem sentite, pacem agite, & Deus amoris atque pacis vobis aderit. Rom. 12, 16. 18. & 15, 5. 1. Cor. 1, 10. Phil. 2, 2. & 3, 15. 16.

12 Salutate inter vos osculo sancto. Salutant vos Sancti omnes. Rom. 16, 16. 1. Cor. 16, 20. 1. Thess. 5, 26.

13 Domini Iesu Christi favor & Dei amor, & sancti Spiritus communio vobis adsit omnibus, Amen.

Ad Corinthios secunda scripta est Philippis Macedoniæ, missa per Titum & Lucam.

PAULI APOSTOLI EPISTOLA AD GALATAS.

CAP. I.

Post inscriptionem subjungit objurgationem, Galatas accusans defectionis, a suo Evangelio, quod a Deo accepit, antequam cum ullo Apostolorum contulisset.

PAulus Apostolus, non ab hominibus, neque per hominem, sed per Iesum Christum & Deum patrem, qui eum excitavit ex mortuis, Gal. 1, 11. 12. Tit. 1, 3. Act. 2, 24. 32. & 3, 15. & 4, 10. & 13, 30. 34. & 17, 31. Rom. 4, 24. & 8, 11. 1. Cor. 6, 14. & 15, 15.

2 Et mei comites omnes fratres, Ecclesiis Galatiæ,

3 Gratiam & pacem a Deo patre, & Domino nostro Iesu Christo, Rom. 1, 7. 1. Cor. 1, 3. Eph. 1, 2. 1. Pet. 1, 2.

4 Qui seipsum pro nostris peccatis dedit, ut nos eriperet ex instante seculo malo: de voluntate Dei patrisque nostri, Matth. 20, 28. Gal. 2, 20.

5 Cui gloria in omnem perennitatem, Amen.

6 Miror vos tam cito ab eo, qui vos in Christi beneficio vocavit, traduci ad aliud Evangelium:

7 Quanquam nullum est aliud, nisi quod sunt quidam, qui vos turbant, & Christi Evangelium pervertere volunt. Act. 15, 1. 2. Cor. 11, 4. Gal. 5, 15.

8 Verum etiam si nos, aut cœlestis Angelus vos diversum doceat ab eo quod vos docuimus, esto detestabilis.

1. Cor. 16, 22. 2. Cor. 11, 14.

9 Ut jam diximus, nunc iterum dicam: si quis vos diversum docet ab eo quod accepistis, esto detestabilis.

Deut. 4, 2. & 12, 32. Prov. 30, 6. Apoc. 22, 18.

10 Nam utrum tandem homines persuadeo, an Deum? num hominibus placere conor? nam si jam hominibus placerem, Christi servus non essem.

1. Thess. 2, 4. Iac. 4, 4.

11 Hoc autem vobis declaro, fratres, traditum a me Evangelium non esse humanum.

1. Cor. 15, 1. 3.

12 Nec enim ego id ab homine accepi aut didici, sed patefaciente Iesu Christo.

Act. 9, 1. Eph. 3, 3.

13 Audivistis enim, quomodo aliquando versatus sim in Iudaismo: quam immodice divinam infestarem ac depopularer Ecclesiam, Act. 8, 3. & 9, 1. & 22, 4. & 26, 9.

14 Et meæ nationis æquales meos in Iudaismi profectu longe superarem, mearum patriarum institutionum facile studiosissimus.

15 Sed simul ac Deo (qui me a matris utero destinavit, & pro suo favore vocavit)

Act. 9, 15. & 13, 3. Rom. 1, 1.

16 Suum filium in me patefacere visum est, ut eum per gentes publicarem, non equidem cum carne & sanguine contuli,

Matt. 16, 17. 2. Cor. 4, 6. Gal. 2, 8.

17 Neque Hierosolymam ascendi ad Apostolos priores me: sed Arabiam petii, & rursus Damascum reverti.

18 Deinde post annos tres Hierosolymam ascendi, visendi Petri gratia, apud quem etiam mansi dies quindecim.

Act. 9, 26.

19 Apostolorum quidem alium nullum vidi nisi Iacobum, Domini fratrem.

Marc. 6, 3.

20 Ac quæ vobis scribo, testor Deum, me non mentiri.

Rom. 1, 9. & 9, 1. 2. Cor. 1, 23. & 11, 31. 1. Thes. 2, 5. 1. Tim. 5, 21.

21 Postea veni in Syriæ Ciliciæque tractus.

22 Eram autem ignotus facie Christianis Iudææ Ecclesiis.

23 Tantum audiverant, eum, a quo aliquando infestabantur, nunc fidem, quam aliquando populatus esset, docere,

24 Deoque in me gratias agebant.

CAP. II.

Nihil a suo Evangelio diversum sensisse Apostolos, in circumcisi Titi exemplo ostendit, & quod asseruerit illud adversus Petri simulationem. Inde transitum facit ad causæ tractationem gratuito nos justificari per Christum.

DEinde post annos quatuordecim rursus ascendi Hierosolymam cum Barnaba, assumto etiam Tito. Act. 15, 2.

2 Ascen-

2 Ascendi autem divino instinctu, & ad illos Evangelium retuli, quod apud extraneas gentes publicarem, præsertim ad illustres, ne forte in cassum vel currerem vel cucurrissem.

Act. 19, 21.

3 Quin neque Titus meus comes, cum Græcus esset, circumcidi coactus est.

Act. 16, 3. 1. Cor. 9, 21.

4 Idque propter emissarios falsos fratres, qui sese insinuaverant ad speculandum, quam haberemus in Christo Iesu libertatem, quo nos servituti subjicerent: Act. 15, 24.

5 Quibus ne ad horam quidem parendo cessimus, ut Evangelii veritas apud vos permaneret.

6 Quod ad eos attinet, qui videntur esse aliquid, quales tandem essent, mea nihil refert: Personæ hominis rationem Deus non habet. Mihi quidem illustres nihil contulerunt.

Deut. 10, 17. 2. Par. 19, 7. Job. 34, 19. Sap. 6, 8. Eccl. 35, 16. Act. 10, 34. Rom. 2, 11. Eph. 6, 9.

7 Contraque, videntes mihi creditum esse præputii Evangelium, quemadmodum Petro circumcisionis: Act. 13, 46. Rom. 11, 13. 1. Tim. 2, 7. 2. Tim. 1, 11.

8 (Nam qui in Petro id egit, ut circumcisorum esset Apostolus, idem in me quoque id egit, ut essem alienigenarum)

Act. 9, 15. & 13, 2. & 22, 21.

9 Cognoscentes, inquam, collatum in me beneficium, Iacobus & Cephas, & Ioannes, qui columnæ esse videbantur, dexteras mihi & Barnabæ dederunt societatis, ut nos alienigenas, ipsi circumcisos instituerent,

10 Dummodo pauperum memores essemus: id quod equidem facere studui.

Act. 11, 30. & 24, 17. Rom. 15, 25. 1. Cor. 16, 1.

11 Cum venisset autem Petrus Antiochiam, ego ei in os restiti, quoniam reprehendendus erat.

12 Cum enim, antequam venissent a Iacobo quidam, cum alienigenis epularetur, postquam illi advenerunt, inhibuit, seque subduxit, circumcisos veritus.

13 Itaque una cum eo simularunt etiam reliqui Iudæi, adeo ut Barnabas quoque ad eorum simulationem adduceretur.

14 Ego vero qui viderem eos non recte se ad Evangelii veritatem gerere, dixi Petro coram omnibus: Si tu Iudæus alienigenarum more vivis, non Iudæorum, cur alienigenas judaizare cogis? Act. 10, 28.

15 Nos natura Iudæi, non ex alienigenis sontes,

Act. 15, 10. 11. Eph. 2, 12.

16 Scientes hominem non legis operibus justum fieri, sed fiducia in Iesu Christo collocanda, nos quoque, inquam, fidem adhibuimus Christo Iesu, ut justi fieremus Christi fiducia, non Legis operibus: quoniam Legis operibus mortalium nemo justus fiet. Ps. 143, 2. Act. 13, 38. Rom. 1, 17. & 8, 3. Gal. 3, 11. Heb. 7, 18. 19.

17 Quod si studentes per Christum

Christum justi fieri, reperimur tamen ipsi quoque sontes, ergo Christus peccati minister est? Absit. Rom. 3, 19. 20. & 5, 1. 1. Ioh. 3, 8. 9.

18 Atqui si quæ abolevi, eadem redintegro, sontem me præbeo.

19 Ego enim per legem legi mortuus sum, ut Deo viverem: Rom. 6, 11. 14. & 7, 4. 6. & 8, 2. & 14, 7. &c.

20 Crucifixus sum cum Christo: Vivo autem, non jam ego, sed vivit in me Christus. Quod vero nunc in carne vivo, fiducia vivo filii Dei, qui me adeo amavit, ut seipsum pro me dederet. Rom. 6, 6. Gal. 1, 4. & 5, 24. & 6, 14.

21 Non repudio Dei beneficium. Nam si in lege posita est justitia, ergo Christus frustra mortuus est. Heb. 7, 11.

CAP. III.

Exprobrat quod se abduci passi sint ab expressa illis ad bibum in Christo justificationis gratia, Abrahæ exemplum adducit, effectum, & causas latæ legis exponens.

O Dementes Galatæ, quis vos fascinavit, ut veritati non obtemperetis? quibus ob oculos Iesus Christus antea depictus fuit, apud vos crucifixus. Gal. 5, 7.

2 Hoc tantum volo a vobis discere, per Legis opera Spiritum acceperitis, an per orationem fidei? Act. 2, 38. & 8, 15. & 15, 8.

3 Adeone dementes estis, ut a Spiritu exorsi, nunc in carnem desinatis?

4 Tanta passi estis frustra? si tamen frustra. 2. Ioh. v. 8.

5 Utrumne qui vobis Spiritum suggessit, & apud vos portentosa fecit per legis opera fecit, an per orationem fidei?

6 Quemadmodum Abrahamus Deo credidit, id quod ei justitiæ ductum est. Gen. 15, 6. Rom. 4, 3. Iac. 2, 23.

7 Ergo cognoscite, qui sunt a fide, eos Abrahami filios esse. Rom. 4, 11. 12. 16.

8 Prævidentes autem Literæ, Deum per fidem justificaturum esse gentes, ante denunciaverunt Abrahamo, in eo beandas esse gentes omnes. Gen. 12, 3. & 18, 18. & 22, 18. & 26, 4. Eccl. 44, 20. Act. 3, 25.

9 Itaque qui a fide sunt, ii una cum fidente Abrahamo beantur.

10 Quicunque enim sunt a Legis operibus, execrationi subjecti sunt. Scriptum est enim: Execrabilem esse, quicunque non steterit omnibus in Legis libro scriptis, eaque præstiterit. Deut. 27, 26.

11 Neminem autem Lege fieri justum apud Deum: hinc perspicuum est, quod justus per fidem vivet. Habac. 2, 4. Rom. 1, 17. & 3, 20. Heb. 10, 38.

12 Atqui Lex non est ex fide: sed qui homo illa fecerit, per ea vivet. Lev. 18, 5.

13 Christus nos a Legis execratione asseruit, factus pro nobis execratio. Scriptum est enim,

enim, execrabilem esse, quisquis ex patibulo pendeat,

Deut. 21, 23. Rom. 8, 3.

14 Ut ad gentes felicitas Abrahamica perveniat per Christum Iesum, ut Spiritus promissum adipiscamur per fidem.

15 Fratres, humana loquar: Quamvis hominis sancitum pactum nemo repudiat, aut immutat. Hebr. 9, 17.

16 Abrahamo autem promissa sunt illa, & ejus semini. Non dicit: Et seminibus, quasi de multis, sed ut de uno: Et semini tuo, qui Christus est.

Gen 12, 7. & 15, 5. & 17, 7. & 22, 18.

17 Hoc autem dico: Fœdus a Deo sanctum, spectans in Christum, lex quæ post annos quadringentos triginta fuit, non antiquat, ita ut promissionem rescindat. Gen. 15, 13. 16. Exod. 12, 40. 41.

18 Atqui si a lege pendet hæreditas, non jam pendet a promisso, & tamen Abrahamo per promissum donavit Deus.

Rom. 4, 13. 14. & 8, 17.

19 Quorsum ergo lex? Delictorum causa adjecta est, donec veniret semen, cui promissum erat: instituta per Angelos, lata per Sequestrem:

Exod. 19, 3. 20. Deut. 5, 5.

20 Sequester autem unius non est: atqui Deus unus est.

21 Ergone lex contraria est Dei promissis? Nequaquam, Si enim data lex esset, quæ vitam conferre posset, plane in Lege sita foret justitia.

22 Sed concluserunt Literæ omnia sub peccatum, ut promissum per Christi Iesu fiduciam daretur fidentibus.

Rom. 3, 9. & 11, 32.

23 Antequam autem venisset fiducia, sub Lege custodiebamur, conclusi ad fiduciam quæ patefacienda erat.

24 Itaque Lex pædagogus noster fuit ad Christum, ut fiducia justi fieremus. Matth. 5, 17. Act. 13, 38. Rom. 10, 4.

25 Postquam autem venit fiducia, non jam sub pædagogo sumus.

26 Omnes enim Dei filii estis, fide Christo Iesu habenda.

Es. 56, 5. Ioh. 1, 12. Rom. 8, 15.

27 Nam quicunque baptizati estis, Christum induistis.

Rom. 6, 3. & 13, 14.

28 Non est neque Iudæus, neque Græcus: non est neque servus, neque liber: non est vel mas, vel fœmina. Nam vos omnes idem estis in Christo Iesu.

Ioh. 17, 21. Rom. 10, 12. 1. Cor. 12, 13.

29 Quod si vos Christi estis, ergo Abrahami semen estis, & ex promisso hæredes. Gen. 12, 12. Rom. 9, 7. Heb. 11, 18.

CAP. IV.

A tutela Legis emancipatos, Christi adventu qui ejus est finis, absurdum est ad egenas superstitiones relabi. Revocat ergo eos ad puritatem doctrinæ Evangelii, & pulchra allegoria suam disputationem exornat.

SIc autem dico: Quamdiu hæres puer est, nihil differt a servo, & tamen est omnium dominus:

2 Sed sub tutoribus & dispensatoribus est, usque ad præfinitum a patre tempus.

3 Similiter & nos, cum pueri essemus, sub mundanis rudimentis eramus emancipati: Col. 2, 20.

4 Sed postquam plenum tempus advenit, misit Deus Filium suum ex muliere natum, qui sub Lege fuit, Gen. 49, 10. Dan. 9, 24. Matth. 5, 18. Eph. 1, 10.

5 Ut Legi subditos redimeret, quo adoptionem adipisceremur. Ioh. 1, 12. Gal. 3, 26.

6 Et quoniam filii estis, misit Deus filii sui Spiritum in vestros animos, qui clamet: Abba Pater. Rom. 8, 15.

7 Itaque non jam servus es, sed filius: quod si filius, etiam hæres Dei per Christum. Rom. 8, 16. 17.

8 Sed tum quidem ignorantes Deum, servivistis eis, qui natura dii non sunt. 1. Cor. 8, 4. & 12, 2. Eph. 2, 11. 12.

9 At nunc Deum cognoscentes, vel potius a Deo cogniti, qui fit ut vos rursus ad infirma egenaque rudimenta convertatis, quibus rursum de integro servire vultis: 1. Cor. 8, 3. & 13, 12. Coloss. 2, 20. Phil. 3, 14.

10 Dies observatis, & menses, & tempora, & annos. Rom. 14, 5. Col. 2, 16.

11 Metuo equidem vobis, ne frustra in vobis laboraverim.

12 Este mei similes, quoniam & ego sum vestri. Fratres, oro vos: nullam mihi fecistis injuriam. 2. Cor. 2, 5.

13 Scitis autem, quanta cum carnis infirmitate vos antea instituerim: 1. Cor. 2, 3.

14 Et tamen mei tentationem, quam in carne pertuli, tantum abfuit ut repudiaretis aut respueretis, ut me ceu Dei Angelum, ceu Christum ipsum Iesum acceperitis. Mal. 2, 7. Matth 10, 40. Ioh. 13, 20

15 Quæ ergo est beatitudo vestra? Testor enim, vos, si fieri potuisset, vestros oculos effossuros, & mihi daturos fuisse.

16 Ergone vester inimicus factus sum, vera vobis dicendo?

17 Ambiunt vos, non recte: nam excludere vos volunt, ut se ambiatis. Rom. 10, 2. 2. Cor. 11, 2.

18 Decet autem ambire in re bona semper, non solum me apud vos præsente.

19 Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur in vobis Christus. 1. Cor. 4, 15. Philem. v. 10. Iac. 1, 18.

20 Vellem equidem nunc apud vos adesse, vocemque meam mutare, quoniam in vobis dubito.

21 Dicite mihi, qui sub lege esse vultis, legem non auditis?

22 Scriptum est enim, Abrahamum duos habuisse filios, unum ex ancilla, alterum ex libera. Gen. 16, 15. & 21, 1. 2.

23 Quorum, ancillæ filius humano more natus est, liberæ autem filius ex promisso. Ioh. 8, 39. Rom. 9, 7. 8.

24 Quæ res aliud significant. Nam ea sunt duo fœdera: Unum a monte Sina, in servitutem gignens, videlicet Agar:

25 Nam

25 Nam Agar, Sina mons est in Arabia, qui cum ea, quæ nunc est, Hierosolyma congruit, quippe quæ una cum suis serviat.

26 At superior Hierosolyma libera est, quæ mater est omnium nostrum. Es. 2, 2.

Hebr. 12, 12. Apoc. 3, 12. & 21, 2. 10. &c.

27 Scriptum est enim: Lætare sterilis quæ non paris: erumpere in clamorem, quæ non eniteris. Nam plures futuri sunt desertæ nati, quam virum habentis. Es. 54, 1.

28 Nos vero, fratres, quemadmodum Isaacus, promissionis nati sumus. Rom. 9, 7. 8.

29 Sed ut tunc qui humanitus erat genitus, genitum divinitus infestabat: ita fit etiam nunc.

Gen. 21, 9.

30 Verum quid ajunt literæ? Ejice ancillam, ejusque filium: non enim hæres erit ancillæ filius cum liberæ filio.

Gen. 21, 10. 12. Ioh. 8, 35.

31 Ergo, fratres, non ancillæ nati sumus, sed liberæ.

CAP. V.

Quia ex libera ortos esse dixit, admonet quantum sit pretium tantæ libertatis, qualiter ea sit utendum, ut spiritui obediant, resistant carni.

QVamobrem in libertate, in quam Christus nos asseruit, state, & nolite rursum jugo servitutis teneri.

Es. 9, 3. Ioh. 8, 32. Act. 15, 10. Rom. 6, 18. 1. Pet. 2, 16.

2 En ego Paulus vobis dico, si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit. Act. 15, 1.

3 Hoc enim confirmo omni homini, qui circumciditur, eum debere toti parere Legi.

4 Nihil rei vobis cum Christo est: qui in Lege positam habetis justitiam, ex beneficio excidistis.

5 Nos enim spiritu per fidem a spe justitiæ pendemus.

2. Tim. 4, 8.

6 Nam in Christo Iesu neque circumcisio quicquam valet, neque præputium, sed fides per charitatem agens.

Matth. 12, 50. Ioh. 15, 14. 1. Cor. 7, 19. Gal. 6, 15. Col. 3, 11.

7 Currebatis bene, quis vos impedivit, quo minus veritati obtemperaretis? Gal. 3, 1.

8 Ista persvasio non ab eo est qui vos vocavit.

9 Paulum fermenti totam massam fermentat.

1. Cor. 5, 6.

10 Equidem hoc mihi de vobis per Dominum persvasi, vos omnino non aliter animatos fore. Verum qui vos turbat, dabit pœnas quisquis est. Gal. 1, 7.

11 Ego quidem, fratres, si adhuc circumcisionem prædico, qui fit ut tamen infester? Si ita esset, non esset ea, quæ est crucis offensio.

12 O utinam excindantur qui vos inquietant.

Deut. 13, 6. & 17, 7.

13 Vos enim ad libertatem vocati estis, fratres, modo ne libertate ad libidinem abutamini, sed per charitatem alius alii serviatis. 1. Cor. 8, 9. Gal. 6, 2. 1. Pet. 2, 16. 2. Pet. 2, 19. Iud. v. 4.

14 Nam

14 Nam tota lex in uno dicto comprehenditur, videlicet: Alterum ut teipsum diligito.
Lev. 19, 18. Matth. 7, 12. & 22, 39. Iac. 2, 8.

15 Quod si alii alios mordetis ac exeditis, videte ne alii ab aliis consumamini.

16 Dico autem obtemperate spiritui, neque carnis cupiditatem exequimini.
Rom. 6, 12. & 13, 14.

17 Caro enim contra quam Spiritus, & Spiritus contra quam caro concupiscit. Atque hæc ita sunt inter sese contraria, ut non quæ velitis ea faciatis.
Rom. 7, 15. &c.

18 Quod si Spiritu agimini, non estis sub lege.
Rom. 6, 14. & 8, 2.

29 Sunt autem manifesta carnis opera, videlicet adulterium, stuprum, impuritas, salacitas,
1. Cor. 3, 3. & 6, 9. Ephes. 5, 3. 5.

20 Deastrorum cultus, venificium, inimicitiæ, lis, æmulationes, iracundiæ, contentiones, seditiones, sectæ,

21 Invidiæ, homicidia, ebrietates, comessationes, & his similia, quæ qui faciunt, (hoc vobis prædico, quemadmodum jam prædixi) ii divinum regnum non obtinebunt. Eph. 5, 5. Col. 3, 6.

22 At Spiritus fructus est charitas, gaudium, pax, clementia, benignitas, bonitas, fides, lenitas, continentia: contra talia non est lex.
Eph. 5, 8. Col. 3, 12. 1. Tim. 1, 9.

23 Qui sunt autem Christi, ii carnem una cum libidinibus & cupiditatibus crucifixerunt.
Rom. 6, 6. & 13, 14. Gal. 2, 20.

24 Si Spiritu vivimus, etiam Spiritu gradiamur. Rom. 8, 5.

25 Ne simus gloriosi, invicem provocantes, invicem invidentes. Phil. 2, 3.

CAP. VI.

Agit jam in specie de charitate erga delinquentes & lapsos, erga ministros verbi, erga domesticos fidei, non quemadmodum falsi Legis zelatores, qui in carne mutilata gloriantur, non autem in cruce Christi.

FRatres, si quis aliquo delicto anticipatus fuerit, vos eum, qui spirituales estis, reficite, cum animi comitate, aspicientes vosipsos, ne vos quoque tentemini.
Rom. 14, 1. & 15, 1.

2 Alii aliorum onera ferte, atque ita Christi lege perfungimini. Matth. 11, 29. Ioh. 3, 14. 34. & 15, 2.

3 Nam si quis sibi videtur aliquid, cum nihil sit, ipse se animo fallit, 1. Cor. 8, 2.

4 Exploret autem suum quisque opus, ita demum in seipso tantum quod glorietur habebit, non in altero.
1. Cor. 11, 28. 2. Cor. 13, 5.

5 Nam suum quisque feret onus. Ps. 62, 13. Ier. 17, 10. & 32, 19. Matth. 16, 27.

6 Communicet autem qui doctrina eruditur, cum eo, a quo eruditur, omnia bona.
1. Cor. 9, 7. 11. 14.

7 Ne errate, Deus non eluditur: nam quod quisque severit, idem metet. Luc. 16, 25.
Rom. 2, 6. 1. Cor. 7, 10.

8 Si-

8 Siquidem qui in ſuam carnem ſeverit, ex carne metet interitum. Qui vero in Spiritu ſeverit, ex Spiritu vitam metet ſempiternam. 2. Cor. 9, 6.

9 Nolimus autem recte faciendo defetiſci: nam noſtro tempore metemus, non defatigandi. 2. Theſſ. 3, 13.

10 Ergo ut tempus habemus, benefaciamus, cum omnibus, tum maxime fidei domeſticis. Eph. 2, 10. 1. Tim. 5, 8.

11 Videte, quantis vobis literis ſcripſerim mea manu.

12 Quicunque ſe in carne pulchra ſpecie venditant, ii vos circumcidi cogunt, tantum ut Chriſti cruce non infeſtentur. Phil. 3, 18.

13 Nam ne ipſi quidem, qui circumciduntur, legi parent: ſed ideo vos circumcidi volunt, ut in veſtra carne glorientur.

14 At mihi gloriari ne ſit, niſi in cruce Domini noſtri IESU Chriſti, per quem & mundus mihi crucifixus eſt, & ego mundo. Rom. 6, 6. Gal. 2, 20.

15 Etenim in Chriſto Ieſu neque circumciſio quicquam valet, neque præputium, ſed nova natura. Matth. 12, 50. Ioh. 15, 14. 1. Cor. 7, 19.

16 Et quicunque ad hanc normam ſe gerunt, iis pax & miſericordia tribuetur, una cum divinis Iſraelitis. Pſ. 125, 5. Rom. 2, 29. & 4, 12.

17 Deinceps nemo mihi negotia faceſſat: ego enim Dominī noſtri Ieſu Chriſti notas in corpore meo geſto. 2. Cor. 4, 10.

18 Domini noſtri Ieſu Chriſtī favor adſit animis veſtris, fratres. Amen.

Ad Galatas ſcripta eſt Romæ.

PAULI APOSTOLI EPISTOLA AD EPHESIOS.

CAP. I.

Poſt ſalutationem, de gratuita Dei electione, ex adoptione diſſerit, a qua ſalus hominum tanquam ex vero & nativo fonte manat. Et quia tam ſublime arcanum capi non poteſt, precatur ut ad plenam Chriſti cognitionem Epheſios Deus adducat.

PAulus Apoſtolus IESU Chriſti, de Dei voluntate, Sanctis omnibus qui ſunt Epheſi, & fidentibus per Ieſum Chriſtum, Rom. 1, 7. 1. Cor. 1, 1. 2. 2. Cor. 1, 1.

2 Gratiam & pacem a DEO Patre noſtro & Domino IESU Chriſto. Gal. 1, 3. 2. Pet. 1, 2.

3 Concelebrandus Deus & Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui nos fortunavit omni ubertate divina in rebus Chriſti cœleſtibus. 2. Cor. 1, 3. 1. Pet. 1, 3.

4 Quemadmodum nos in eo elegerat ante orbem conditum, ut eſſemus in ſuo conſpectu ſancti & inculpati, charitate præditi. Luc. 1, 75. 2. Tim. 1, 9. Rom. 8, 29. 30. Eph. 5, 27.

5 Deſti-

5 Destinaverat enim nos adoptioni per Iesum Christum, in eundem, pro suæ voluntatis arbitrio,

Rom. 8, 15. 29. 30. Gal. 4, 5.

6 Ad laudem suæ gloriosæ beneficentiæ, qua nos acceptos reddidit per suum charissimum,

Matth. 3, 17. & 17, 5.

7 In quo liberationem habemus per ejus sangvinem, videlicet delictorum veniam, pro ejus tam divite beneficentia,

Act. 20, 28. Rom. 2, 4. & 9, 23.

8 Qua erga nos tam large usus est, summa cum sapientia atque prudentia,

9 Declarando nobis arcanum suæ voluntatis. Atque id fecit, quoniam sic ei visum est, ut ipse secum statuerat, dispensanda esse tempora cum peracta forent,

Rom. 16, 25. Eph. 3, 9. Col. 1, 26. 2. Tim. 1, 9. Tit. 1, 2.

10 Omniaque in Christo summatim comprehendenda, tum cœlestia, tum terrestria.

Gen. 49, 10. Dan. 9, 24.

11 In Christo, inquam, in quo nos in sortem asciti sumus, destinati decreto efficientis omnia suæ voluntatis arbitratu,

Act. 26, 18. Rom. 8, 17. Col. 1, 12.

12 Ut ei laudi simus, ac gloriæ, nos qui spem in Christo collocavimus.

13 In quo eodem vos quoque spem collocastis, audita veritatis oratione, hoc est, vestræ salutis Evangelio, cui fidem habendo, consignati estis Sancto Spiritu promissionis,

Rom. 8, 15. 16. 2. Cor. 1, 22. & 5, 5.

14 Qui pignus est hæreditatis nostræ, ad asserendam partam possessionem, quæ res ei gloriosam laudem pariat.

Exod. 19, 5. Deut. 7, 6. & 14, 2. & 26, 18.

15 Propterea ego vestram fiduciam in Domino Iesu collocatam, & amorem erga omnes Sanctos audiens,

Phil. 1, 3. Col. 1, 3. 1. Thess. 2, 2.

16 Non intermitto gratias de vobis agere, vestri mentionem faciens in meis precibus,

Rom. 1, 9. Phil. 1, 3. 4. 1. Thess. 1, 2.

17 Ut Domini nostri IESU Christi Deus, gloriæ Pater, vos sapientiæ & patefactionis autore Spiritu donet, quo eum cognoscatis,

18 Illustratis vestræ mentis oculis, ut sciatis quid sperandum sit vocatis ab eo, & quam locuples gloriosaque sit ejus hæreditas destinata sanctis:

19 Et quam excellens sit ejus in nos fidentes potentiæ magnitudo,

Col. 1, 12. & 2, 19. Inf. 3, 7.

20 Quam pro sui egregii roboris virtute exeruit in Christo, eum ex mortuis suscitando.

21 Atque is Christus illi dexter assedit, cœlestibus in locis, supra omnem principatum, & potestatem, & potentiam, & dominatum, supraque omne nomen quod nominatur, non solum in hoc seculo, verum etiam in futuro.

Ps. 110, 1. Act. 2, 24. Phil. 2, 9. Col. 2, 10.

22 Et ille ejus pedibus omnia sub-

subjecit, eumque dedit caput supra omnia Ecclesiæ,

Ps. 8, 7. 8. Matth. 28, 18. 1. Cor. 15, 27. Hebr. 2, 8. Rom. 12, 5. 1. Cor. 12, 6. 27.

23 (Quæ ejus corpus est) complementum omnia complentis in omnibus.

CAP. II.

Ut gratiæ magnitudinem ex comparatione amplificet, reducit illis in memoriam, quod exitio prorsus addicti, gratia sint servati, & propinqui facti, reconciliatione per Christum facta, & per Evangelium publicata.

VOs quidem mortui fuistis delictis & peccatis,

Col. 2, 13.

2 In quibus aliquando versati estis: ut est hujus mundi vita, ad principis aereæ potestatis arbitrium, videlicet Spiritus, qui nunc in contumacibus viget hominibus.

Ioh. 12, 31. & 14, 30. & 16, 11.

3 In iisdem peccatis nos quoque omnes versati sumus aliquando, in nostræ carnis cupiditatibus facientes quæ vellet caro atque cogitationes: fuimusque natura digni supplicio, sicut & cæteri. Col. 3, 7. Tit. 3, 3.

4 Verum Deus misericordia dives, tanta nos charitate complexus est, Rom. 10, 12.

5 Ut cum delictis essemus mortui, revocaverit nos in vitam una cum Christo, (estis beneficio servati) Rom. 5, 6. 8. 10 & 6, 4. 5. 8. & 8, 11.

6 Simulque suscitaverit, & in Christo Iesu in cœlestibus collocaverit,

7 Ut ostendat in futuris seculis suam tam divitem beneficentiam, qua pro sua benignitate usus est in nos in Christo Iesu.

8 Nam beneficio servati estis per fiduciam, idque non ex vobis, Dei donum est:

Matth. 16, 17. Rom. 3, 24. & 4, 16.

9 Non ex factis, ne quis se jactet. Rom. 3, 20. 27. & 4, 2. & 9, 11. & 11, 16.

10 Ejus enim sumus opus, conditi in Christo Iesu ad recte facta, quæ præparavit Deus, ut in eis versaremur.

Ps. 100, 3. Es. 29, 23.

11 Quamobrem mementote vos aliquando carne alienigenas (qui præputium vocamini, ab ea, quæ circumcisio dicitur, in corpore manu facta)

1. Cor. 12 2. Eph. 5, 8.

12 Vos, inquam, in illo tempore fuisse sine Christo, ab Israelitica Republica alienos, fœderibus promissionis carentes, spem non habentes, & Dei expertes in mundo.

Rom. 9, 4.

13 At nunc in Christo Iesu, vos qui aliquando aberatis, factum est, ut adsitis per Christi sangvinem.

14 Is est enim pax nostra, qui ex ambobus unum fecit, septique interstitium abrupit,

Es. 9, 5. 6. Mich. 5, 5.

15 Et inimicitias, legem præceptorum in placitis positam, in sua carne abolevit, ut in sese ex duobus conderet unum

novum

novum hominem, faciendo pacem, 2. Cor. 5, 17. Gal. 6, 15. Col. 2, 14.

16 Et ambos uno in corpore reconciliaret Deo per crucem, peremptis in ea inimicitiis. Rom. 6, 6. & 8, 3.

17 Venit autem pacem nunciatum, & vobis qui aberatis, & iis qui aderant. Ps. 148, 14.

18 Si quidem per eum aditum habemus utrique, per unum Spiritum, ad Patrem. Rom. 5, 2. Eph. 3, 12.

19 Ergo non jam peregrini estis & inquilini, sed sanctorum cives, Deique domestici, Gal. 6, 10. Phil. 3, 20.

20 Super Apostolorum Vatumque fundamentum extructi, anguli capite ipso Iesu Christo, Ps. 118, 22.

21 Per quod totum ædificium compactum crescit in sacrum templum in Domino: 1. Cor. 3, 17. & 6, 19.

22 In quo vos quoque una ædificamini, ad Dei domicilium, divino afflatu. 1. Pet. 2, 5.

CAP. III.

Ideo se dicit a Iudæis multa passum quod mysterium de gentilibus servandis Dei jussu prædicaverit. Deinde rogat Ephesios, ne ob afflictiones quas patitur, deficiant. Ac propterea orat Dominum, ut percipiant, quanta sit Christi dilectio.

HUjus gratia ego Paulus, Iesu Christi vinctus, propter vos alienigenas, legatione fungor: Act. 21, 33. Eph. 4, 1.

2 Si modo audivistis Dei beneficii dispensationem, quod mihi ad vos collatum est. Rom. 1, 5.

3 Quandoquidem ille mihi divinitus mysterium declaravit, quemadmodum ante breviter scripsi, Act. 22, 17. 21. & 26, 16. 17.

4 Unde potestis legentes animadvertere meam in Christi mysterio intelligentiam,

5 Quod nullis aliis seculis declaratum est hominum generi, ut nunc patefactum est Sanctis ejus Apostolis ac vatibus divina inspiratione: Act. 10, 28.

6 Videlicet alienigenas esse cohæredes, & ejusdem corporis & participes divini promissi in Christo per Evangelium. Gal. 3, 14. 29. Eph. 2, 15. 16.

7 Cujus ego factus sum minister dono divini beneficii, quod beneficium mihi divinæ potentiæ vi collatum est. Rom. 1, 3. Col. 2, 12.

8 Mihi omnium Sanctorum minimo id beneficium collatum est, ut apud exteras gentes infinitam Christi opulentiam publicem, Act. 9, 15. & 13, 2. & 22, 1. & 26, 17.

9 Et omnibus perspicuum faciam quæ sit mysterii communio, quod ab omni æternitate apud Deum, qui omnia per Iesum Christum condidit, fuit celatum, Ioh. 1, 3. Rom. 16, 25. Ephes. 1, 9. Col. 1, 16. 26. 2. Pet. 1, 21.

10 Ut nunc declaretur principatibus & potestatibus, in cœlestibus per Ecclesiam, tam varia Dei sapientia. 1. Pet. 1, 12.

11 Quemadmodum & ab omni ævo decreverat, & in Christo Iesu Domino nostro præstitit,

12 In

12 In quo habemus audaciam atque aditum, confisione quæ est in fide ei habenda.

Ioh. 10, 9. & 14, 6. Rom. 5, 2.

13 Quamobrem peto, ne animos despondeatis ob eas quas ego pro vobis fero calamitates, quæ vestra gloria est. Sup. v. 1.

Phil. 1, 14. 1. Thess. 3, 3.

14 Hujus gratia flecto mea genua ad Patrem Domini nostri Iesu Christi,

15 Ex quo omnis & in cœlis & in terra denominatur cognatio,

16 Ut pro sua gloriosa opulentia det vobis fortiter corroborari per suum Spiritum in interiorem hominem, 2. Cor. 4, 16.

Ephes. 6, 10.

17 Quo habitet Christus per fidem in vestris animis,

Col. 2, 7.

18 Et sitis in charitate radicati atque fundati, ut comprehendere atque cognoscere valeatis una cum Sanctis omnibus, quam late longeque, quam alte ac sublime pateat,

19 Et quam omnem cognitionem excedat amor Christi, ut divina perfectione sitis perfecti.

20 Ei vero, qui ea vi, quæ viget in nobis, potest omnia longe longeque copiosius facere, quam nos poscere aut cogitare,

Rom. 16, 26.

21 Ei, inquam, gloria in Ecclesia per Christum Iesum, in omnem omnium seculorum perpetuitatem. Amen.

CAP. IV.

Tria ultima capita præceptiones de moribus continent, hortatur ad mutuam conjunctionem, propter-ea varia dona a Deo conferri, ut ædificetur ecclesia. Revocat ergo eos ab infidelium vanitate, a mendacio & spurcitie sermonis.

EXhortor ergo vos ego propter Dominum vinctus, ut ita vos geratis, ut dignum est ista conditione, ad quam vocati estis,

Gen. 17, 1. 1. Cor. 7, 20. Eph. 3, 1.

2 Cum omni modestia ac mansuetudine, cum patientia ferentes alius alium cum charitate,

1. Thess. 5, 14.

3 Spiritus unitatem pacis vinculo tueri studentes:

4 Unum corpus, unusque spiritus, quemadmodum in unam conditionis vestræ spem estis vocati.

Rom. 12, 5. 10. 1. Cor. 12, 4. 11.

5 Unus Dominus, una fides, unum baptisma,

1. Cor. 8, 4. 6. & 12, 5.

6 Unus Deus, & Pater omnium, qui est super omnia, & per omnia, & in omnibus.

Mal. 2, 10. 1. Cor. 12, 6.

7 Cæterum unicuique nostrûm collatum est beneficium, proportione doni Christi.

Rom. 12, 3. 6. 1. Cor. 12, 11.

8 Itaque ascendens in sublime, inquit ille, captivos abduxit, & dona dedit hominibus.

Psal. 68, 19.

9 Quid est autem Ascendit, nisi quod prius in imas terræ partes descenderat?

Ioh. 3, 13. & 6, 62.

10 Qui descenderat, idem est qui supra cœlos omnes ascendit, ut omnia compleret.

Act. 2, 33.

11 Atque is partim Apostolos, partim Vates, partim Evangelistas, partim Pastores, & Magistros dedit,

Act. 21, 8. Rom. 12, 7.

12 Ad condendos Sanctos, ad operis ministerium, ad Christi corporis extructionem,

Rom. 12, 5. 1. Cor. 12, 27.

13 Donec perveniamus omnes ad unitatem fidei, cognitionisque Dei Filii, in virum adultum, ad modum plenæ ætatis Christianæ:

14 Ne simus amplius pueri, qui omni doctrinæ vento fluctuemus, ac circumferamur hominum versutia, qua nos malitiose ad fallendum aggrediantur:

Es. 28, 9. Matth. 11, 7.

15 Sed verum tenentes cum charitate, omnino in eum adolescamus, qui caput est, videlicet Christus,

Col. 1, 18.

16 Ex quo totum corpus omnibus (per quas efficitur administratio) commissuris compactum, atque connexum, actione (quæ pro cujusque parte modo fit) facit corporis incrementum, ad semel extruendum in charitate. Rom. 12, 5. Eph. 2, 21.

17 Hoc igitur per Dominum dico, moneoque ne deinceps vos geratis, quomodo cæteri alienigenæ se gerunt, in suæ mentis vanitate,

Rom. 1, 9. 18. 21. 1. Pet. 4, 3.

18 Animo caligantes, a divina vita alieni, propter eam, qua præditi sunt, ignorantiam, propter eorum animi torporem,

Eph. 2, 12. 1. Thess. 4, 5.

19 Qui obducto callo seipsos addixerunt libidini, ad omnem obscœnitatem avide perpetrandam.

Rom. 1, 24. 26.

20 At nos non ita Christum didicistis.

21 Siquidem eum audivistis, & ab eo (ut est in Iesu veritas) docti estis,

22 Veterem hominem (qui superiores vestri fuêre mores) deponere, qui fallacibus perit cupiditatibus, Rom. 6, 6.

Col. 3, 8. Eph. 2, 2. 3. Heb. 12, 1.

23 Et mentis vestræ spiritu renovari: Rom. 6, 4. & 12, 2.

2. Cor. 5, 17.

24 Ac novum hominem induere, conditum divinitus cum justitia veraque pietate.

25 Quamobrem deposita falsitate, loquimini vera alius cum alio: quandoquidem alii aliorum membra sumus.

Zach. 8, 16.

26 Ita irascimini, ut ne peccetis: neve sol occidat iratis vobis,

Ps. 4, 5.

27 Neve locum date diabolo.

Iac. 4, 7. 1. Petr. 5, 9.

28 Qui furabatur, ne furetur amplius, sed potius manuum labore bona comparet, ut habeat quod egentibus impertiat.

Act. 20, 34. 1. Thess. 4, 11.

29 Nulla vitiosa oratio ex ore vestro prodeat: sed si quæ bona est ad instructionem, qua sit opus ut auditoribus beneficium conferat,

Matth. 12, 36. Eph. 5, 3. 4.

30 Neve sanctum Dei Spiritum contri-

contristate, quo consignati estis ad liberationis diem.

Es. 7,13. & 36,10. Luc. 21,28.

31 Omnis acerbitas, & odium, & ira, , & clamositas, & maledicentia, denique omne vitium, tollatur ex vobis:

Col. 3, 19.

32 Ac este alii in alios benigni, misericordes, condonantes inter vos, quemadmodum Deus vobis in Christo condonavit.

Matth. 6, 14. Marc. 11, 25. Phil. 2, 1.

CAP. V.

Et ne in vitiis, quæ reprehendit, oscitanter suas admonitiones excipiant, severa denunciatione eos terret, stimulos etiam adhibet, & a generali morum paranesi ad specialem uxorum & maritorum descendit.

QUapropter este imitatores Dei, ut chari filii:

Matth. 5,45. 48. Luc. 6,36.

2 Et cum charitate vitam agite, quemadmodum Christus adamavit nos, & seipsum pro nobis dedit, fertum hostiamque Deo ad suavem odorem.

Io. 13,34. & 15, 12. Gal. 5,20. 1. Thess. 4,9. 1. Io. 3,23.

3 Stuprum vero, aut ulla obscœnitas, aut avaritia, ne quidem nominetur apud vos, ut Sanctos decet:

Supr. 4, 29. Marc. 7, 21. Col. 3,5.

4 Aut turpitudo, aut stulta oratio, aut facetia, quæ dedecent: sed potius gratiarum actio.

Eph. 4, 29.

5 Hoc enim scitote, nullum scortatorem, aut impurum, aut avarum (qui est deastricola) habiturum esse hæreditatem in Christi, Deique regno.

1. Cor. 6, 10. Gal. 5, 19.

6 Nemo vos decipiat vanis verbis: nam propter has res invadit ira Dei contumaces homines.

Ier. 29, 8. Matt. 14, 4. Marc. 13,5. 2. Thess. 2,3.

7 Quare nolite eorum esse socii.

8 Cum enim essetis aliquando tenebricosi, nunc lucidi estis in Domino: ut lucis homines vos gerite,

Luc. 16, 8. Ioh. 12, 36.

9 (Est autem lucis fructus in omni bonitate, ac justitia & veritate,)

Gal. 5, 22.

10 Approbantes quæ sunt accepta Deo:

Rom. 12,2.

11 Tantumque absit ut infructuosa tenebrarum opera participetis, ut ea potius arguatis.

Matth. 18, 17. Rom. 6,21. & 13, 12.

12 Nam quæ ab illis occulte fiant, vel dicere turpe est.

13 Omnia autem quæ arguuntur, luce patefiunt. Quicquid enim patefit, lucidum est.

Ioh. 3, 20. 21. Heb. 4, 13.

14 Propterea, expergiscere qui dormis (inquit) exsurge ex mortuis, & tibi Christus affulgebit.

Es. 26,19. & 60,1. Ioh. 5, 25.

15 Videte igitur, ut solerter gradiamini, non ut insipientes, sed ut sapientes.

Col. 4, 5.

16 Ementes tempus, quoniam tempora mala sunt.

17 Quocirca ne este socordes, sed intelligite, quæ sit Domini voluntas.

Rom. 12, 2. 1. Thess. 4,3.

18 Neve inebriamini vino, in quo inest luxuria: sed spiritu pleni este,
Es. 5,. Luc. 21, 34.

19 Colloquentes inter vos carminibus, Deique laudationibus, & divinis cantionibus Dominum ex animo canentes & cantantes, Col. 3, 16.

20 Deo & Patri semper pro omnibus gratias agentes in nomine Domini nostri Iesu Christi:
1. Thess. 5, 18. Hebr. 1 , 15.

21 Alius alii obediens cum Dei metu. 1. Petr. 5, 5.

22 Vos uxores, vestris parete viris, ut Domino.
Gen. 3, 16. Tit. 2, 5. Col. 3, 18. 1. Petr. 3, 1.

23 Nam vir caput uxoris est, ut Christus Ecclesiæ caput: idemque corporis servator est.
Rom. 12, 5. 1. Cor. 11, 3. Eph. 1, 22. 23. & 4, 12. 15.

24 Ac quemadmodum Ecclesia Christo paret, sic uxores suis viris parere debent in omnibus.

25 Vos viri, amate vestras uxores, ut Christus amavit Ecclesiam: seque pro ea dedit,
Gal. 1, 4. Eph. 5, 2. Col. 3, 19.

26 Quo eam sanctam redderet aquæ lotione purgatam, divinis verbis: Ioh. 3, 5. & 15, 3. & 17, 17. Tit. 3, 5.

27 Ut eam sibi præstaret gloriosam Ecclesiam nulla macula aut ruga, aut ulla tali re præditam, sed quæ sancta inculpataque foret. Cant. 4, 7. Ephes. 1, 4.

28 Sic debent amare viri suas uxores, ut sua ipsorum corpora. Qui suam uxorem amat, seipsum amat.

29 Nam nemo unquam suum corpus odit, sed id alit, foveque, ut Christus Ecclesiam:

30 Cujus Christi corporis membra sumus nos, ex ejus carne & ossibus. Rom. 12, 5. 2. Cor. 6, 15. & 12, 27.

31 Propterea homo relicto patre atque matre adhærebit uxori suæ, fietque ex duobus unum corpus. Gen. 2, 24. Matt. 19, 5. Marc. 10, 7. 1. Cor. 6, 16.

32 Mysterium hoc magnum est. Ego de Christo & Ecclesia dico.

33 Quanquam vestrum quoque singulatim suam quisque uxorem sic amato, ut seipsum. Uxor autem virum revereatur.

CAP. VI.

Subjicit præcepta de liberorum, servorum, dominorum officiis. Deinde proponit quam acris pugna fidelibus sit proposita, quibus armis in ea utendum. Postremo Tychicum commendat.

VOs liberi, obedite vestris parentibus in Domino: id enim æqvum est. Col. 3, 20.

2 Honora tuum patrem atque matrem, quod primum est cum promissione præceptum,
Exod. 20, 12. Deut. 5, 16. Sir. 3, 2. seqq. Matth. 15, 4. Marc. 7, 10.

3 Ut tibi bene sit, & vivas in terra diu.

4 Vos patres, ne vestros irritate natos, sed eos in Domini disciplina ac monitis educate.
Deut. 6, 7. 20.

5 Vos servi, obedite vestris, quod ad corpus attinet, dominis, timide

timide actrepide, cum animi simplicitate, tanquam ipsi Domino:
Col. 3, 12. 1. Tim. 6, 1. Tit. 2, 9. 1. Petr. 2, 18.

6 Non ad oculum serviendo, ut hominibus placere conantes, sed ut Christi servi, Dei voluntatem obeuntes ex animo,

7 Cum benevolentia servientes Domino, non hominibus:

8 Scientes fore, ut quod quisque boni fecerit, ejus a Domino præmium reportet, sive servus, sive liber. Rom. 2, 6. 2. Cor. 5, 10.

9 Item vos domini, vices eis reddite, remissis minis, scientes eorum & vestrum Dominum in cœlis esse, qui nihil personis tribuat. Deut. 10, 17. 2. Par. 19, 7. Iob. 34, 19. Sap. 6, 8. Sir. 35, 16. Act. 10, 34. Rom. 2, 11. Gal. 2, 6. Col. 3, 25. 1. Pet. 1, 17.

10 Cæterum, mei fratres, convalescite in Domino, ejusque virtutis robore.

11 Induite divinam armaturam, ut possitis aggressiones sustinere diaboli.
Rom. 13, 12. 2. Cor. 6, 7.

12 Nec enim nobis lucta est adversus sanguinem & carnem, sed adversus principatus, adversus potestates, adversus mundi potentes tenebrarum hujus sæculi, adversus spiritus malitiæ, qui sunt in rebus cœlestibus.
Eph. 2, 2. Col. 1, 13.

13 Quamobrem sumite divinam armaturam, ut adverso tempore resistere, & confectis omnibus stare possitis. 2. Cor. 10, 4.

14 State igitur accincti latera veritate, & justitiæ loricam induti. 2. Cor. 6, 7. 1. Thess. 5, 8.

15 Pedibus calceatis alacritate Evangelii pacis,

16 Assumpto imprimis clypeo fiduciæ, quo omnia Mali ignea tela extinguere poteritis:

17 Item salutis galeam sumite, & gladium Spiritus, hoc est divina dicta,
Es. 59, 17. 1. Thess. 5, 8.

18 Omnibus precibus ac supplicationibus, animo precantes omni tempore, atque in ipsum invigilantes summa cum perseverantia & supplicatione cum pro omnibus sanctis,
Marc. 13, 33. Luc. 18, 1.

19 Tum pro me, ut mihi detur oratio ad libere verba faciendū, declarando Evangelii mysterio,
Act. 4, 29. Col. 4, 3. 2. Thess. 3, 1.

20 Pro quo legationem obeo in catena, ut id tam ingenue eloquar, quam debeo.
Act. 28, 20. 2. Cor. 5, 20.

21 Ut autem vos quoque de me sciatis quid agam, omnia vobis exponet Tychicus frater charissimus, fidusque minister in Domino negotio, Act. 20, 4. Col. 4, 7. 2. Tim. 4, 12.

22 Quem ideo ad vos misi, ut quo statu res nostræ sint, cognoscatis, utque vestros confirmet animos.
2. Tim. 4, 12.

23 Pacem fratribus, & charitatem cum fiducia opto a Deo Patre & Domino Iesu Christo.

24 Adsit Dei favor immortalis omnibus, Dominum nostrum Iesum Christum amantibus. Amen.

Ad Ephesios missa est Roma per Tychicum.

PAULI APOSTOLI EPISTOLA AD PHILIPPENSES.

CAP. I.

De pio animi sui erga Philippenses affectu testatus, de se & de suis vinculis tractat, & eos suo exemplo incitat, hortaturque ad unitatem & patientiam.

PAulus & Timotheus servi Iesu Christi, omnibus Sanctis in Christo Iesu, qui sunt Philippis, nec non Episcopis ac Ministris,

1. Cor. 1, 2.

2 Favorem & pacem a Deo Patre nostro, & Domino Iesu Christo.

Rom. 1, 7. 1. Petr. 1, 1.

3 Ago Deo meo gratias, quoties vestri venit in mentem,

Rom. 1. 9. 10. Eph. 1, 15. 1. Thess. 1, 2. 2. Thess. 1, 3.

4 Semper in omnibus meis supplicationibus pro vobis omnibus cum lætitia supplicationem faciens,

5 Quod Evangelium hacten9 a prima die participaveritis:

6 Hoc fore confidens, ut qui in vobis rem bonam inchoavit, idem absolvat usque ad diem Iesu Christi.

Joh. 6, 29.

7 Quemadmodum æquum est, me hoc de vobis omnibus sentire, quod vos in animo habeam, & in vinculis meis, & in causæ dictione, & Evangelii confirmatione: vos omnes, inquam, collati in me beneficii una participes.

Eph. 3, 1. & 4, 1. 2. Tim. 1, 8.

8 Nam vos omnes (testis mihi Deus est) digna Iesu Christo affectione desidero:

Gal. 1, 20. 1. Thess. 2, 5.

9 Atque hoc precor, ut charitate etiam magis magisque excellatis, in cognitione omnique perspicientia,

10 Ut præstabilia approbetis, ut sinceri sitis, & innoxii ad Christi diem, Rom. 2, 18.

11 Pleni justitiæ fructibus, qui per Iesum Christum ad gloriam laudemque Dei pertinent.

Ioh. 15, 4. 5. 8.

12 Scire autem vos volo, fratres meos casus magis in Evangelii profectum cessisse,

13 Ut mea vincula in christianitate, facta sint perspicua per totum Prætorium cæterisque cunctis:

14 Adeo ut plerique eorum, qui in Domino fratres sunt, freti meis vinculis, magis audeant impavidi verba facere. Eph. 3, 13.

15 Et nonnulli quidem invide dissentientes: nonnulli etiam quod ita sentiant, Christum prædicant.

16 Et illi quidem, qui id cum dissidentia faciunt, Christum non caste publicant, putantes se afflictionem meis addituros vinculis:

17 Ii vero faciunt amore, scientes eum esse me, per quem defendatur Evangelium.

18 Sed quid? certe quoquo modo

modo, sive in speciem, seu vere, Christus publicatur, id quod & gaudeo & gaudebo.

19 Scio enim hoc mihi saluti futurum per vestras preces, & Spiritus Iesu Christi suppeditationem. 2. Cor. 1, 11.

20 Quemadmodum intentus expecto, futurumque spero, ut nulla in re confuter: sed summa cum loquendi libertate, ut semper, sic nunc quoque Christus evehatur in meo corpore, seu per vitam, seu per mortem.

Rom. 5, 5.

21 Nam mihi & vivere Christus est, & mori lucrum.

22 Quod si mihi in eo situs est profectus operis, si vivam in corpore, utrum eligam nescio.

23 Distrahor enim a duobus, & migrare quidem cupio, ac cum Christo esse: nam id multo melius esset. 2. Cor. 5, 8.

24 Verum in corpore manere magis necessarium est propter vos.

25 Qua quidem re fretus, scio me mansurum, & apud vos omnes remansurum esse ad vestrum profectum, fideique lætitiam,

Phil. 2, 24.

26 Quo per me fiat, ut vos magis in Christo Iesu vos jactare possitis, propter meum ad vos iteratum adventum.

2. Cor. 1, 14. & 5, 12.

27 Tantum dignam Christi Evangelio vitam agite, ut sive vos adibo ac videbo, sive abero, audiam eos esse vos, qui stetis in uno spiritu, uno animo cum Evangelica fide dimicantes, nec ulla in re ab adversariis percellamini,

Gen. 17, 1. Rom. 8, 7. Eph. 4, 1. 1. Thess. 4, 1. 2. Thess. 1, 5. Phil. 1, 27. Col. 1, 10.

28 Quod & illis exitii, & vobis salutis sit argumentum,

29 Idque a Deo; quod vobis datum sit, non solum Christo fidem habere, verum etiam pro Christo adversa pati,

Act. 5, 41. Rom. 5, 3.

30 Idem certamen habentibus, quale in me & vidistis, & nunc auditis.

CAP. II.

Obtestatur eos ut nihil prius habeant humilitate, idq; exemplo Christi, Timotheum se illis brevi missurum promittit, & moram Epaphroditi excusat.

QUamobrem, si quæ est in Christo confirmatio, si quod charitatis solatium, si qua Spiritus communio, si qua commiseratio, ac misericordia,

2 Explete meum gaudium: hoc est, ejusdem este sententiæ, eadem charitate præditi, unanimes, idem sentientes,

Rom. 12, 10. 16. & 15, 5.

3 Nihil per dissidentiam aut ostentationem, sed cum modestia alius alium sibi præcellere existimantes:

Rom. 12, 10. 1. Petr. 5, 5.

4 Non sua quisque curantes, verum etiam aliena.

1. Cor. 10, 24. & 13, 5.

5 Nam sic animati esse debetis, ut Christus Iesus,

Matth. 11, 29. Ioh. 13, 15.

6 Qui cum in Dei forma foret, non rapinæ habuit suam cū Deo æqualitatem, Ioh. 1, 1. 2. & 17, 5. 2. Cor. 4, 4.

7 Sed seipsum eo usque ad nihilum redegit, ut sumpta servili forma, factus sit hominum similis, & figura repertus ut homo,
Ps. 22, 7. Ezech. 34, 23. 24. Dan. 9, 26.

8 Sese adeo dejecit, ut obediens fuerit usque ad mortem, & quidem mortem crucis.
Matth. 26, 39. 42. Ioh. 10, 18. Hebr. 2, 9.

9 Quapropter Deus eum summopere extulit, & nomine donavit omnium nominum summo, Ps. 110, 7. Es. 53, 12.

10 Ut ad Iesu nomen omne se genu flectat, cœlestium & terrestrium & subterraneorum:
Es. 45, 23. Rom. 14, 11.

11 Omnisque lingua confiteatur Dominum esse Iesum Christum ad Dei patris gloriam.
Ioh. 13, 13. Act. 2, 36. Rom. 14, 9. 11. 1. Cor. 8, 6. & 12, 3.

12 Quamobrem mihi charissimi, quemadmodum semper obtemperastis, non solum ut in præsentia mea, sed nunc multo magis in absentia mea, cum metu ac tremore vestram salutē agite.

13 Deus enim is est, qui pro sua benevolentia in vobis efficit, ut & velitis, & efficiatis.
2. Cor. 3, 5. Hebr. 13, 21.

14 Omnia facite sine fremitibus, pravisque cogitationibus.
Rom. 12, 17. 1. Pet. 4, 9.

15 Ut irreprehensi integrique sitis, inculpati Dei filii, in medio pravi perversique generis hominum: quos inter micate tanquam in mundo luminaria, vitalem doctrinam sustinentes,
Prov. 4, 18. Matt. 5, 14.

16 Quod mihi sit gloriationi in die Christi, quod non nequicquam cucurrerim, neque nequicquam laboraverim.
2. Cor. 1, 14. Gal. 2, 2.

17 Enimvero licet fidei vestræ sacrificio ac operatione immoler, gaudeo, & vobis omnibus gratulor: 2. Cor. 7, 4.

18 Vos vicissim gaudete mihique gratulamini.

19 Spero autem fore per Dominum Iesum, ut Timotheum brevi mittam vobis, ut ego quoque recreer, cognito vestrarum rerum statu. Act. 16, 1.

20 Neminem enim habeo ei parem animo, qui vestra germane curet.

21 Omnes enim suæ rei student, non Iesu Christi.
1. Cor. 10, 24. & 13, 5.

22 Ejus autem exploratam probitatem hinc cognoscite, quod ceu patri filius mecum una inservivit Evangelio.

23 Hunc igitur, ut spero, mittam, simulac meis rebus prospexero.

24 Confido autem fore per Dominum, ut ego ipse brevi veniam. Phil. 1, 25. Philem. v. 22.

25 Necessarium autem putavi, Epaphroditum fratrem & collegam commilitonemque meum, vestrum autem Apostolum, & mei muneris vicarium ad vos mittere,
Phil. 4, 18. Philem. v. 22.

26 Quandoquidem desiderabat vos omnes, de eo anxius, quod se ægrotasse audivissetis.

27 Ægrotavit enim ita, ut morti

morti proximus esset. Verum Deus ejus misertus est: nec ejus solum, sed etiam mei, ne dolorem super dolorem haberem.

28 Itaque eo avidius eum misi, ut & vos eo viso, rursus gaudeatis, & ego minus doleam.

29 Quare eum excipite per Dominum cum omni lætitia, & tales in honore habete:

Gal. 6, 6. 1. Thess. 5, 12.

30 Nam propter Christi negotium eo venit, ut a morte parum abesset, nulla habita suæ vitæ ratione, dum vestri erga me officii defectum suppleret.

1. Cor. 16, 17.

CAP. III.

Refellit inanes Pseudapostolorum jactantias, & illis unum Christum opponit, vim & naturam fidei describit, ut posthabitis omnibus, adspirent ad communicationem crucis Christi, cujus inimicos notat.

CÆterum mei fratres, gaudete in Domino. Eadem vobis scribere, neque me piget, & vobis tutum est.

Phil. 4, 4. 1. Thess. 5, 16.

2 Videte canes, videte malos operarios, videte concisos.

Es. 56, 10. 2. Cor. 11, 13.

3 Nos enim sumus circumcisi, qui Spiritu Deum colimus, & in Christo Iesu gloriamur, non carne freti. Deut. 10, 16. & 30, 6. Ier. 4, 4.

4 Quanquam ego carne fretus esse possem. Si quis alius sibi videtur in carne fiduciam habere posse, ego magis.

Gen. 49, 27. Rom. 11, 1.

5 Circumcisus octavo die, genere Israelita, tribus Benjaminiæ, Hebræus ex Hebræis, instituto Pharisæus,

Gen. 17, 12. 2. Cor. 11, 22.

6 Studio insectator Ecclesiæ, justitia in Lege sita inculpatus.

Act. 8, 3. & 9, 1. & 22, 4.

7 Sed quæ mihi lucra erant, ea propter Christum damno habui.

Matth. 13, 44.

8 Quinimo omnia damnum esse puto propter cognitionis Christi Iesu domini mei præstantiam, propter quem omnium jacturam feci, eaque pro stercoribus habeo, ut Christum lucrer,

Es. 53, 11. Ier. 9, 23.

9 Et mihi in eo suppetat, nec habeam justitiam meam, quæ a Lege pendeat, sed in fide Christo habenda positam, pendentem a Deo, justitiam in fide sitam,

Rom. 1, 17. & 3, 21. 22. & 9, 30. & 10, 3.

10 Eum ejusque & resurrectionis vim & suppliciorum communitatem cognoscendo, dum ad ejus mortem conformor:

Rom. 6, 3. 4. 5. & 8, 17.

11 Si qua ad mortuorum resurrectionem perveniam,

12 Non quia jam consecutus sum, aut jam perfectus, sed persequor ut comprehendam, quatenus a Iesu Christo sum comprehensus. 1. Tim. 6, 12.

13 Fratres, ego me nondum assecutum esse arbitror:

Luc. 9, 62.

14 Veruntamen quæ sunt a tergo obliviscens, & ad interiora me intendens, ad scopum contendo, ad palmam, ad quam superne vocatus sum divinitus per Christum Iesum. Ps. 45, 11.

15 Quotquot ergo perfecti sumus, hoc sentiamus. Quod si quid aliter sentitis, id vobis patefaciet Deus.

Rom. 14, 3. 4. 1. Cor. 2, 6.

16 Interim quantum adepti sumus, idem sentiamus: eandem ad regulam vivamus.

Rom. 12, 16. & 15, 5. 7.

17 Este mei imitatores, fratres, & eos considerate, qui ita se gerunt, ut nos exemplum habetis.

1. Cor. 4, 16. & 11, 1.

18 Nam multi ita se gerunt (quos & sæpe vobis dixi, & nunc plorans dico) ut Christianæ crucis hostes: Rom. 16, 17.

19 Quorum exitus est exitium: qui & ventrem pro DEO habent, & gloriam sibi in sua turpitudine collocant: qui terrestria sapiunt. Hos. 4, 7.

20 Nam nostra quidem obversatio in cœlis est, unde etiam Servatorem manemus dominum Iesum Christum.

1. Cor. 1, 7. Eph. 2, 6.

21 Qui humile nostrum corpus sic transfigurabit, ut eandem cum ejus glorioso corpore formam habeat, pro ea vi, qua ipse sibi subjicere potest omnia.

1. Cor. 15, 26. 27. 43. 48. 51.

CAP. IV.

A particularibus monitis ad generalia descendit. Eorum libertate ita quidem se fuisse exhilaratum dicit, ut patienter defectum laturus [illegible].

Quamobrem, fratres mei chari ac desiderati, lætitia coronaque mea sic state in Domino, o charissimi. 2. Cor. 2, 14.

2 Evodiam exhortor, & Syntychen exhortor, idem ut sentiant in Domino.

3 Quin te quoque, vere socie, rogo, eis opitulare, quæ mecum certaverint in Evangelio, una cum Clemente, reliquisque meis collegis, quorum nomina sunt in libro vitæ.

Exod. 32, 32. Ps. 69, 29. Apoc. 3, 5. & 10, 8. & 21, 27.

4 Gaudete in Domino semper, & iterum dicam, gaudete.

1. Thess. 5, 16. Phil. 3, 1.

5 Æquitas vestra cunctis nota sit hominibus. Dominus prope adest. 1. Cor. 10, 11. Heb. 10, 25.

6 Nihil este soliciti, sed omni in re efficite precibus & supplicationibus cum gratiarum actione, ut vestra postulata DEO declarentur:

Ps. 55, 23. Matth. 6, 25.

7 Et divina pax omnem mentem exuperans, vestros animos ac cogitationes in Christo IEsu custodiet.

Ioh. 14, 27. Rom. 5, 1.

8 Cæterum fratres, quæ vera sint, quæ gravia, quæ justa, quæ casta, quæ amabilia, quæ fausta, si qua virtus, & si qua laus est, ea cogitate,

Rom. 12, 17. & 13, 13.

9 Quæ & didicistis, & accepistis, & audivistis, & vidistis in me. Hæc agite, & Deus pacis vobis aderit.

Rom. 15, 33. 2. Cor. 13, 11.

10 Gavisus sum autem per Dominum magnopere, quod tandem aliquando reviruit vestra de me cura, tametsi curam habebatis, sed opportunitate carebatis. 2. Cor. 11, 9.

11 Ne-

11 Neque propter inopiam
Dico: nam ego didici iis conten-
tus esse quæ adsint.
1. Tim. 6, 6. 8.
12 Scio deprimi: scio & ex-
cellere: in omnibus ubique re-
bus edoctus sum, & saturari, &
esurire, & abundare, & carere.
1. Cor. 4, 11. 2. Cor. 11, 27.
13 Omnia possum per eum qui
me corroborat Christum.
14 Sed tamen recte fecistis,
quod calamitati meæ opitulati
estis.
Phil. 1, 7.
15 Scitis vos quidem, Philip-
penses, initio Evangelii, cum ex
Macedonia profectus essem,
nullam Ecclesiam mihi quic-
quam contulisse ad rationem
expensorum, nisi vos solos,
16 Qui mihi Thessalonicam
semel atque iterum quæ opus
essent misistis:
17 Non quia dona quæram:
quæro enim profectum, qui
in vestram rationem redundet.
Rom. 15, 28. Tit. 3, 14.
18 Habeo autem omnia, &
abundo: cumulatus sum, acce-
ptis ab Epaphrodito iis quæ
misistis, qui svavis odor est, sa-
crificium Deo gratum atque ac-
ceptum. 2. Cor. 9, 12. Heb. 13, 16.
19 Deus vero meus, pro sua
opulentia, quicquid vobis opus
erit, gloriose cumulabit per
Christum Iesum.
20 Deo autem Patrique nostro
gloria in perpetua secula.
Amen.
21 Salutate Sanctos omnes in
Christo Iesu. Salutant vos qui
mecum sunt fratres.
22 Salutant vos omnes Sancti,
præsertim Cæsaris domestici.
23 Domini nostri Iesu Christi
favor adsit vobis omnibus.
Amen.
Missa Roma per Epaphro-
ditum.

PAULI APOSTOLI EPISTOLA AD COLOSSENSES.

CAP. I.

Post inscriptionem, illos laudat ut attentos faciat ad se audiendum, testimonium doctrinæ quam ab Epaphra audierant, reddit. Divinam erga eos gratiam suis elogiis prædicat, & omnes nostræ salutis partes in solo Christo omnino sitas esse exponit.

PAulus Apostolus IESU
Christi, voluntate Dei &
Timotheus frater,
2 Iis qui Colossis degunt San-
ctis fidentibus fratribus in Chri-
sto, favorem & pacem a Deo Pa-
tre nostro, & Domino Iesu Chri-
sto. Rom. 1, 7. Gal. 1, 3. Eph. 1, 2.
3 Agimus Deo Patrique Do-
mini nostri IEsu Christi gratias,
semper pro vobis orantes.
Eph. 1, 15. Philem. 3.
4 Audita vestra in Christo Iesu
fide, & amore in omnes Sanctos,
Eph. 1, 13. Philem. v. 5.
5 Propter ea quæ vobis in cœ-
lis reposita sperantur, quæ ante
audivi-

audiviſtis in vera Evangelii oratione, 1. Pet. 1, 4.

6 Quod ad vos pervenit, quemadmodum etiam in toto orbe proficit, ſicut in vobis, ex quo Dei beneficium vere audiviſtis ac cognoviſtis:

Marc. 4, 8. Joh. 15, 16.

7 Quemadmodum ex Epaphra didiciſtis, conſervo noſtro chariſſimo, qui fidus eſt pro vobis miniſter Chriſti, Col. 4, 12.

8 Qui idem nobis veſtram in Spiritu charitatem expoſuit.

9 Itaque nos ex quo die id audivimus, non deſinimus pro vobis orare, ac poſcere, ut ejus voluntatis cognitione repleamini, cum omni ſapientia prudentiaque divina, Rom. 12, 2.

10 Quo ſic vos geratis, ut Domino dignum eſt, ut ei omnino placeatis, in omnibus recte factis fructum ferentes, & in Dei cognitione creſcentes,

Gen. 17, 1. Eph. 4, 1. Phil. 1, 27. 1. Theſſ. 2, 12.

11 Summa vi convaleſcentes per ejus glorioſum robur, ut ſumma ſitis patientia & clementia cum lætitia præditi.

12 Agimusque Patri gratias, qui nos idoneos reddidit ad participandam ſanctorum ſortem in luce: Act. 26, 18.

13 Qui nos ex tenebrarum poteſtate vindicatos, tranſtulit in regnum ſui chariſſimi Filii,

Matth. 3, 17. & 17, 5. 2. Pet. 1, 17.

14 In quo filio liberationem habemus per ejus ſangvinem, peccatorum veniam,

Act. 20, 28. Eph. 1, 7.

15 Qui imago eſt inaſpectabilis Dei, totius rerum natura primogenitus, Ioh. 14, 9.

16 Utpote per quem condita ſunt omnia, tum quæ in cœlis, tum quæ in terra ſunt, tum aſpectabilia, tum inaſpectabilia, & ſolia, & dominatus, & principatus, & poteſtates. Omnia & per eum, & propter eum condita ſunt, Ioh. 1, 3.

17 Et is eſt ante omnia, & per eum conſtant omnia,

18 Et is corporis Eccleſiæ caput eſt. Is eſt principium, primogenitus ex mortuis, ut ſit is in omnibus princeps:

Act. 26, 23. 1. Cor. 15, 20. 21. 23. Apoc. 1, 5.

19 Quoniam per eum viſum eſt Patri omnem rerum univerſitatem inhabitare,

Ioh. 1, 16. & 3, 34. 35. Inf. 2, 9.

20 Et per eum omnia ſibi reconciliare pacificando per ejus crucis ſanguinem, hoc eſt, per eum, tum terreſtria, tum cœleſtia.

Eſ. 9, 5. 6. Ioh. 6, 33.

21 Et vos aliquando mentibus alienos atque hoſtes in prave factis, Eph. 2, 1. 2. 11.

22 Nunc reconciliavit ejus humano corpore per mortem: quo vos in ſuo conſpectu ſanctos, inculpatos & criminis expertes redderet: Luc. 1, 75.

Eph. 1, 4. & 2, 15. & 5, 26. 27.

23 Si modo permanetis fidei fundati atque fixi, neque de Evangelii ſpe dimovemini, quod audiviſtis, quod in omni rerum natura ſubjecta cœlo prædicatum eſt, cujus ego Paulus factus ſum miniſter, Ioh. 15, 6.

24 Nun

24 Nunc lætor in eis quæ pro vobis patior: & quæ desunt Christi calamitatés, meo corpore suppleo pro ejus corpore, quæ Ecclesia est,

Rom. 12, 5. 1. Cor. 12, 27.

25 Cujus ego factus sum minister, divina dispensatione, quæ mihi ad vos commissa est, ut divinam doctrinam impleam.

Eph. 3, 2.

26 Quod mysterium ab omni seculorum ævo celatum, nunc patefactum est ejus sanctis,

Matth. 13, 11. Rom. 16, 25. Eph. 3, 9. 2. Tim. 1, 10. Tit. 1, 2. 1. Pet. 1, 20.

27 Quibus voluit Deus declarare quæ sit hujus gloriosi mysterii opulentia apud exteras gentes: qui Christus est in vobis gloriæ spes,

Rom. 9, 23. 2. Cor. 2, 14.

28 Quem nos nunciamus, omnem hominem admonentes, omnem hominem cum omni sapientia docentes, ut omnem hominem reddamus in Christo Iesu perfectum:

2. Cor. 11, 2. Eph. 5, 27.

29 In quod elaboro, ejus vi certando, quæ fortiter in me viget.

CAP. II.

Vanitatis damnat quicquid est extra Christum. Nominatim de circumcisione, ciborum abstinentia, Angelorum cultu, loquitur, unde constituit a Decretis de Christum liberatos esse.

VOlo enim scire vos, quantum pro vobis & Laodicensibus, & quicunque me corpore præsentem non viderunt, certamen habeam,

Phil. 1, 30. 1. Thess. 2, 2.

2 Tum ut confirmentur eorum animi, charitate connexorum, tum ut tam divite, tam plena abundent peritia, ut Dei Patrisque & Christi mysterium percipiant,

Es. 53, 11. Ier. 9, 23. Ioh. 17, 3.

3 In quo sunt omnes sapientiæ ac scientiæ opes reconditæ.

1. Cor. 1, 24.

4 Hoc ideo dico, ne quis vobis probabilibus verbis imponat. Eph. 5, 6. Col. 2, 18.

5 Quamvis enim corpore absim, at animo quidem apud vos sum, gaudens spectansque vestrum ordinem, & habendæ Christo fidei firmitatem.

1. Cor. 5, 3. & 14, 40.

6 Quamobrem quemadmodum Christum Iesum Dominum accepistis, sic in eo vos gerite,

1. Thess. 4, 1. Iud. v. 3.

7 Ut in eo radicati ædificemini, & in fide (ut edocti estis) confirmemini, in ea cum gratiarum actione excellentes.

1. Cor. 1, 5. Eph. 2, 21. 22.

8 Videte ne quis sit, qui vos Philosophia fallaciaque vana prædetur, ex hominum institutione, mundique rudimentis, non ex Christo,

Matth. 15, 2. Rom. 16, 17.

9 In quo tota divinitatis plenitudo corporaliter habitat:

Sup. 1, 19. Ioh. 1, 14.

10 Et vos in eo perfecti estis, qui caput est omnis principatus & potestatis:

Ioh. 1, 16. Rom. 8, 38.

11 In quo etiam circumcisi estis circumcisione non manu facta, exuto humanorum peccatorum cor-

corpore in Christi circumcisione, Deut. 10, 16. & 30, 6.

12 Una cum eo sepulti in Baptismo: in quo etiam simul resurrexistis per collatam in Dei vi fiduciam, qui eum ex mortuis suscitavit. Rom. 6, 3. 4.

13 Qui idem vos delictis, & vestri corporis præputio mortuos, in vitam una cum eo revocavit, omniaque nobis delicta condonavit, Eph. 2, 1. 11.

14 Obliterato placitorum chirographo, quod nobis obversabatur, contrariumque erat. Id ille de medio sustulit, affixum cruci, Eph. 2, 5. 15.

15 Per quam in spoliatos principatus ac potestates palam exemplum edidit, eosque triumphavit. Gen. 3, 15. Ps. 68, 10.

16 Quare nemo vos damnet ob cibum, aut potionem, aut festorum discrimen, aut novilunia, aut sabbatha,

Lev. 11, 2. & 23, 2. &c.

17 Quæ sunt futurorum umbræ, quarum corpus Christus est. Heb. 8, 5. & 10, 1.

18 Nemo vos supplantet, in modestia Angelorumque cultu sibi placens, in iis quæ non didicit sese jactans, sua humana mente temere tumens:

Ier. 29, 8. Ezech. 13, 3.
Matth. 24, 4.

19 Neque caput tenens, a quo totum corpus, dum commissuris copulisque compactum regitur, divino crescit incremento.

Eph. 4, 15. 16.

20 Quod si una cum Christo, quod ad mundi rudimenta attinet, mortui estis, cur tanquam in mundo viventes utimini placitis? Rom. 6, 3.

21 Ne tetigeris, neve gustaveris, neve attrectaveris,

22 Quorum omnium is usus est, ut usu pereant, & ad corporis expletionem pertineant, non ut in aliquo sint honore:

23 Ista vero placita sunt ex hominum præceptis atque doctrinis; quæ quidem sunt ejusmodi, ut rationem habeant sapientiæ, ob religionis speciem atque modestiam, & corporis vexationem severam. Es. 29, 13.

Matth. 15, 9. Col. 2, 13.

CAP. III.

Terrenis exercitiis quæ Pseudapostoli urgebant, cœlestia opponit, & a mortificatione carnis ordiritur, unde deducit particulares exhortationes, & particularia officia, quæ pendent ex singulorum vocatione.

SI igitur cum Christo surrexistis, superis studete, ubi Christus est, Deo dexter assidens.

Ps. 110, 1. Rom. 6, 5.

2 Supera sentite, non terrestria.

3 Interiistis enim, vestraque vita cum Christo latet apud Deum.

Rom. 6, 2. &c. & 8, 24.

4 Cum Christus vita vestra patefiet, tum vos quoque una cum eo patefietis gloriosi.

1. Cor. 15, 43.

5 Quamobrem necate vestra membra terrestria, impudicitiam, obscœnitatem, libidinem, cupiditatem malam, & avaritiam, quæ deastrorum cultus est,

Rom. 6, 13, & 7, 5. 23. & 8, 13.

6 Propter quæ invadit ira Dei contumaces homines: 1. Cor. 6, 10.

7 In

7 In quibus vos quoque versati estis aliquando, cum in eis viveretis. Rom. 6,19. 20.& 7,52.

8 At nunc vos iidem omnia deponite, iram, odium, malitiam, maledicentiam, & orationis turpitudinem ex ore vestro.

Rom. 6, 4. Eph. 4, 22. Col. 3,8. Heb. 12, 1. 1. Pet. 2, 1.

9 Nolite alii in alios mentiri, exuti veterem hominem cum suis actionibus,

Eph. 4, 22. 25. 29. & 5, 4.

10 Indutique novum, qui cognitione renovatur ad imaginem conditoris sui:

Gen. 1, 26. & 5, 1. & 9, 6. Rom. 6, 4.

11 Ubi non est Græcus, aut Iudæus, circumcisio aut præputium, Barbarus, Scytha, servus, liber, sed & omnia, & in omnibus Christus. Rom. 10, 12.

12 Induite igitur, ut Dei electi sancti, amatique, affectum misericordiæ, benignitatem, modestiam, mansvetudinem, patientiam: Eph. 4, 32. & 6, 11.

13 Alius alium ferentes, & invicem condonantes, si quis habet quod de aliquo expostulet, quemadmodum Christus vobis condonavit: sic vos quoque facite.

Matth. 6, 14. Marc. 11, 25.

14 Sed super hæc omnia charitatem, quæ perfectionis vinculum est: Ioh. 3, 34. & 15, 12. Eph. 4, 3. & 5, 2.

15 Vigeatque divina pax in vestris animis, ad quam estis in uno corpore vocati: & este grati, Eph. 4, 4. Phil. 4, 7.

16 Christi sermo large in vobis habitet summa cum sapientia. Docete & commonefacite alius alium, carminibus, Deique laudationibus, & divinis cantionibus Dominum animis grate canentes: 1. Cor. 14, 26. Eph. 5, 19.

17 Ac quicquid vel verbis vel re facitis, id in Domini IESU nomine facitote, Deo Patrique per eum gratias agentes.

Rom. 1, 8. 1. Cor. 10, 31.

18 Uxores, parete vestris viris, ut Dominicis dignum est.

Gen. 3, 16. 1. Cor. 14, 34. Eph. 5, 22. Tit. 2, 5.

19 Viri, amate uxores vestras, neve in eas sævite.

Eph. 5, 25. 1. Pet. 3, 7.

20 Nati, obedite parentibus in omnibus: hoc enim Domino gratum est. Eph. 6, 1.

21 Patres, ne vestros irritate natos, ne despondeant animos.

Eph. 6, 4.

22 Servi, obedite in omni re vestris, quod ad corpus attinet, dominis, non ad oculum serviendo, ut hominum captantes gratiam: sed cum animi simplicitate, metuentes Deum.

Eph. 6, 5. Tit. 2, 9. 1. Pet. 2, 18.

23 Ac quicquid facitis, id ex animo agitote, tanquam Domino non hominibus servientes:

24 Scientes fore, ut a Domino hæreditatem præmio accipiatis, quippe cum Domino Christo serviatis.

25 Qui vero injuriam facit, is quam fecerit injuriam luet, nec habebitur ulla ratio personarũ.

Deut. 10, 17. Iob. 34, 19. 2. Par. 19, 7. Sap. 6, 8. Eccl. 35, 16. Act. 10, 34. Rom. 2, 11. Gal. 2, 6.

26 Do-

26 Domini, ex justo æquoque cum servis agite, scientes vos quoque dominum habere in cœlis. Eph. 6, 9.

CAP. IV.

Ad generales exhortationes redit, & precandi studium ac sermonis suavitatem præcipit: postremo commendationes & salutationes subjungit.

SUpplicationi incumbite, cum gratiarum actione vigilantes. Luc. 18, 1. Rom. 12, 12. 1. Thess. 5, 17. Eph. 6, 18. Col. 4, 2.

2 Orantes simul pro nobis quoque, ut Deus nobis portam sermonis aperiat, quo Christi mystertium eloquamur, propter quod vinctus sum, Matt. 13, 11. 1. Cor. 4, 1. & 16, 9.

3 Ut ita patefaciam, ut loqui debeo.

4 Sapienter vos erga alienos gerite, tempus redimentes. Eph. 5, 15. 16.

5 Esto semper oratio vestra gratia prædita, sale condita, ut sciatis quomodo cuique respondere debeatis. Marc. 9, 50.

6 De me omnia vobis exponet Tychicus, charus frater fidelisque minister, & conservus in Domino: Act. 20, 4. Eph. 6, 21. 2. Tim. 4, 12.

7 Quem ideo ad vos misi, ut vestrarum rerum statum cognoscat, vestrosque confirmet animos,

8 Cum Onesimo fido charoque fratre, qui vestras est: hi vos de omnibus, quæ hic gerantur, certiores facient. Philem. v. 10.

9 Salutat vos Aristarchus meæ captivitatis socius: & Marcus Barnabæ consobrinus, de quo mandata accepistis, si venerit ad vos, ut eum excipiatis: 2. Tim. 4, 11. Philem. v. 24.

10 Item Iosua nomine Iustus, qui sunt ex circumcisis, & ii quidem soli ad divinum regnum adjutores, qui mihi solatio fuerunt.

11 Salutat vos Epaphras vestras Christi servus, assiduis pro vobis precibus certans, ut perfecti absolutique stetis in omni voluntate Dei. Rom. 15, 30. Col. 1, 7.

12 Nam eum testor, magno vestri Laodicensium, ac Hierapolitanorum studio teneri.

13 Salutat vos Lucas medicus mihi charissimus, & Demas. 2. Tim. 4, 10. 11.

14 Salutate Laodicenses fratres, & Nympham, & ejus domus Ecclesiam. Rom. 16, 5. 1. Cor. 16, 19.

15 Cumque lecta fuerit apud vos epistola, facite ut etiam in Laodicensium Ecclesia legatur, itemque ut Laodicensem epistolam vos quoque legatis: 1. Thess. 5, 27.

16 Et Archippo dicite, ut quod munus a Domino accepit, id curet implendum. Philem. v. 2.

17 Salutatio mea manu Pauli. Mementote meorum vinculorum. Adsit vobis Dei favor. Amen. 1. Cor. 16, 21. 2. Thess. 3, 17.

Scripta est Romæ: missa per Tychicum & Onesimum.

PAULI

PAULI APOSTOLI EPISTOLA I. AD THESSALONICENSES.

CAP. I.

Gratiarum actionem ideo proponit, ut Dei beneficium esse admoneat, quicquid prædicat in ipsis laude dignum: & quod reliquis exemplum facti sint.

PAulus & Sylvanus, & Timotheus, Thessalonicensium Ecclesiæ, quæ Dei Patris est, & Domini Iesu Christi, favorem & pacem a Deo Patre nostro, & Domino Iesu Christo. Rom. 1,7. 2.Cor. 1, 19. Eph. 1, 2.

2 Agimus immortales gratias Deo de vobis omnibus, vestri mentionem facientes in nostris precibus, Rom. 1,8.9. Eph. 1, 16. 2. Thess. 1,3.

3 Continenter coram Deo Patreque nostro recolentes opus fidei vestræ charitatisque laborem, & spei in Domino nostro Iesu Christo sitæ coram Deo & Patre nostro tolerantiam: Ioh. 6, 29.

4 Scientes, fratres charissimi, vos esse divinitus electos: 2. Thess. 2, 13.

5 Quandoquidem Evangelium nostrum non fuit apud vos in verbis duntaxat positum, sed cum potentia, sanctoque Spiritu, & certissimis argumentis conjunctum. Scitis enim & quales nos isthic vestra causa fuerimus, 1. Cor. 2, 4. & 4, 20.

6 Et ut vos nostri Dominique fueritis imitatores, admissa doctrina cum multa calamitate, cum sancti afflatus lætitia, Act. 5,21. 1.Cor. 4,16. & 11,1.

7 Adeo, ut exemplo fueritis omnibus in Macedonia & Achaja fidentibus.

8 Non solum enim a vobis Dominica doctrina Macedoniã Achajamque personuit, verum etiam in omnia loca permanavit vestra erga Deum fides, adeo ut nos quicquam loqui non sit opus. Rom. 1, 8.

9 Ipsi enim de vobis prædicant, qualem ad vos aditum habuerimus, utque vos a deastris ad Deum converteretis, ut viventi veroque Deo serviretis, 1. Cor. 12, 2.

10 Et ejus Filium ex cœlis expectaretis, quem ex mortuis excitavit, Iesum, qui nos a futuro supplicio defendit. Matth. 3,7. Act. 1, 11. & 2,24.

CAP. II.

Declarat quanta fide ipsis Evangelium prædicarit, neque lucrum aut gloriam quæsierit, idque eorum testimonio probat: & quod ipsi infracto animo persecutiones a suis tulerint. Addit se magno illos visendi desiderio teneri.

Scitis enim ipsi fratres, nostrum ad vos adventum non inanem fuisse: 1. Thess. 1,5.9. Act. 16, 22. & 17,2. Phil. 1,30.

2 Quin quamvis ante Philippis (ut scitis) mala contumeli-

asque passi essemus, tamen per Deum nostrum ausi sumus divinum Evangelium vobis libere multo cum certamine eloqui.

3 Non est enim nostra cohortatio erroris, aut obscœnitatis, aut fraudis:

4 Sed quemadmodum nobis divinitus probatis creditum est Evangelium, sic loquimur non ut hominibus placentes, sed Deo, qui nostros explorat animos.

Gal. 1, 10. 1. Tim. 1, 11. 12.

5 Nec enim unquam assentatoria oratione usi sumus, ut vos scitis, nec per avaritiam quicquam fecimus: testis Deus:

Act. 20, 33.

6 Nec ab hominibus gloriam expetivimus, nec a vobis, nec ab aliis. Et licet oneri esse possemus, ut Christi Apostoli,

7 Tamen adeo mites inter vos fuimus, ut quemadmodum nutrix suos fovet alumnos,

8 Sic nos præ vestri cupiditate libenter vobis non modo divinum Evangelium, verum etiam nostras ipsorum animas impertituri fuerimus: tam chari nobis eratis.

9 Recordamini enim, fratres, nostrum laborem ac defatigationem: quippe qui noctes & dies operando (ne quem vestrûm gravaremus) apud vos divinum Evangelium publicaverimus.

Act. 18, 3. & 20, 34. 2. Thess. 3, 8.

10 Vos testes estis, & Deus, quam pie, quam juste & inculpate nos erga vos fidentes gesserimus:

11 Quemadmodum scitis, ut unumquemque vestrûm, sicuti pater liberos, sic cohortaremur,

12 Ac consolaremur, moneremusque, ut ita vos gereretis, uti Deo dignum esset, qui vos ad suum regnum ac gloriam vocaret. Gen. 17, 1. 1. Cor. 7, 20. Ephes. 4, 1.

13 Itaque nos Deo continenter gratias agimus, quod vos, accepto Dei sermone, quem a nobis audivistis, admisistis, non hominum sermonem, sed (ut vere est) Dei sermonem, qui in vobis fidentibus viget.

Matth. 10, 40. Gal. 4, 14.

14 Vos enim imitatores fuistis, fratres divinarum Ecclesiarum, quæ sunt in Iudæa, quod ad Christum Iesum attinet: siquidem eadem vos quoque passi estis, a vestris tribulibus, quæ nos a Iudæis, Act 17, 5. 13. Heb. 10, 34.

15 Qui etiam Dominum Iesum, suosque vates interfecerunt, & nos exegerunt: neque Deo placent, & omnibus hominibus sunt contrarii, Act. 7, 52.

16 Vetantes ne alienigenas quo serventur, alloquamur, ut eorum peccata semper expleantur: adeo extrema Dei ira infestantur. Matth. 23, 32.

17 Nos vero, fratres, vobis aliquandiu præsentia non animo orbati, magna vehementique vestri coram videndi cupiditate flagravimus. Rom. 1, 11.

18 Itaque ad vos venire voluimus, ego quidem Paulus semel atque iterum, sed impedivit nos Satanas.

19 Etenim quænam nostra spes est, aut lætitia, aut gloriationis

onis corona? nonne vos coram Domino nostro Iesu Christo, in ejus adventu?

20 Vos enim nostra estis gloria atque lætitia.

CAP. III.

Desiderii erga illos sui fidem facit, quod Timotheum ad eos miserit, quod prosperi eorum status nuncio ita sit affectus, ut gratias non possit satis agere, itaque in precationem erumpit.

ITaque cum jam durare non possemus, visum est nobis Athenis relinqui solis,

2 Timotheumque mittere fratrem nostrum, & Dei ministrum, ac nostrum in Christi Evangelio collegam, ad vos confirmandos, & de vestra fiducia commonefaciendos, Act. 16, 1.

3 Ne quis ob has calamitates percellatur: Scitis enim ipsi, nos huic esse rei destinatos.

Act. 14, 22. Eph. 3, 13.

4 Nam dum apud vos eramus, vobis prædicabamus, fore ut affligeremur: quemadmodum & accidit, & vos scitis.

5 Propterea ego me jam non tenui, quin vestram fidem cognitum mitterem, ne forte vos tentasset tentator, atque ita labor noster periisset. Phil. 2, 16.

6 Verum cum modo Timotheus istinc ad nos venisset, nobisque vestram fidem & charitatem nunciasset, vosque nostri bonam semper tenere memoriam, cupiētes videre nos, ut nos quoq; vos:

7 Propterea de vobis recreati sumus, fratres, in omni calamitate nostra ac rebus adversis per vestram fidem,

8 Adeo ut nos nunc vivamus, si vos statis in Domino.

9 Ecquam enim Deo de vobis referre gratiarum actionem valeamus obtantam lætitiam, quam propter vos percipimus coram Deo nostro?

10 Noctes ac dies summopere orantes videre vos coram, & quæ vestræ fidei desunt supplere?

Rom. 1, 10. 11. & 15, 23.

11 Ipse Deus Pater noster, & Dominus noster Iesus Christus, nostrum ad vos iter secundet:

12 Vos vero Dominus & mutua inter vos & erga omnes charitate abunde cumulet, quali nos erga vos sumus.

1. Thess. 5, 15.

13 Ut animi vestri inculpata sanctitate confirmentur in Dei Patrisque nostri conspectu in adventum Domini nostri Iesu Christi cum ejus Sanctis omnibus. 1. Cor. 1, 8. Phil. 1, 10.

CAP. IV.

Hortatur ad vitæ sanctitatem & charitatem mutuam. More infidelium eos vetat lugere mortuos, & historiam resurrectionis nostræ graphice depingit.

QUod superest igitur, fratres, oramus ac hortamur vos per Dominum Iesum, ut quemadmodum a nobis didicistis, quomodo vos gerere Deoque placere debeatis, in eo præcellatis.

Phil. 1, 27.

2 Scitis enim quæ mandata vobis per Dominū Iesum tradiderimus.

3 Hoc enim & Dei voluntatis, & vestræ sanctitatis est, ut ab impudicitia vos abstineatis,

Rom. 12, 1. 2. Eph. 5, 17. 27.

4 Sciatque quisque vestrûm suum vas cum sanctimonia ac honestate possidere,

5 Non (ut alienigenæ Deum ignorantes) cum cupiditatis libidine: Eph. 4, 17. 18.

6 Ne quis suum fratrem in negotiis circumveniat, aut circumscribat. Siquidem horum omnium ultor est Dominus, ut etiam antea vobis diximus, testatique sumus. 1. Cor. 6, 8.

7 Non enim vocavit nos Deus ad obscœnitatem, sed ad sanctimoniam. Lev. 11, 44. & 19, 2.

8 Itaque qui repudiat, non hominem repudiat, sed Deum, qui vos suo Sancto Spiritu donat. Luc. 10, 16.

9 Quod ad fraternum amorem attinet, nihil opus est ut vobis scribatur, cum vos ipsi mutuo amare divinitus didiceritis:

Lev. 19, 18. Matth. 22, 39. Eph. 5, 2.

10 Quippe cum id erga omnes fratres, qui sunt in tota Macedonia, faciatis. Hortamur autem vos, fratres, ut in dies præcellatis,

11 Ac quiescere, & vestras res agere, vestrisque manibus operari contendatis, quomodo nos vobis præcepimus,

Eph. 4, 28.

12 Ut honeste vos ad alienos geratis, nec ulla re indigeatis.

13 Nolo autem ignorare vos, fratres, de iis qui obdormierunt, ne cruciemini, ut cæteri qui spem non habent.

Lev. 19, 28. Deut. 14, 1.

14 Si enim credimus, Iesum mortuum esse, & resurrexisse, ita Deus eos etiam, qui per Christum obdormiverunt, ducet cum eo.

1. Cor. 15, 13. 18.

15 Hoc enim vobis Domini verbis dicimus fore, ut nos vivi, qui ad Domini adventum supererimus non antevertamus eos, qui obdormiverint.

1. Cor. 15, 22. 51.

16 Nam ipse Dominus cum præconio, cum summi Angeli voce, cumque divina tuba descendet de cœlo, & mortui in Christo resurgent primum:

Matth. 24, 31.

17 Deinde nos viventes, qui erimus superstites, una cum eis rapiemur in nubibus obviam Domino in aerem, atque ita semper cum Domino erimus.

Act. 1, 9. Apoc. 11, 12.

18 Quamobrem consolamini alius alium his sermonibus.

CAP. V.

Curiosam temporum adventus Christi inquisitionem damnans, admonet, ut assiduo ad eum excipiendum sint parati. Hinc descendit ad varias admonitiones.

DE temporibus vero, tempestatibusque, fratres, non est opus ut vobis scribatur,

Matth. 24, 3. 36.

2 Cum ipsi præclare sciatis, Domini diem venturam esse ut furem noctu.

Matth. 24, 42. seqq.

3 Cum enim dicent homines, pacem esse & securitatem, tum repente, ut dolor uterum ferenti, sic eis instabit interitus, quem nõ effugient. Luc. 21, 34. 35. 2. Pet. 3, 10. Apoc. 3, 3. & 16, 15.

4 Vos fratres, non estis in tene-

tenebris, ut vos dies illa tanquam fur opprimat: Eph. 5, 8.

5 Omnes enim lucis dieique homines estis. Non sumus noctis aut tenebrarum.

Luc. 16, 8. Rom. 13, 12.

6 Ne dormiamus ergo, ut cæteri, sed vigilemus, sobriique simus. Matth. 25, 13.

7 Nam qui dormiunt, noctu dormiunt: & qui inebriantur, noctu ebrii sunt. Rom. 13 13.

8 At nos cum diei simus, sobrii simus, induti fidei, charitatisque loricam, galeamque spei salutis. Es. 59, 17. Eph. 6, 17.

9 Siquidem non destinavit nos Deus supplicio, sed saluti partæ per Dominum nostrum Iesum Christum, Rom. 9, 22.

10 Pro nobis mortuum, ut sive vigilamus, sive dormimus, una cum eo vivamus.

Rom 14, 8. 9. 2. Cor. 5, 15.

11 Quamobrem cohortamini inter vos & alius alium instruite, ut & facitis.

12 Rogamus autem vos, fratres, ut eos, qui in vobis laborant, vobisque præsunt in Domini negotio, & vos castigant, agnoscatis, Gal. 6, 6. Phil. 2, 29.

13 Et maximi faciatis, charosque habeatis propter eorum opus. Præbete vos eis pacatos.

14 Hortamur item vos, fratres, castigate incoimpositos, solamini parum magnanimos, infirmis opitulamini, clementes este in omnes.

Rom. 14, 1. Gal. 6, 1. 2.

15 Videte ne quis cui malum pro malo rependat, sed semper beneficia & inter vos & in omnes exercete. Lev. 19, 18. Matth. 5, 39.

16 Semper gaudete.

Luc. 10, 20.

17 Continenter orate, Eccl. 18, 22. Luc. 18, 1.

18 In omnibus Deo gratias agite. Nam ea est Dei de vobis, qui sitis Christi Iesu, voluntas.

Eph. 5, 20.

19 Spiritum ne extinguite,

1. Cor. 14, 30. 2. Tim. 1, 6.

20 Vaticinationes ne contemnite:

21 Omnia probate, bonum tenete. 1. Cor. 2, 11. 15.

22 Ab omni maleficii genere abstinete: Phil. 4, 8.

23 Ipse Deus pacis vos sanctos reddat & absolutos, integrique vestri spiritus, & animæ, & corpora criminis expertia in adventū Domini nostri Iesu Christi conserventur.

1. Cor. 1, 8. Phil. 4, 9.

24 Ita fidelis est is qui vos vocavit, ut id facturus sit.

1. Cor. 1, 9. & 10, 13.

25 Fratres, orate pro nobis.

26 Salutate fratres omnes osculo sancto. Rom. 16, 16.

1. Cor. 16, 20.

27 Obtestor vos per Dominum, ut hæc legatur epistola omnibus sanctis fratribus.

Col. 4, 16.

28 Adsit vobis Domini nostri Iesu Christi favor. Amen.

Ad Thessalonicenses prima, scripta est Athenis.

PAULI APOSTOLI
EPISTOLA II.
AD THESSALONICENSES.

CAP. I.

Laudat incrementa fidei, charitatis, & tolerantiæ Thessalonicensium. Et Dei ultionem adversus piorum oppressores describens, fideles docet recumbere in expectationem extremi judicii.

PAulus & Sylvanus, & Timotheus, Thessalonicensium Ecclesiæ, quæ Dei Patris nostri est, & Domini Iesu Christi, 1. Thess. 1, 1.

2 Gratiam & pacem a Deo Patre nostro, & Domino Iesu Christo. 1. Cor. 1, 3.

3 Deo gratias agere debemus immortales de vobis, fratres, ut dignũ est, quod adeo crescit vestra fides, adeoque exuberat vestrûm omnium mutua charitas, Eph. 1, 15. Phil. 1, 3.

4 Ut nos ipsi de vobis gloriemur in divinis Ecclesiis, de patientia atque fide, qua præditi estis in omnibus, quas sustinetis, vexationibus, ac calamitatibus: 2. Cor. 7, 14. & 9, 2. 1. Thess. 2, 19.

5 Quod indicio est fore, ut justo Dei judicio divinum regnum consequamini, pro quo patimini. Phil. 1, 28.

6 Siquidem æquum est, ut a Deo reddatur, ut affligentibus vos afflictio, Zach. 2, 8.

7 Sic vobis qui affligimini, requies una nobiscum, tum cum existet de cœlo Dominus Iesus cum potestatis suæ Angelis, 1. Thess. 4, 16.

8 In igne flammante supplicium irrogaturus nescientibus Deum, & Domini nostri Iesu Christi Evangelio non obedientibus, Rom. 2, 8. 2. Pet. 3, 7.

9 Qui æterno exitio pœnas dabunt Domino, ejusque gloriosæ potentiæ, Es. 2, 19.

10 Cum venerit, ut in illa die in sanctis suis illustretur, inque cunctis fidentibus admirandus esse videatur, quod nostro ad vos testimonio creditum fuerit. Act. 1, 11. 1. Thess. 1, 10.

11 Eam ob rem nos semper pro vobis oramus, ut vos Deus, eo in quem vocati estis, statu dignos reddat, perficiatque ut bonitatem ac fidei opus, & libentissime & fortiter persequamini atque absolvatis,

12 Quo Domini nostri Iesu Christi nomen in vobis celebretur, & vos in eo, pro Dei nostri, & Domini Iesu Christi beneficentia.

CAP. II.

Negat venturum Christi diem, donec in apostasiam prolapsus fuerit mundus, & revelatus fuerit Antichristus, cujus interitum describit infertq; inde exhortationem & constantiam.

ROgamus autem vos, fratres, quod attinet ad adventum Domini nostri Iesu Christi, & nostri ad eum aggregationem,

2 Ne cito de sententia dimoveamini,

veamini, neve turbemini nec spiritu, nec oratione, nec epistola, cujus nos autores esse videamur, quasi instet Christi dies.

Ier. 29, 8. Matth. 24, 4.

3 Nemo vos ullo modo decipiat: Nam non prius id futurum est, quam venerit defectio, & patefactus fuerit homo flagitiosus, homo ille perditus,

Matth. 24, 21. Eph. 5, 6.

4 Qui adversabitur, & se supra quicquid dicitur Deus aut numen, extollet: adeo ut in Dei templo tanquam Deus sedeat, sese Deum esse ostendens.

Dan. 11, 36.

5 An non meministis, me, cum adhuc apud vos essem, hæc vobis dicere?

6 Et nunc scitis quid obstet, quomin9 existat ille suo tempore:

7 Sceleris enim mysterium jam agitur: superest tantum, ut qui nunc tenet, e medio tollatur:

Act. 20, 29.

8 Tum demum existet ille scelerosus, quem Dominus oris sui spiritu conficiet, adventusque sui claritate delebit:

Iob. 4, 9. Es. 11, 4.

9 Cujus scelerosi adventus, Satanæ opera, erit cum omni falsorum, prodigiorum, portentorum, miraculorumque genere,

Deut. 13, 1. Matth. 24, 24.

10 Cumq; omni scelerum fraude conjunctus, apud perituros quidem: quoniam veritatis amorem, quo salvi fuerint, non admiserint. 2. Cor. 2, 15. & 4, 3.

11 Propterea mittet eis Deus vim erroris tantam, ut credant mendacio, Rom. 1, 24.

12 Quo damnentur quicunque veritati non crediderint, sed sceleribus delectati fuerint.

13 Nos vero debemus Deo gratias agere immortales de vobis, fratres Domino dilecti, quod vos principio Deus elegerit ad salutem per spiritus sanctimoniam, verique fidem, 1. Thess. 1, 4.

14 Ad quas vos vocavit per Evangelium nostrum, quærendæ Domino nostro Iesu Christo gloriæ causa.

15 Quamobrem, fratres, perstate, & instituta tenete, quæ ex nostra vel oratione, vel epistola didicistis. 2. Thess. 3, 6.

16 Ipse vero Dominus noster Iesus Christus, & Deus Paterque noster, qui nos pro suo favore adamavit, æternoque solatio, & bona spe donavit,

17 Vestros stabiliat animos, & vos in omni bono & sermone & opere confirmet. 1. Thess. 3, 13.

CAP. III.

Monet ut piis precibus Evangelii prædicationem promoveant, & se subducant ab iis, qui otio & curiositate turbant ordinem publicum, quos etiam a communi fidelium cœtu excludit.

QUod superest, orate, fratres, pro nobis, ut Domini doctrina currat ac illustretur, sicut apud vos, Matth. 9, 38. Eph. 6, 10. Col. 4, 3.

2 Utque defendamur ab importunis & malis hominibus: nec enim omnium est fides.

Ioh. 6, 44. Rom. 15, 31.

3 Sed Dominus, ut est fidelis, vos confirmabit, & a malo tuebitur. Ioh. 17, 15.

4 Atque equidem de vobis per Dominum confidimus, vos quæ vobis præcepimus, ea & facere & facturos esse. 2. Cor. 7, 16.

5 Dominus vero vestros dirigat animos ad divinam charitatem Christianamque patientiam.

6 Denunciamus autem vobis, fratres, per Domini nostri Iesu Christi nomen, ut vitetis omnem fratrem intemperanter se, non ex institutione, quam a nobis accepit, gerentem. Rom. 16, 17. 1. Cor. 5, 11. 15.

7 Nam vos ipsi scitis, quomodo simus imitandi: quippe qui nos adeo non intemperanter gesserimus apud vos, 1. Cor. 4, 16. & 11, 1.

8 Ut ne victum quidem gratis a quoquam acceperimus, sed operoso labore noctes & dies functi fuerimus, ne cui vestrûm graves essemus. Act. 18, 3. & 20, 34.

9 Non quia nobis id non liceret, sed ut nos vobis imitandos exemplum proponeremus. Matth. 10, 10. Phil. 3, 17.

10 Etenim dum istic eramus hoc vobis edicebamus, si quis operari nollet, eum ne comedere quidem debere. Gen. 3, 19.

11 Audimus enim quosdam apud vos immodeste vivere, & nihil agere, sed supervacanea agere

12 Iis nos edicimus, eosque per Dominum nostrum Iesum Christum hortamur, ut quiete operantes sibi victum quærant. Eph. 4, 28. 1. Thess. 4, 11.

13 Vos vero, fratres, nolite recte agendo fatigari. Gal. 6, 9.

14 Quod si quis dictis nostris non obtemperat, eum per epistolam significate, & ab ejus commercio abstinete, ut eum pudeat: Matth. 18, 17. 1. Cor. 5, 9. 11.

15 Neve eum pro inimico habete, sed ut fratrem castigate.

16 Ipse pacis Dominus, pace vos & semper & omnino donet. Dominus vobis adsit omnibus. Rom 15, 33. & 16, 20. 1. Thess. 5, 23.

17 Salutatio mea manu Pauli, quod signum est in omnibus epistolis. Sic scribo: 1. Cor. 16, 21. Col. 4, 18.

18 Adsit vobis omnibus Domini nostri Iesu Christi favor. Amen.

Scripta Athenis.

PAULI APOSTOLI EPISTOLA I. AD TIMOTHEUM.

CAP. I.

Absolutum veri pastoris exemplar proponens, cum præcipua ejus functio sit in docendo, monet ut rejectis vanis quæstionibus ea tradat, quæ charitatem & fidem spirent. Ac ne contemptui sit sua autoritas, qualis factus sit, per Dei gratiam honorifice prædicat.

PAulus Apostolus Iesu Christi ex mandato Dei servatoris nostri, & Domini Iesu Christi, spei nostræ, Act. 9, 15. Col. 1, 27. Gal. 1, 1.

2 Timo-

2 Timotheo germano in fide filio, favorem, misericordiam, pacem a Deo Patre nostro, & Domino Iesu Christo, Domino nostro. Act. 16, 1. 1. Cor. 4, 17.

3 Quemadmodum ego te in Macedoniam proficiscens cohortatus sum, maneto Ephesi, ut quibusdam denuncies, ne aliam sequantur doctrinam,

Act. 20, 1 3. Gal. 1, 6. 7.

4 Neve fabulas attendant, & antiquitates infinitas, quæ potius quæstiones pariunt, quam divinam in fide instructionem.

Inf. 4, 7. & 6, 4. 20.

5 Atqui præceptionum finis est charitas, ex animo puro, bonaque conscientia & fide non ficta proficiscens:

Rom. 13, 8. &c. Gal. 5, 14.

6 A quibus aberrantes quidam, in eam orationis vanitatem deflexerunt, 1. Tim. 6, 4. 20.

7 Ut velint legis esse doctores, cum nesciant quid dicant, neque de quibus affirment.

8 Scimus sane bonam esse legem, si quis ea legitime utatur:

Rom. 7, 11. 12.

9 Hoc intelligens, justis non esse latam legem, sed sceleratis & contumacibus, impiis & improbis, irreligiosis & profanis, patricidis & matricidis,

Gal. 3, 19. & 5, 23.

10 Homicidis, impudicis, cinædis, plagiariis, mendacibus, perjuris, & si quid aliud sanæ doctrinæ contrarium est,

11 Quæ sita est in glorioso beati Dei Evangelio, quod mihi commissum est. 1. Thess. 2, 4.

12 Et gratiam habeo ei qui mihi vires dedit, Christo IESU Domino nostro, qui mihi tantum fidei habuerit, ut me huic ministerio præficeret,

13 Qui prius essem in Deum maledicus, & infestus & contumeliosus. Sed mei misertum est, quoniam ignarus feci, expers fidei: Joh. 9, 39. 41.

1. Cor. 15, 9. Gal. 1, 15.

14 Verum Domini nostri beneficium fuit excellentissimum, cum fide & charitate in Christo Iesu posita.

15 Certa res est, & omni approbatione digna, Christum Iesum in mundum venisse servatum sontes, quorum vel primus ego sum. Matt. 9, 13. Marc. 2, 17.

16 Sed ideo mihi tributa misericordia est, ut in me inprimis exereret Iesus Christus summam clementiam, ad eorum exemplum, qui ei fidem essent habituri ad vitam æternam.

17 Regi autem seculorum immortali, inaspectabili, soli sapienti Deo, honos & gloria in perpetua secula: Amen.

Rom. 16, 27. 1. Tim. 6, 16.

18 Hoc tibi præceptum commendo, fili Timothee, secundum prægressa de te oracula, ut quemadmodum ea postulant, præclara fungare militia,

1. Tim. 6, 12. 2. Tim. 4, 7.

19 Fidem habens, bonamque conscientiam: qua repulsa, quidam fidei naufragium fecerunt,

Inf. 3, 9.

20 Quorum est Hymenæus & Alexander, quos ego Satanæ dedidi, ut dediscant impie loqui.

1. Cor. 5, 5.

CAP. II.

In precibus publicis vult omnes commendari Deo, idque duplici ratione. Inde omnes cujuscunque loci sint, ad orationem invitat & quo vestitu, quaque modestia mulieres in sacro coetu, se gerere debeant, disserit.

EXhortor igitur primum omnium, ut fiant supplicationes, preces, interpellationes, gratiarum actiones, pro cunctis hominibus,

2 Pro regibus & omnibus potestate pollentibus, ut tranquillam quietamque vitam agamus, cum omni pietate ac gravitate.

Ier. 29, 7.

3 Hoc enim honestum est, nostroque servatori Deo acceptum,

4 Qui omnes homines servari vult, & ad veri cognitionem venire. Ezech. 18, 23.

5 Unus enim Deus est, unus item sequester Dei & hominum, homo Christus Iesus,

Ioh. 17. 3. Rom. 3, 30.

6 Qui seipsum liberationis precium pro cunctis dedit, quam ad rem suis temporibus testandam, ego præco sum, & Apostolus constitutus.

Matth. 20, 28. 1. Cor. 1, 6.

7 Verum dico per Christum, non mentior, magister alienigenarum fidelis atque verax.

Act. 9, 15. & 13, 2. & 22, 21.

8 Volo igitur ut supplicent homines quovis in loco, attollentes pias manus, citra iram pravamque cogitationem.

Ps. 134, 2. Es. 1, 15.

9 Item, ut se mulieres modesto habitu cum verecundia & frugalitate comant, non cincinnis, aut auro, aut margaritis, aut sumptuoso vestitu:

Tit. 2, 3. 1. Pet. 3, 1.

10 Sed ut fœminas decet, pietatem recte factis profitentes.

11 Mulier quiete discat summa cum obedientia.

Gen. 3, 16. 1. Cor. 14, 34.

12 Mulieri quidem docere non permitto, nec auctoritatem sibi vendicare in virum: sed quietam esse.

13 Nam prior Adamus formatus est, deinde Eva.

Gen. 1, 27. & 2, 18. 22.

14 Et Adamus non deceptus est, at mulier decepta delictum admisit. Gen. 3, 6. 2. Cor. 11, 3.

15 Servabitur tamen per liberorum procreationem, si manserit in fide, & charitate, & sanctimonia, cum frugalitate.

CAP. III.

Episcopos & Diaconos Christianos depingit, cum eorum uxoribus, liberis & familia. Et ecclesiam domum Dei nominat.

CErta res est: si quis Episcopi munus expetit, rem bonam cupit.

Act. 20, 28. Phil. 1, 1.

2 Debet autem Episcopus irreprehensibilis esse, unius uxoris vir, sobrius, frugi, modestus, hospitalis, aptus ad docendum:

Tit. 1, 6.

3 Non vinolentus, non percussor, non sordidus, sed æquanimis, a jurgiis, & avaritia alienus, 2. Tim. 2, 24.

4 Suam domum bene administrans, liberos habens dicto audientes, summa cum gravitate.

5 Quod

5 Quod si quis suam ipsius domum administrare nescit, quo pacto Dei Ecclesiam procurabit?

6 Ne sit novitius: ne inflatus in diaboli criminationem incurrat.

7 Debet etiam honesto alienorum testimonio commendatus esse, ne in probrum diabolique laqueum incidat. 1. Cor. 5, 12.

8 Itidem ministri sint graves, non bilingues, non vino nimis dediti, non sordidi, Act. 6, 3.

9 In fidei arcano sibi bene conscii. Sup. 1, 19.

10 Atque hi prius probentur, deinde ministrent inculpati.

11 Uxores item graves, non calumniatrices, sobriæ, fideles in omnibus.

12 Ministri sint singularum uxorum viri, liberos, domosque suas bene regentes.

13 Nam qui recte ministrant, ii præclarum sibi gradum faciunt, magnamque in fide in Christo Iesu collocanda libertatem. Matth. 25, 21.

14 Hæc tibi scribo, sperans me ad te venturum esse brevi,

15 Ut, si tardem, scias quomodo sit in Dei domo versandum, quæ est Dei viventis Ecclesia, veritatis columen atque firmamentum. 2. Tim. 2, 20.

16 Et profecto magnum est pietatis arcanum: Deus apparuit in corpore, per Spiritum commendatus est, conspectus Angelis, prædicatus gentibus, creditus in mundo, receptus in gloriam. Marc. 16, 16. &c. Ioh. 1, 14.

CAP. IV.

Falsas doctrinas tam de conjugii & ciborum discrimine, quam prophanas damnat, commendat autem pietatis studium, & assiduam scripturæ lectionem.

Spiritus autem diserte dicit fore ut ultimis temporibus deficiant quidam a fide, spiritibus addicti fallacibus, dæmoniorumque doctrinis, Matt. 24, 23. 2. Thess. 2, 3. 2. Tim. 3, 1. 2. Pet. 3, 3. Iud. v. 18.

2 Per simulationem hominum falsiloquorum, injustam habentium conscientiam,

3 Vetantium matrimonia contrahere, abstinere cibis, quos Deus creavit, ut eis cum gratiarum actione vescantur fidentes, qui verum intelligunt: Gen. 9, 3. Rom. 14. 6.

4 Videlicet omnia a Deo condita esse bona, nihilque rejiciendum, quod cum gratiarum actione sumatur, Gen. 31, 1. Act. 10, 15.

5 Quippe quod divinis verbis & supplicatione lustretur.

6 Hæc tu fratribus proponens, bonus eris Iesu Christi minister, educatus in fidei verbis, bonæque doctrinæ, quam assecutus es. 2. Tim. 1, 5. & 3, 14. 15.

7 Profanas autem & aniles fabulas evita, ac teipsum ad pietatem exerceto. Sup. 1, 4. Inf. 6, 20.

8 Cum sit enim corporis exercitatio ad pauca utilis, pietas ad omnia utilis est, promissiones habens & præsentis & futuræ vitæ. Col. 2, 23. 1. Tim. 6, 6.

9 Certa res est, & summa approbatione digna: 1. Tim. 1, 15.

10 Nam

10 Nam ideo & laboramus & probra patimur, quod ſpem habemus in vivente Deo, qui cum omnium, tum maxime fidentium hominum ſervator eſt.

11 Hæc præcipito ac doceto.

12 Effice ut nemo tuam juventutem deſpiciat; quin fidentibus exemplo eſto verbis, moribus, charitate, ſpiritu, fide, caſtitate, donec veniam.

Tit. 2, 7. 15. 1. Pet. 5, 3.

13 Da operam lectioni, cohortationi, doctrinæ.

14 Noli dotem negligere, qua præditus es, quæ tibi per oraculum collata eſt, cum quidem tibi manus impoſuiſſet ſenatus.

Act. 6, 6. & 8, 17. & 13, 3. & 19, 6.

15 Hæc meditare, in his eſto, ut in omnibus proficere videare.

16 Curam gere & tui ipſius & doctrinæ, in iisque perſevera: hoc enim faciens, & teipſum ſervabis, & auditores tuos.

CAP. V.

Poſtquam modum monendi ſingulos præſcripſit, de viduis agit, quæ tunc in Eccleſiæ miniſterium cooptabantur, inde ad preſbyteros tranſit, & quædam corporis valetudini ſervientia admiſcet.

SEniorem ne objurgato, ſed ut patrem exhortare: juniores ut fratres: Lev. 19, 32.

2 Seniores fœminas, ut matres: juniores ut ſorores, ſumma cum caſtitate.

3 Viduas honora, quæ vere viduæ ſunt.

4 Quod ſi qua vidua liberos habet, aut nepotes, doceat in primis ſuam familiam pietatem colere, parentibusque vicem reddere. Hoc enim honeſtum eſt, & Domino acceptum.

Gen. 45, 16. &c. Matth. 15, 4.

5 Vera quidem vidua, & deſerta, habet in Deo ſpem, vacatque ſupplicationibus & precibus noctes & dies:

Luc. 2, 36. & 18, 1.

6 At deliciis indulgens vidua, vivens mortua eſt.

7 Atque hæc denunciato, ut ſint criminis expertes.

8 Quod ſi qua ſuorum, præſertim domeſticorum curam non habet, ea fidem abnegavit, eſtque infidente deterior.

Gal. 6, 10. 2. Tim. 3, 5.

9 Vidua cooptetur non minor annis ſexaginta, quæ unius viri fuerit uxor.

10 A recte factis bene audiens, ſi liberos educavit, ſi hoſpitalitatem exercuit, ſi ſanctorum pedes lavit, ſi ſubvenit afflictis, ſi omnia recte facta perſecuta eſt. Gen. 16, 4. & 19, 2. Luc. 7, 38. 44.

11 Iuniores autem viduas repudiato. Nam poſtquam Chriſtum repudiantes laſcivire cœperunt, nubere volunt:

12 Eo damnandæ, quod primam fidem fregerunt.

13 Adde quod ocioſæ diſcunt pervagari domos: nec ſolum ocioſæ, verum etiam nugaces, & curioſæ, loquentes quæ non debeant. Tit. 2, 3.

14 Itaque volo juniores nubere, liberis operam dare, regere familiam, nullam dare adverſario occaſionem criminandi.

1. Cor. 7, 9.

15 Iam

15 Iam enim nonnullæ ad Satanam desciverunt.

16 Si quis, aut si quæ fidens viduas habet, subveniat eis: neve gravetur Ecclesia, ut veris viduis sufficiat. Sup. v. 3.

17 Seniores, qui recte gubernant, gemino præmio afficiantur, præsertim qui in sermone doctrinaque elaborant.

Rom. 12, 8. & 15, 27.

18 Ajunt enim literæ: Bovi trituranti os ne obturato: &, dignus est operarius mercede sua. Lev. 19, 13. Deut. 25, 4. Matth. 10, 10.

19 Contra seniorem ne admiseris accusationem, nisi duo tresve testes sint. Deut. 19, 15.

20 Peccantes coram omnibus argue, quo cæteri metu afficiantur.

21 Obtestor in Dei, Dominique Iesu Christi, & lectorum Angelorum conspectu, ut hæc sine ullo discrimine exequare, nihil per favorem faciens.

Gal. 1, 20. Phil. 1, 8.

22 Manus nemini protinus imponito, neve aliena peccata participato. Teipsum castum servato.

1. Tim. 4, 14. 2. Tim. 1, 6.

23 Ne amplius aquam bibe, sed exiguo vino utere, propter tuum stomachum, & crebras infirmitates. Ps. 104, 15.

24 Nonnullorum hominum peccata perspicua sunt, & judicium anteveniunt: in nonnullis vero subseqvuntur. Gal. 5, 19.

25 Itidem recte facta perspicua sunt, & quæ aliter se habent, latere nequeunt.

CAP. VI.

Docet quid servos deceat. Quam exitiosa pestis sit avaritia. Et postquam obiter de divitibus meminit, iterum prohibet Timotheo ne se inanibus doctrinis impediat.

QVicunque sunt sub jugo servi, heros suos omni honore dignos existiment, ne Dei nomen & doctrina male audiat. Eph. 6, 5. Col. 3, 22. Tit. 2, 5. 8. 9.

2 Qui vero fidentes habent heros, ne ideo contemnant, qui a fratres sunt; sed potius serviant, quia fidentes, Deoque chari sunt, idem beneficium adepti. Hæc doce & exhortare.

3 Siquis diversam sequitur doctrinam, neque sanis Domini nostri Iesu Christi dictis, pietatisque doctrinæ accedit,

Gal. 1, 6. 7. 1. Tim. 1, 3. 4.

4 Is inflatus nihil intelligit, sed morbo circa quæstiones & verborum certamina laborat: ex quibus oritur invidia, jurgium, maledicta, pravæ suspiciones,

1. Cor. 8, 2. Sup. 1, 4.

5 Ineptæ disputationes hominum mente corruptorum, & veri expertium, pietatem pro quæstu habentium. A talibus abstineto.

Rom. 16, 17. 1. Cor. 11, 16. 2. Tim. 3, 5. 8.

6 Est vero quæstus magnus pietas, & sua sorte contentum esse. Prov. 15, 16. 1. Tim. 4, 8.

7 Cum enim nihil in mundum attulerimus, profecto nihil auferre possumus.

Iob. 1, 21. & 27, 19. Ps. 49, 18.

8 Itaque alimenta & tegumenta habentes iis contenti simus.

Ps. 55, 23.

9 Qui

9 Qui vero diteſcere volunt, incidunt in tentationem, & in laqueum, inque multas & inſanas ac perniciosas cupiditates, quæ homines in perniciem interitumque demergunt.

Prov. 11, 28. & 20, 21. & 28, 20.

10 Radix enim omnium malorum eſt avaritia: cujus avidi quidam, a fide aberrarunt, & ſeſe in multos dolores induxerunt.

Exod. 23, 8.

11 At tu, divine vir, hæc fuge, juſtitiamque perſequere, pietatem, fidem, charitatem, patientiam, manſuetudinem.

2. Tim. 2, 22.

12 Certa præclarum fidei certamen: vitam prehende ſempiternam, ad quam vocatus es, & præclara profeſſione coram multis teſtibus profeſſus es.

1. Cor. 9, 25. 26. Phil. 3, 12. 14.

13 Edico tibi in Dei conſpectu, vitam dantis omnibus, itemque Chriſti Ieſu, qui coram Pontio Pilato præclara illa confeſſione verum teſtatus eſt:

Deut. 32, 39. 1. Sam. 2, 6. Sup. 5, 1. Matth. 27, 11. Ioh. 18, 33. 37.

14 Ut præceptionem ſerves intemeratus ac irrepreheńſibilis usque ad adventum Domini noſtri Ieſu Chriſti,

15 Quem adventum ſuis temporibus exhibebit beatus ille, ſolusque potens, regnantium Rex, & dominantium Dominus:

Sup. 1, 11. 17. & 5, 11. Apoc. 17, 14. & 19, 16.

16 Solus habens immortalitatem, lumen habitans inacceſſum, quem hominum nullus neque vidit neque videre poteſt, cui honor & imperium æternum: Amen.

Exod. 33, 20. Deut. 4, 12. Ioh. 1, 18. 1. Ioh. 4, 12.

17 Iis, qui in hac vita divites ſunt, denuncia, ne ſuperbiant, neve ſpem habeant in incertis divitiis: ſed in vivente Deo, qui nobis omnia large ſuppeditat ad fruitionem:

Iob. 31, 24. Pſ. 62, 11. Marc. 4, 19. Luc. 12, 15.

18 Ut benefaciant, ut recte factis divites, ut liberales ſint atque largi,

Luc. 12, 21. Iac. 2, 5.

19 Præclarum ſibi fundamentum in futurum congerentes, ut vitam aſſequantur vere ſempiternam.

Matth. 6, 20. Luc. 12, 13.

20 O Timothee, depoſitum ſerva, abhorrens a profanarum vocum vanitate, & diſſidiis ejus quæ falſo nominatur ſcientia,

Sup. 1, 4. & 4, 7.

21 Quam profitentes quidam a fide aberrarunt. Adſit tibi favor. Amen. 2. Tim. 2, 18.

Scripta eſt Laodicea, quæ Pacatianæ Phrygiæ caput eſt.

Pauli

PAULI APOSTOLI
EPISTOLA SECUNDA
AD TIMOTHEUM.

CAP. I.

Laudata fide Timothei, ut in munere sibi commisso fideliter pergat, eum hortatur. Et ne propter sua vincula aut aliorum defectiones labascat, de suo Apostolatu gloriatur, & depositi custodiam illi commendat. Laudat etiam Onesimum.

PAulus Apostolus IESU Christi, Dei voluntate, secundum vitæ in Christo Iesu positæ promissionem,

2 Timotheo charo filio gratiam, misericordiam, pacem a Deo Patre, & Christo Iesu Domino nostro. Gal.1,3. 1.Tim.1,2.

3 Gratiam habeo Deo, quem ritu majorum pura conscientia colo, quod assiduam teneo memoriam tui in meis supplicationibus. Act.22,3. & 23,1. & 24, 14. Rom. 1, 8. 9.

4 Noctes & dies cupiens videre te, memor tuarum lachrymarum, ut lætitia complear,

5 Memoria repetens tuam non fictam fidem, quæ prius habitavit in avia tua Loide, & matre Eunica, & (quomodo mihi persuasi) etiam in te. Act. 16, 1.

6 Quam ob causam summoneo te, ut suscites divinam dotem, qua per mearum manuum impositionem præditus es.

Act. 6, 6. & 8, 17. & 13, 2. & 19, 6.

7 Non enim dedit nobis Deus timiditatis spiritum, sed fortitudinis, & charitatis, ac frugalitatis. Rom. 8, 15.

8 Quamobrem ne te pudeat testificationis Domini nostri, neque mei ejus vincti: sed simul Evangelii adversa, Dei virtute, perpetere,

Act.21,33. Rom.1,16.

9 Qui nos servavit, ad sanctumque statum vocavit, non ob facta nostra, sed ob suum decretum & beneficium, quod nobis in Christo Iesu ante omnem temporum æternitatem donatum,

Rom. 8, 29. & 9, 11. Eph. 1, 4. & 2, 8. & 3, 11.

10 Nunc repræsentatum est adventu servatoris nostri Iesu Christi: qui & mortem abolevit, & vitam ac immortalitatem collustravit per Evangelium,

Es. 25, 8. Rom. 16, 25. 1. Cor. 15, 54. 55. Eph. 1, 9. & 3, 9.

11 Ad quod ego externarum gentium præco, & Apostolus, & magister constitutus sum.

Act. 19, 15. & 13, 2. & 22, 21. Eph. 3, 8. Gal. 1, 15. & 2, 8.

12 Ob quam causam hæc patior: sed me non pudet. Scio enim, cui crediderim: & persuasum habeo, eum posse meum depositum custodire ad illam diem.

Eph. 3, 1.

13 Exemplum sanorum dictorum, quæ ex me audivisti, retineto

retineto cum fide & charitate in Christo Iesu posita. 2. Tim. 3, 14.

14 Præclarum istud depositum servato, per Spiritum Sanctum in nobis habitantem.

1. Tim. 6, 20.

15 Aversati sunt me (hoc tu nosti) omnes Asiani, quorum est Phygelus, & Hermogenes.

Act. 19, 10. 2. Tim. 4, 10. 16.

16 Tribuat Dominus misericordiam Onesiphori familiæ: nam is me sæpe recreavit,

Act. 28, 20.

17 Adeoque eum meæ catenæ non puduit, ut postquam Romam pervenit, me diligenter quæsiverit, ac invenerit.

18 Faxit Dominus, ut misericordiam consequatur a Domino in illa die. Quantum item Ephesi præstiterit, tu satis nosti.

CAP. II.

Ut perseverantiam in militia Christiana commendet, similitudines sumit a militibus & ab agricolis. Vincula sua sanctis usui esse declarat. Inde monet Timotheum ut sermonem veritatis recte dispertiat, & reproborum exempla fugiens, modeste omnia agat.

QVare tu, mi fili, convalesce beneficio in Christo IESU posito:

2 Et quæ ex me multis testibus audivisti, ea exponito fidis hominibus, qui sint ad alios etiam docendos idonei.

1. Tim. 3, 2. &c. Tit. 1, 5. &c.

3 Tu ergo adversa patere, ut bonus Iesu Christi miles.

2. Tim. 1, 8. & 4, 5.

4 Nemo militans sese vitæ negotiis implicat, ut militiæ duci placeat. 1. Cor. 9, 25.

5 Iam si quis dimicat, non coronatur, nisi legitime dimicaverit.

6 Laborandum agricolæ est prius quam fructum percipiat.

1. Cor. 9, 10.

7 Intellige quæ dico: det vero tibi Dominus industriam in omnibus.

8 Recordare Iesum Christum ex mortuis excitatum, Davidis semine prognatum, ut fert Evangelium meum,

2. Sam. 7, 12. Ps. 132, 11.

9 In quo adversa fero usque ad vincula, tanquam facinorosus: verum divinus sermo vinctus non est.

Eph. 3, 1. 13. & 4, 1.

10 Propterea omnia tolero propter electos, ut ipsi quoque positam in Christo Iesu salutem cum gloria consequantur æterna. Col. 1, 24.

11 Certa res est: si simul mortui sumus, simul etiam vivemus.

Rom. 6, 5. &c. & 8, 17.

12 Si toleramus, etiam una regnabimus. Si negamus, ille quoque negabit nos:

Matth. 10, 33. Marc. 8, 38.

13 Si diffidimus, ille fidelis manet, seipsum negare non potest.

Num. 13, 19. Rom. 3, 3. & 9, 6.

14 Hæc commemorato, obtestans in Domini conspectu, non esse verbis pugnandum, quæ res non modo nihil prosit, verum etiam auditores evertat.

1. Tim. 6, 4.

15 Da operam, ut teipsum Deo probes,

15 Da operam, ut teipsum Deo probes, operarium non erubescendum, recte secantem veritatis orationem.

16 Profanas autem verborum futilitates evitato: nam ad multam serpent impietatem,

1. Tim. 1,4. & 4,7. & 6, 20.

17 Eorumque sermo gangrenæ ritu corrodet: quorum est Hymenæus & Philetus,

1. Tim. 1, 20.

18 Qui a veritate aberrarunt, dicentes resurrectionem jam fuisse, & nonnullorum fidem evertunt. 1. Tim. 6, 21.

19 Atqui firmum Dei fundamentum stat, hoc habens sigillum: Novit Dominus qui sint sui: Itaque recedat ab injustitia, quisquis nominat Christi nomen.

Ioh. 10, 14.

20 In magna autem domo non sunt solum aurea argenteaque vasa, verum etiam lignea & testacea, & alia ad res honestas, alia ad inhonestas.

Rom. 9, 21.

21 Proinde si quis seipsum ab his expurgaverit, vas erit ad honestatem sacratum, hero utile, ad omne bonum opus paratum.

2. Tim. 3, 17.

22 Iuveniles cupiditates fuge: justitiam, fidem, charitatem, pacem una cum iis, qui Dominum sincero animo invocant, persequere. 1. Cor. 1, 2.

23 Stultas & indoctas quæstiones declina, quippe quæ (ut scis) pugnas gignant: 1. Tim. 1, 4. & 4,7. & 6, 4. Tit. 3,9

24 Cum Domini servus pugnare non debeat, sed erga omnes mitis esse, ad docendum accommodatus, injuriæ patiens,

1. Tim. 3, 2. Tit. 1, 9.

25 Cum mansuetudine erudiens dissentientes, si forte Deo eos ad frugem revocante, verum agnoscant, Act. 8, 22,

26 Ad seque redeant: & Diaboli laqueum evadant, a quo capti ejus arbitrio tenentur.

CAP. III.

Prædicit quam infesta piis tempora immineant; sed fiducia victoriæ animat eum ad certamen: exercitationem sanæ doctrinæ inprimis commendans.

ILLud autem scito, extremo ævo difficilia fore tempora.

1. Tim. 4, 1. 2. Petr. 2, 1. & 3, 3. Iudæ v. 18.

2 Erunt enim homines sui amantes, avari, arrogantes, superbi, maledici, in parentes contumaces, ingrati, irreligiosi,

3 Inhumani, fœdifragi, calumniatores, intemperantes, immites, virtutis inimici,

4 Proditores, temerarii, inflati, L. cæci & G. voluptatis magis quam Dei amantes,

5 Pietatis speciem habentes, sed qui ejus vim abnegaverint. Hos tu aversare. Matt. 7, 15. & 18, 17. Rom. 16, 17.

6 Ex his autem sunt, qui in domos sese insinuant, captivasq; reddunt mulierculas, quæ peccatis coopertæ, & variis cupiditatibus actæ,

Matth. 23, 14.

7 Semper discunt, & nunquam ad veri cognitionem pervenire possunt.

8 Ac quomodo Iannes & Iambres

bres Mosi restiterunt, ita hi veritati resistunt : homines mente corrupti circa fidem improbati.
Exod. 7, 11. 1. Tim. 6, 5. Tit. 1, 16.

9 Verum non procedent longius : nam eorum dementia erit omnibus perspicua, ut illorum fuit.

10 Tu vero assectatus es meam doctrinam, mores, propositum, fidem, clementiam, charitatem, patientiam,
1. Tim. 4, 6.

11 Vexationes, res adversas: qualia mihi contigerunt Antiochiæ, Iconii, Lystris : quales vexationes sustinui: ex quibus omnibus me vindicavit Dominus.
Ps. 34, 20. Act. 13, 50. & 14, 2. & 19, 22.

12 Et vero omnes, qui volent in Christo Iesu pie vivere, infestabuntur. Matth. 16, 24.

13 Cum interea mali homines & impostores pergent in deterius, & fallent & fallentur.

14 Tu vero in eis persevera quæ didicisti, & per quæ fidens factus es, cum & scias a quo didiceris, 2. Tim. 2, 2.

15 Et a puero sacras literas noveris, quæ te possunt erudire ad salutem per fidem Iesu Christo habendam.

16 Omne scriptum divinitus inspiratum est, & utile ad doctrinam, ad reprehensionem, ad correctionem, ad justitiæ disciplinam,
Rom. 15, 4. 2. Petr. 1, 19. 20.

17 Ut compositus sit divinus homo, ad omne recte factum comparatus.

CAP. IV.

Obtestatur eum ut maxime Evangelium prædicet in tam deplorato tempore. Sibi in propinquo esse mortem, sed ita ut quasi victor ad gloriosum triumphum properet. Tandem accersendi Timothei necessitatem ex præsenti suo statu ostendit.

ITaque obtestor ego in Dei conspectu, & Domini Iesu Christi, qui adventu regnoque suo & vivos & mortuus judicaturus est.
Rom. 1, 9. & 9, 1.

2 Publica doctrinam, insta opportune, importune : argue, increpa, cohortare summa cum clementia, ac doctrina.

3 Erit enim tempus cum sanam doctrinam non ferent homines, sed ad suas libidines sibi magistros cumulabunt,

4 Auribusque prurientibus & a vero aversis, ad fabulas se convertent. 1. Tim. 1, 4. & 4, 7.

5 Tu vero in omnibus esto sobrius; mala patere: Evangelistæ officio fungere : tuo munere perfungere. Act. 21, 8. Eph. 4, 11.

6 Nam ego jam jam immolandus sum, discessusque mei tempus instat. Phil. 1, 23. & 2, 17.

7 Præclarum certamen certavi : cursum absolvi: fidem servavi :
1. Cor. 9, 24. 25. Phil. 3, 14.

8 Quod superest, reservatur mihi justitiæ corona, quam mihi Dominus reddet in illa die justus judex : neque solum mihi, sed etiam omnibus qui ejus adventum amaverint. 1. Cor. 9, 25.

9 Da operam ut ad me brevi venias.

10 Demas

10 Demas enim me, vitæ præsentis amore, dereliquit, & Thessalonicam profectus est: Crescens in Galatiam: Titus in Dalmatiam: Col. 4, 9. 14.

11 Lucas solus est mecum. Marcum assumptum tecum adducito: est enim mihi utilis ad ministerium. Act. 15, 37.

12 Tychicum legavi Ephesum. Act. 20, 4. Eph. 6, 21.

13 Penulam, quam in Troade apud Carpum reliqui, cum venies afferto, & libros, maxime membranas.

14 Alexander faber ferrarius multis me malis affecit: reddat ei Dominus digna ejus factis præmia. 1. Tim. 1, 20.

15 Eum tu quoque caveto: nam magnopere restitit nostris verbis.

16 In prima mea causæ dictione nemo mihi adfuit, sed omnes me deseruerunt: id quod ne eis imputetur precor:

17 At Dominus mihi adfuit, meque corroboravit, ut per me peragatur præconium, audiantque gentes omnes, atque ita liberatus sum ex leonis ore,

18 Meque liberabit ab omni mala re, & ad cœleste suum regnum conservabit Dominus, cui gloria in perpetua secula. Amen.

19 Saluta Priscam, & Aquilam, & Onesiphori familiam. Act. 18, 2. Rom. 16, 3.

20 Erastus mansit Corinthi: Trophimum reliqui Mileti ægrotantem. Act. 19, 22. & 20, 4. & 21, 29.

21 Cura ut ante hyemem venias. Salutat te Eubulus, & Pudens, & Linus, & Claudia; denique fratres omnes.

22 Dominus Iesus Christus adsit animo tuo. Adsit vobis favor. Amen.

Scripta est Roma ad Timotheum secunda, cum se Paulus iterum stitisset Cæsari Neroni.

PAULI APOSTOLI
EPISTOLA AD TITUM.
CAP. I.

Docet quales oporteat ministros eligere, simul ostendit quomodo vaniloquis os obturare oportet. Hac occasione perstringit Cretensium mores, ac Iudæos qui in rebus externis sanctitatem locabant.

PAulus Dei servus & Iesu Christi Apostolus, quod attinet ad fidem electorũ Dei, & veritatis cognitionem, 1. Tim. 3, 16. & 6, 3.

2 Quæ in religione cum spe vitæ sempiternæ conjuncta sita est, quam Deus, qui nunquam mentitur, ante æterna tempora promiserat, Num. 23, 19. Rom. 1, 2. & 16, 25.

3 Et suis temporibus exhibuit, videlicet suum sermonem præconio promulgandum, quod præconium mihi servatoris nostri Dei mandato commissum est. Act. 20, 24. 2. Cor. 2, 12. &c.

4 Tito germano, quod ad communem fidem attinet, filio, gratiam, misericordiam, pacem a Deo Patre, & Domino Iesu Christo servatore nostro. Eph. 1, 2. Col. 1, 2. 1. Tim. 1, 2.

5 Ego te idcirco in Creta reliqui, ut reliqua componas, & oppidatim seniores constituas, ut ego tibi præcepi:

6 Si quis est inculpatus, unius uxoris vir, liberos habens fidentes, non luxu infames aut contumaces. 1. Tim. 3, 2.

7 Decet enim Episcopum inculpatum esse, ut Dei dispensatorem, non audacem, non iracundum, non vinolentum, non percussorem, non avarum:

Lev. 10, 9. Matth. 24, 45. 1. Cor. 4, 1.

8 Sed hospitalem, virtutis amantem, frugi, justum, pium, temperantem: 1. Tim. 3, 2.

9 Fidi sermonis, qui in docendo adhibetur, defensorem, quo possit & sana doctrina cohortari, & contradicentes refellere. 1. Tim. 1, 10. & 6, 3.

10 Sunt enim multi refractarii, & vaniloqui, , atque vafri, præsertim circumcisi, quos refutare oportet: Act. 5, 1. 1. Tim. 1, 6.

11 Qui totas domos evertunt, docentes illicita, turpis lucri causa.

Matt. 23, 23. 1. Tim. 6, 5.

12 Dixit eorum quidam propriusipsorum vates: Cres semper mendax, mala bestia, venter iners est.

13 Hoc testimonium verum est: Quamobrem argue eos severe, ut sint in fide sani,

14 Non addicti Iudaicis fabulis, hominumque præceptis, veritatem aversantium.

Esa. 29, 13. Matth. 15, 9.

15 Puris quidem pura sunt omnia, sed pollutis & infidelibus, nihil purum: quin polluta est eorum & mens & conscientia.

Matth. 15, 11. Luc. 11, 39. 41. Rom. 14, 20.

16 Deum se scire profitentur, & eundem factis negant, nefarii, & contumaces, & ad omnem rem bonam inepti. 2. Tim. 3, 5.

CAP. II.

Personarum & ætatum præscribens officia, jubet ut de moribus doceat Ecclesiam, & a fine redemtionis argumentatur, quem dicit esse studium pie & recte vivendi.

TU vero loquere quæ sanam deceant doctrinam.

2 Senes ut sint sobrii, graves, frugi: fide, charitate, & patientia sani.

3 Anus item habitu augustæ, non calumniatrices, non nimis emancipatæ vino, bene institutæ,

1. Tim. 2, 9. & 5, 13. 1. Pet. 3, 3.

4 Ut juvenes fœminas doceant suorum virorum & liberorũ amantes esse,

5 Frugi, castas, domi manentes, bonas, suis viris obedientes, ne divina doctrina male audiat.

Gen. 3, 16. 1. Cor. 14, 34. Eph. 5, 22.

6 Iuniores item exhortare ut sint frugi:

7 In cunctis teipsum recte factorum exemplum præstans, in doctrina integritatem, gravitatem, 1. Tim. 4, 12.

8 Orationem sanam, & quæ damnari nequeat, ut adversarii moveantur, nihil habentes de vobis dicere vitiosum.

1. Tim. 5, 14.

9 Servi suis heris pareant, in omnibus obsequiosi, non respon-

responsatores, non furaces, Eph. 6, 5. Col. 3, 22. Tit. 2, 9. 1. Petr. 2, 18.

10 Sed summam fidem bene præstantes, quo Servatoris nostri Dei doctrinam cohonestent in omnibus.

11 Extitit enim divina beneficentia cunctis hominibus salutaris, 1. Tim. 2, 4.

12 Quæ nos erudiat, ut impietati, mundanisque cupiditatibus valedicto, frugaliter, & justè, pieque vivamus in hoc seculo, Eph. 1, 4. Col. 1, 22.

13 Expectantes speratam beatitudinem, adventumque gloriosum magni Dei & servatoris nostri Iesu Christi, 1. Cor. 1, 7.

14 Qui seipsum pro nobis dedit, quo nos ab omni scelere vendicaret, & sibi peculiarem populum purgaret, recte factorum cupidum. Exod. 19, 5. Ephes. 2, 10. & 5, 2.

15 Hæc loquere, & exhortare, & argue summa cum auctoritate, ita ut nemo te contemnat. 1. Cor. 16, 11. 1. Tim. 4, 12.

CAP. III.

Generaliter nunc vult omnes moneri ut placide colant ordinē politicum & memores sint vitæ pristinæ, ut justificationem omnem ex gratia esse existiment. Quod si quis contentiosus his reclamet, illum jubet omitti.

EOs commonefacito ut Magistratibus & Potestatib9 pareant & imperata faciant: ad omne recte factum parati sint: Rom. 13, 1. &c. 1. Pet. 2, 13.

2 Nemini maledicant: ne sint contentiosi, sed æquanimes, summam erga omnes comitatem exerentes. Phil. 4, 5.

3 Fuimus enim aliquando nos quoque dementes, contumaces, errantes, variis servientes cupiditatibus & voluptatibus, in pravitate invidiaque degentes, odiosi, alii aliis infensi. 1. Cor. 6, 11. Eph. 2, 1. &c. & 5, 8.

4 Sed postquam benignitas & humanitas extitit servatoris nostri Dei, Tit. 2, 11.

5 Non ob justitiæ opera, quæ fecerimus nos, sed pro sua misericordia servavit nos, lavacro renascentiæ, renovationisque Spiritus Sancti, Joh. 3, 3. 5. Act. 15, 11. Rom. 3, 20. 28. & 4, 2. 6. & 9, 11. & 11, 6.

6 Quo nos large perfudit per Iesum Christum Servatorem nostrum, Ezech. 36, 25. Ioel. 2, 28. Act. 2, 33. Rom. 5, 5.

7 Ut ejus beneficio justi facti fiamus hæredes vitæ, quæ speratur, æternæ. Rom. 8, 23. 24.

8 Certa res est: Hæc te asseverare volo, quo curent recte factis fungi, qui Deo confidunt. Hæc sunt præclara, & hominibus utilia.

9 Stultis autem quæstionibus, & antiquitatibus, & litibus pugnisque legalibus supersedeto: sunt enim inutiles atque futiles, 1. Tim. 1, 4. & 4, 7. & 6, 20. 2. Tim. 2, 23.

10 Hæreticum hominem post unam atque alteram admonitionem declinato, Matt. 18, 17. Rom. 16, 17.

11 Sciens eum perversum esse, & ita peccare, ut ipse a seipso damnetur.

12 Cum ad te Artemam aut Tychicum misero, cura ut ad me venias Nicopolim : illic enim hyemare statui.

Act. 20. 4. Eph. 6, 21. Col. 4, 6.

13 Zenam legisperitum, & Apollo sedulo deducito, ne quid eis desit. Act. 18, 24. 1. Cor. 1, 12.

14 Discant & nostri recte facta obire, ad usus necessarios, ne sint infructuosi.

15 Salutant te mei comites omnes. Saluta eos, qui nos amant in fide. Adsit vobis omnibus favor. Amen.

Scripta Nicopoli Macedoniæ.

PAULI APOSTOLI EPISTOLA AD PHILEMONEM.

Paulus argumentum humile hic tractans, suo tamen more sublimis ad Deum evehitur. Fugitivum servum & furem Philemoni remittens, pro illo deprecatur veniam & graviter de æquitate Christiana deprecatur.

PAulus Iesu Christi vinctus & Timotheus frater, Philemoni charo amico, adjutorique nostro,

Eph. 3, 1. & 4, 1. 2. Tim. 1, 8.

2 Et Appiæ charissimæ & Archippo commilitoni nostro & Ecclesiæ domus tuæ,

Rom. 16, 5. 1. Cor. 16, 19.

3 Gratiam & Pacem a Deo Patre nostro, & Domino Iesu Christo.

4 Ago Deo meo gratias, semper tui mentionem faciens in meis supplicationibus,

1. Thess. 1, 2. 2. Thess. 1, 3.

5 Audiens qua charitate & fide præditus sis tum in Dominum Iesum, tum erga sanctos omnes,

Eph. 1, 15. Col. 1, 4.

6 Quo ista liberalitate tuæ in Christo Iesu collocatæ fidei fiat, ut intelligatur quantum sit in vobis boni,

7 Magna quidem lætitia & consolatione afficimur ex charitate tua, quod sanctorum animi per te, frater, recreati sint.

8 Proinde cum magnam in Christo autoritatem habeam imperandi tibi officium, 1. Thes. 2, 6.

9 Propter charitatem potius rogo, talis ego, hoc est Paulus senex : & nunc etiam Iesu Christi vinctus.

10 Te, inquam, rogo de meo filio, quem in meis vinculis genui, Onesimo, 1. Cor. 4, 15.

Gal. 4, 19. Col. 4, 9.

11 Eo qui tibi aliquando fuit inutilis, nunc & tibi & mihi utilis, quem dimisi.

12 Tu vero eum, hoc est mihi intimum recipe :

13 Quem ego volebam apud me retinere, ut mihi tua vice ministraret in Evangelii vinculis :

14 Sed injussu tuo nihil volui facere, ut non coactum, sed volũtarium esset tuum beneficium.

2. Cor. 9, 7.

15 Fortassis enim ideo ad tempo abfuit, ut eum reciperes æternũ,

16 Non jam ut servum, sed plus quam servum, fratem etiam mihi

mihi chariſſimum, nedum tibi & carnis, & Dominicæ religionis nomine.

17 Quare ſi me ſocium habes, accipe ut me.

18 Quod ſi quid te læſit, aut tibi debet, tu mihi imputato.

19 Ego Paulus ſcripſi mea manu, ego diſſolvam: ut interim illud tibi non dicam, quod tu mihi etiam teipſum debes.

20 Age frater, gratificare mihi per Dominum, recrea meum animum per Dominum.

21 Fretus obedientia tua ſcripſi tibi: ſciens te plus etiam quam peto, facturum. 2. Cor. 7, 16.

22 Præterea para mihi hoſpitium. Spero enim fore, ut vobis per veſtras preces condoner.

2. Cor. 1, 11. Phil. 1, 25. & 2, 24.

23 Salutant te Epaphras, meæ in Chriſto Ieſu captivitatis comes; Col. 1, 7. & 4, 12.

24 Et Marcus, Ariſtarchus, Demas, Lucas, Collegæ mei.

Act. 12, 12. 25. &c.

25 Domini noſtri Ieſu Chriſti favor adſit animis veſtris. Amen. Col. 4, 10. 14. 2. Tim. 4, 10. 11. 1. Petr. 5, 13.

Miſſa eſt Roma, per Oneſimum ſervum.

IACOBI APOSTOLI EPISTOLA.

CAP. I.

Diſſerit de patientia, de fide, de animi modeſtia ad dibites. Deinde oſtendit tentationes ad malum, non ex Deo eſſe, cum omnis boni autor ſit. Qualiter recipiendus ſit ſermo vitæ.

JAcobus Dei & Domini Ieſu Chriſti ſervus, duodecim tribubus ultro citroque diſperſis, ſalutem.

Ioh. 7, 35. Act. 8, 1. 4.

2 Summopere gaudendum exiſtimate, fratres mei, cum in varias incidiſtis periclitationes,

Matth. 5, 11. 12. Act. 5, 41.

3 Intelligentes fidei veſtræ exploratione patientiam gigni.

Rom. 5, 3. 1. Petr. 1, 7.

4 Patientia autem perfectam actionem habeat, ut perfecti integrique nulla re careatis.

5 Quod ſi quis veſtrum ſapientia caret, poſtulet a Deo, qui omnibus plane donat, nec exprobrat: & ei donabitur.

Prov. 2, 3. Ier. 29, 12. Matt. 7, 7. & 21, 21.

6 Poſtulet autem cum fiducia, nihil dubitans. Qui enim dubitat, ſimilis eſt fluctui maris, ventis acto & excito.

7 Neque vero ſe putet is homo quicquam a Domino impetraturum,

8 Homo duplicis animi, in omnibus ſuis actionibus inconſtans.

9 Glorietur autem frater humilis in ſublimitate ſua,

10 Et dives in humilitate ſua: nam ut herbæ flos, ſic peribit.

Iob. 14, 2. Pſ. 90, 6. & 103, 15. Eſ. 40, 6. 7.

11 Ut enim exortus cum ardore Sol herbam arefacit, ejusque & flos decidit, & decora species interit: ita dives cum suis copiis marcescet.

12 Felix homo qui tentationem sustinet: approbatus enim vitæ coronam accipiet, quam promisit Dominus suis amatoribus. Iob. 5,17. Prov. 3,11. Matt. 10,22. & 19, 28. 29. 2. Tim. 4, 8.

13 Nemo dum tentatur, dicat a Deo tentari se: Deus enim nec malis unquam tentatur, nec tentat ipse quenquam.

14 Sed a sua quisque cupiditate allectus ac inescatus, tentatur.

15 Deinde cupiditas conceptum parit peccatum: peccatum porro perpetratum gignit mortem.

16 Nolite errare, mei fratres charissimi:

17 Omne bonum donum, omneque perfectum munus superne est, descendens a patre luminum, apud quem nulla est mutatio, aut ulla conversionis umbra.

Prov. 2, 6. Es. 14, 27. & 46, 10.

18 Is consulto nos genuit veritatis oratione, ut essemus quædam quasi primitiæ suorum operum. Ioh. 1, 13. & 3, 3.

19 Proinde, mei fratres charissimi, esto omnis homo ad audiendum celer, ad loquendum tardus, ad iram tardus.

Prov. 17, 27. Eccl. 5, 1. 2.

20 Nam hominis ira divinæ justitiæ non paret. Eccl. 7, 10.

21 Quamobrem, fratres, omnibus vitiorum sordibus excrementisque depositis, comiter accipite sacrum sermonem, qui vestras animas servare potest.

Rom. 13, 12. Col. 3, 8.

22 Este autem ii qui sermoni pareatis, non eum duntaxat audiatis: alioquin vos ipsos decipitis. Matt. 7, 21. Luc. 11, 28.

23 Nam si quis sermonem audit, nec exequitur, is perinde est ac si quis corporis sui faciem contempletur in speculo,

Luc. 6, 47.

24 Deinde speculatus abeat, ac protinus qualis sit obliviscatur.

25 Qui vero in perfectam libertatis Legem penitus introspexerit, & in ea manserit, is, qui non sit obliviosus auditor, sed operis effector, suo facto beatus erit. Matt. 5, 19. Ioh. 13, 17.

26 Si quis sibi videtur esse religiosus apud vos, neque tamen linguam suam frenat, sed animum suum fallit, hujus vana est religio. Ps. 34, 14. Iac. 3, 6.

27 Religio pura & impolluta apud Deum & Patrem hæc est: curam gerere pupillorum, & viduarum in eorum calamitate, & intaminatum se custodire a mundo.

CAP. II.

Personarum acceptiones discrepare dicit a Christi fide, quam non satis est verbis profiteri, nisi & operibus misericordiæ & charitatis præstemus eãdem, Abrahæ exẽplo.

FRatres mei, nolite ita fidẽ habere in glorioso Domino nostro Iesu Christo collocatam, ut personarum habeatis rationem. Lev. 19, 15. Deut. 1, 17. & 16, 18. 2. Par. 19, 6. Prov. 24, 23. Eccl. 42, 2. Ioh. 7, 24.

2 Nam

2 Nam si quis aureos gestans annulos, in veste splendida in vestrum conventum ingrediatur, eodemque etiam pauper in obsoleta veste:

3 Et vos in eum, qui vestem gestat splendidam, intueamini, eique dicatis: Tu sede hic pulchre. Pauperi autem dicatis: Tu isthic sta, aut hic sub meo subsellio sede:

4 Nonne discrimen apud vos fecistis, & male cogitantes judices fuistis?

5 Audite, mei fratres charissimi: Nonne Deus elegit hujus mundi pauperes, fide divites, hæredesque regni, quod suis promisit amatoribus?

Exod. 20, 6. 1. Sam. 2, 30.

6 Et vos pauperem despicatui habetis? Nonne divites vobis imperant, & iidem vos in jus trahunt? 1. Cor. 11, 22.

7 Nonne iidem pulchro nomini maledicunt, a quo vos nuncupamini?

8 Si quidem Legi paretis regiæ, quæ sic literis est prodita: Alterum ut teipsum diligito; recte facitis.

Lev. 19, 18. Matth. 22, 35.

9 Sin personis indulgetis, peccatum committitis, & a Lege, ut qui contra eam faciatis, arguimini. Lev. 19, 15.

Deut. 1, 17. & 16, 19.

10 Qui enim, quamvis alioquin totam Legem observet, tamen in uno delinquit, is omnibus tenetur.

Deut. 27, 26.

11 Nam qui dixit: Ne adulterato; idem dixit: Ne occidito. Quod si non adulteras, sed occidis, contra Legem committis.

Exod. 20, 3. 14. Deut. 5, 17.

12 Sic loquimini, & sic agite, ut libertatis Lege judicandi.

Iac. 1, 25.

13 Nam judicium erit inclemens in eum, qui pietatem non exercuerit: at pietas judicio insultat. Matth. 6, 15. & 18, 35. & 25, 41. 42.

14 Quæ est utilitas, mei fratres, si quis se fidem habere dicat, & opera non habeat? Num potest eum servare fides?

Matth. 7, 26.

15 Si frater aut soror nudi sint, quotidianoque alimento destituti,

Luc. 3, 11. 1. Ioh. 3, 17.

16 Et eos vestrum aliquis bona cum pace abire, calefierique, & satiari jubeat: nec eis detis quæ corpus requirit, quid prodest.

17 Ita fides ejusmodi per se est, ut si opera non habeat, mortua sit.

18 Itaque dicet aliquis: Tu fidem habes, ego opera habeo: ostende mihi tuam fidem sine tuis operibus, ego tibi ex meis operibus fidem meam ostendam.

19 Tu Deum unum esse credis; Recte facis: & dæmones credunt, atque horrent. Marc. 1, 24.

20 Vis autem intelligere, o homo vane, fidem sine operibus mortuam esse?

21 Abrahamus parens ille noster nonne operibus factus est justus, Isaaco filio suo in ara libando?

Gen. 22, 9. 12.

22 Vides, ut fides ejus opera adjuvaret, utque operibus fides perfecta sit. Heb. 11, 17.

23 Atque ita comprobatum est scriptum illud, quod sic se habet: Credidit Abrahamus Deo, idque ei justitiæ ductum est, & DEI amicus est appellatus.

Gen. 15, 6. 2. Chron. 20, 7.

24 Videtis ergo, operibus justum reddi hominem, non solum fide.

25 Itidem Rachaba meretrix, nonne operibus justificata est, admissis nunciis, & alia via emissis?

Ios. 2, 1. & 6, 23. Heb. 11, 31.

26 Ut enim corpus absque spiritu mortuum est, ita fides sine operibus mortua est.

CAP. III.

Ut doceat linguam Christiano esse coercendam fidei & charitatis sanctæ repagulis, commoda & incommoda quæ ab ea proveniunt ostendit, & quid humana sapientia a cœlesti distet.

NOlite multi esse magistri, fratres mei, scientes nos esse graviores pœnas daturos.

Matth. 7, 1. & 23, 8.

2 Multa enim delinquimus omnes: si quis in verbis non delinquit, is perfectus homo est, qui possit etiam totum frenare corpus. Eccl. 7, 21. Ps. 34, 14.

3 Frænos quidem equorum oribus adhibemus, ut nobis pareant, eorumque totum corpus agimus. Ps. 32, 9.

4 Itemque tantæ naves, tam vehementibus impulsæ ventis, tantulo gubernaculo, quocunque vult gubernatoris impetus, aguntur.

5 Sic & lingua, quæ parvum membrum est, magnas vires habet. En quantulus ignis quantam materiam incendit?

Ps. 12, 4. 5. & 73, 8. 9.

6 Et lingva ignis est, scelerum mundus. Sic se habet in nostris membris lingua, totum corpus contaminans, & ævi cursum inflammans, & ipsa gehenna inflammanda.

Matth. 15, 11. 18. 19.

7 Omnis enim & ferarum natura, & volucrum, serpentumque, & aquatilium, humano ingenio domatur, domitaque est:

8 At lingvam nemo potest hominum domare, effrænatum malum, mortifero refertam veneno.

9 Ea Deum & Patrem collaudamus, eadem homines execramur, ad Dei similitudinem factos:

Gen. 1, 27, & 9, 6.

10 Prodeunte ex eodem ore laudatione & execratione. Non decet, mei fratres, hæc ita fieri.

11 Num fons ex eodem foramine dulci aqua manat & amara?

12 Potest-ne mei fratres, aut ficus oleas, aut vitis ficus edere? Sic nullus fons & salsam & dulcem aquam emittere.

13 Qui in vobis sapiens est & intelligens, ostendat bonis moribus sua opera, cum sapientiæ mansuetudine. Eph. 5, 8.

14 Quod si amaram invidiam & simultatem habetis in animo, nolite contra verum jactare vos, atque mentiri. Rom. 13, 13.

15 Non ea est ista sapientia, quæ superne proficiscatur: sed ter-

terrestris, humana, dæmoniaca. 1. Cor. 2, 6. 7.

16 Ubi enim invidia est & simultas, ibi est inconstantia. omnisque vitiosa res. 1. Cor. 3, 3.

17 At superne oriens sapientia, primum casta est, deinde pacifica, æqua, obsequiosa, pietate bonisque referta fructibus, severa, & minime simulatrix.

18 Fructus vero justitiæ in pace seritur, colentibus pacem.

CAP. IV.

Enumerat incommoda quæ ex carnis operibus proveniunt. Animi submissionem subjungit & repurgationem, a superba detractione, & ab oblivione propriæ infirmitatis.

UNde apud vos bella & pugnæ? nonne hinc, ex vestris libidinibus, quæ militant in vestris membris? Rom. 7, 23. 1. Pet. 2, 11.

2 Concupiscitis, nec obtinetis: invidetis & æmulamini, nec assequi potestis: pugnatis & belligeratis: non obtinetis, quoniam non postulatis.

3 Postulatis & non adipiscimini; quia male postulatis, ut in vestras impendatis libidines. Iob. 27, 9. & 35, 11.

4 O degeneres & viri & fœminæ: nescitis mundi amicitiam Dei esse inimicitias? Qui vult amicus esse mundi, inimicus efficitur Dei. Ioh. 15, 19. & 17, 14.

5 An putatis illud inaniter esse literis proditum? Scilicet ad invidiam propensus est is qui in vos habitat spiritus? Gen. 6, 5. & 8, 21.

6 At majus confert beneficium. Itaque Deus, inquit ille, & superbis adversatur, & modestorum fautor est. Iob. 22, 29. Prov. 3, 34. 1. Pet. 5, 5.

7 Quamobrem parete Deo, resistite diabolo, & is vos fugiet: Eph. 4, 27. 1. Pet. 5, 9.

8 Accedite Deum, & accedet vos. Purgate manus, o improbi, & animos lustrate: Es. 1, 15. Iac. 1, 8.

9 Qui estis animo duplici afflictate vos, & lugete ac plorate. Risus vester in luctum convertatur, & gaudium in mœrorem. Matth. 5, 4.

10 Summittite vos Domino, & vos evehet. 1. Pet. 5, 6. Iob. 22, 29.

11 Fratres, nolite alius alii detrahere: Qui fratri detrahit, fratremque suum damnat, legi detrahit, legemq; damnat. Quod si legem damnas, non legis executor es, sed condemnator. Matth. 7, 1.

12 Unus est legislator (atque judex) qui & servare potest & perdere. Tu vero quis es, qui alterum damnas? Rom. 14, 4.

13 Age jam qui dicitis: Hodie aut cras proficiscemur in illam urbem, & illic unum annum agemus, & mercabimur, & lucrabimur: Prov. 27, 1.

14 Cum nesciatis quid sit cras futurum. Qualis enim est vita vestra? Vapor est qui paulisper extat, deinde evanescit. Es. 40, 6. Inf. 1, 10. 1. Cor. 7, 31.

15 Cum dicere debeatis: si volet Dominus, & si vivemus, hoc aut illud faciemus. Act. 18, 21. 1. Cor. 4, 19.

16 Nunc in vestris insolentiis vos jactatis. Omnis ejusmodi jactantia prava est. 1. Cor. 5, 6.

17 Er-

17 Ergo qui recte facere novit, neque facit, is in vitio est.
Luc. 12, 47.

CAP. V.

Divini judicii severitatem divitibus denunciat, enumerata eorum superbia, ut pauperes audientes divitum infelicem exitum, æquo animo afflictiones, ut Iob, etiam cum infirmantur, ferant.

IAm vero, o divites, plorate, ejulantes ob vestras miserias vobis eventuras.
Prov. 11, 28. Am. 6, 1.

2 Divitiæ vestræ putruerunt: vestimenta vestra a tineis erosa sunt: Matth. 6, 19. seq.

3 Aurum & argentum æruginosum eorumque ærugo contra vos testimonium dicet, vestrasque carnes ignis in morem consumet, L. Pœnam G. vobis congessistis in ultimum tempus.
Rom. 2, 5.

4 Merces ipsa mercenariorum qui vestros messuerunt agros, a vobis retenta, quiritatur, messorumque querelæ in Domini armipotentis aures penetrarunt.
Lev. 19, 13. Deut. 24, 14.

5 Luxuriastis ac lasciviistis in terris: genio indulsistis, tanquam ad lanienæ diem.
Iob. 21, 13. Luc. 16, 19. 25.

6 Condemnastis, occidistis insontes, vobis non resistentes.

7 Quamobrem durate, fratres, usque ad Domini adventum. Ipse agricola expectat eximium terræ fructum, & quidem in eo durat, dum primorem serotinamque pluviam accipiat. Deut. 11, 14.

8 Durate vos quoque, roborate vestros animos: nam Domini adventus instat.

9 Nolite alius adversus alium gemere, fratres, ne damnemini. En judex pro foribus adest.
Matth. 24, 33.

10 Exemplum capite, fratres mei, tolerantiæ ac patientiæ, de vatibus, qui Domini nomine locuti sunt. Matth. 5, 12.

11 Equidem beatos judicamus eos qui patiuntur. Iobi patientiam audivistis, & quem ei finem Dominus (quippe misericors & clemens) dederit, vidistis.
Num. 14, 18.

12 In primis autem, mei fratres, ne juratote neque cœlum, neque terram, nec aliud ullum jusjurandum: sed esto ejusmodi sermo vester, ut etiam sit etiam, & non non, ne in simulationem cadatis.
Matth. 5, 34. 2. Cor. 1, 17. 18.

13 Affligitur vestrum aliquis? supplicet. Lætus est quis? psallat.
Eph. 5, 19.

14 Ægrotat vestrum aliquis? advocet Ecclesiæ seniores, qui eum in Domini nomine ungant oleo, pro eoque supplicent,
Marc. 6, 13. & 16, 18.

15 Et fidei supplicatio laborantem servabit, eumque allevabit Dominus, & si peccata commiserit, ignoscentur ei.

16 Confitemini invicem delicta, & supplicate alius pro alio, ut sanemini. Multum valet efficitque viri boni precatio.

17 Elias homo erat iisdem, quibus nos, obnoxius: & tamen cum precibus petiisset ne plueret, non pluit in terram per annos tres & sex menses. 1. Reg. 17, 1. & 18, 42. 45. Luc. 4, 25.

18 Eodem

18 Eodem rursum precato, & cœlum dedit imbrem, & terra suum fructum germinavit.

19 Fratres, si quis vestrum a vero aberraverit, & eum quispiam revocaverit, Matth. 18, 15.

20 Intelligat, eum, qui sontem ab erroris sui via revocaverit, animam ex morte vindicasse, multitudinemque texisse peccatorum.

Prov. 10, 12. 1. Pet. 4, 8.

PETRI APOSTOLI EPISTOLA PRIMA.

CAP. I.

Magnifice extollit Dei gratiam in Christo, quæ fide recipitur, & spe possidetur: de qua vaticinati sunt prophetæ. Inde deducit exhortationem, ut renunciantes mundo & priori vitæ, se Deo conforment.

PEtrus Iesu Christi Apostolus, sparsim peregrinantibus in Ponto, Galatia, Cappadocia, Asia, & Bithynia,

Ioh. 7, 35. Act. 8, 1. 4. Iac. 1, 1.

2 Dei Patris præscito electis, spirituque lustratis, ut obediant, & Iesu Christi sanguine conspergantur, favorem & pacem plurimam dicit. Rom. 1, 7. & 8, 29. 1. Cor. 1, 3.

3 Gratias agimus Deo Patrique Domini nostri Iesu Christi, qui nos pro sua singulari misericordia, Christum ex mortuis suscitando regenuit in vividam spem,

Ioh. 3, 3. 5. Rom. 6, 23.

4 Ad immortalem, impollutam, & invietam hæreditatem vobis in cœlis repositam,

Col. 1, 5. 2. Tim. 1, 12.

5 Qui divina potentia per fidem custodimini ad salutem ultimo tempore exhibendam.

6 Ac in eo sane exultatis, paululum modo (si est opus) variis tentationibus vexati,

Heb. 10, 37. Iac. 1, 2.

7 Ut explorata vestra fides, auro (quod perit, & igne exploratur) longe preciosior inveniatur, ad laudem & gloriam & honorem tum futurum, cum existet Iesus Christus,

Prov. 17, 3. Es. 48, 10.

8 Quem vos non visum amatis: de quo jam, non eum videntes, sed ei confidentes, incredibili & gloriosa lætitia gestitis,

Ioh. 20, 19. Heb. 11, 1. 27.

9 Reportaturi fidei vestræ finem, salutem animorum.

10 Quam salutem exquisiverunt ac perscrutati sunt vates, qui de conferendo in vos beneficio vaticinati sunt,

Gen. 49, 10. Dan. 2, 44. & 9, 24.

11 Scrutantes quodnam aut quale tempus indicaret Christi spiritus, quo erant præditi, præsignificans & Christi supplicia, & deinde secuturam gloriam.

Ps. 22, 7. Es. 53, 3. &c.

12 Quibus demonstratum est non ipsos sibi, sed vobis ea administrare, quæ nunc vobis nunciata sunt, per eos qui vos in Evangelio instituerunt, per Spiritum Sanctum de cœlo missum, quæ capiunt ipsi Angeli prospicere. Dan. 12, 9. 13. Act. 2, 4.

13 Quam-

13 Quamobrem succinctis mentis vestræ lateribus, sobrii perfecte sperate afferendum vobis adventu Iesu Christi beneficium, Luc. 12, 35. & 21, 34.

14 Ut obedientes filii, non vos superioribus ignorantiæ vestræ cupiditatibus accommodantes: Act. 17, 30.

15 Sed quemadmodum qui vos vocavit, sanctus est, ita vos quoque sanctos vos in omni vita præbentes.

Luc. 1, 74. 75. 2. Cor. 7, 1.

16 Quandoquidem scriptum est: Sancti estote, nam ego sum sanctus.

Luc. 11, 44. & 19, 2. & 20, 7.

17 Quod si Patrem invocatis eum, qui severissime ex cujusque facto judicat, vestræ peregrinationis tempus religiose transigite, Deut. 10, 17. 2. Par. 19, 7.

18 Scientes non vos caducis rebus, argento aut auro, ex vanis istis patriis moribus esse liberatos,

19 Sed Christi pretioso sangvine, sicut integri vitioque carentis agni, 1. Cor. 6, 20. & 7, 23.

20 Præcogniti ante orbem conditum: exhibiti autem ultimis temporibus, propter vos,

Act. 2, 24. Rom. 3, 25. & 16, 25.

21 Qui per eum Deo confiditis, qui eum ex mortuis excitavit, & gloria donavit, ut sit vestra fides atque spes in Deo collocata. Act. 2, 33. Phil. 2, 9.

22 Lustrate obediendo veritati vestros animos, per spiritum ad fraternum amorem non fictum: & pura mente inter vos impense amate, Act. 15, 5. Rom. 12, 10.

23 Renati non ex mortali, sed immortali semine, per sermonem viventem Dei, & manentem in sempiternum.

Ioh. 1, 13. & 3, 3. 5. Iac. 1, 18.

24 Nam mortales quidem omnes sunt herbæ similes, omnisque hominis gloria est velut herbæ flos. Aret herba, caditque flos: Eccl. 14, 18. Es. 40, 6.

25 At Domini dictum manet in sempiternum. Est autem hoc dictum illud, quod apud vos est nunciatum.

CAP. II.

Fideles verbo Dei renatos, hortatur ad ducendam vitam, quæ genituræ respondeat: ac ne titubet eorum fides, allegat quid de Christo prædictum fuit. Hortatur deinde, ut obedientiam præstent magistratibus, & patienter adversa ferant Christi exemplo.

ERgo deposito omni vitio, omnique fallacia, & simulationibus, & invidiis & omnibus maledicentiis,

Matth. 18, 3. Rom. 6, 4.

2 Ut recens nati infantes, rationale & alienum a fraude lac appetite, ut eo grandescatis ad salutem:

3 Si modo sensistis Dominum esse benignum, Ps. 34, 9.

4 Ad quem (lapidem vivum, ab hominibus improbatum, Deo lectum & eximium) accedentes,

Ps. 118, 22. Eph. 2, 20.

5 Ipsi quoque ut vivi lapides ædificamini, divina domus, sacrum sacerdotium, ad facienda divina sacrificia Deo per Iesum Christum accepta. Es. 61, 6. & 66, 21. Hos. 14, 2. Mal. 1, 11.

6 Ita-

6 Itaque sic in Literis habetur: Positurus sum in Sione lapidem angularem, lectum, eximium, cui qui confidet, non frustrabitur, Es. 28, 16. Rom. 9, 33.

7 Vobis quidem fidentibus eximius est: at diffidentibus, quem lapidem structores improbarunt, is ad anguli caput adhibitus est, & lapis in quem impingant, & petra in quam illidant, Ps. 118, 22. Es. 8, 14.

8 Qui in sermonem offendunt, & diffidentes, ad quod erant destinati, 1. Cor. 1, 23.

9 At vos genus lectum estis, regale sacerdotium, sancta gens, populus acquisitus, ut virtutes prædicetis ejus, qui vos ex tenebris in suam lucem mirabilem vocavit: Exod. 19, 5. 6. Eph. 1, 14. & 5, 8.

10 Qui aliquando non populus, nunc Dei populus estis: qui misericordiam non consecuti, nunc misericordiam estis consecuti. Hos. 2, 23. Rom. 9, 25.

11 Charissimi, cohortor ut inquilinos, & peregrinos: abstinete vos a corporeis cupiditatibus, quæ contra animum militant, 1. Chron. 29, 15. Ps. 39, 15. & 119, 19.

12 Honeste vos gerentes apud exteros, ut pro eo quod vobis tanquam maleficis detrahunt, recte facta considerantes honorent Deum in die curationis. Matth. 5, 16. Rom. 12, 17.

13 Itaque omnibus parete personis humanis propter Dominum: & Regi ut potestate pollenti: Rom. 13, 1.

14 Et prætoribus, ut ab eo tum ad maleficorum ultionē, tum ad beneficiorū laudationem missis.

15 Nam ea est Dei voluntas, ut recte facientes amentium hominum ignorantiam compescatis, Tit. 2, 8.

16 Ut liberi, non ut vitiorum prætextum habentes libertatem, sed ut Dei servi. Ioh. 8, 32.

17 Omnes honorate: fraternitatem amate: veremini Deum: Regem honorate. Matth. 22, 31.

18 Servi, parete cum omni metu heris, non solum bonis & æquis, verum etiam iniquis. Ephes. 6, 5.

19 Hoc enim gratiam emeretur, si quis, quoniam sibi sit Deī conscius, dolores fert, patiens injuste. Matth. 5, 10. 2. Cor. 7, 10.

20 Nam quæ gloria est, si peccantes cædi vos sustinetis? At si recte facientes toleratis injuriam, hoc vero gratiam meretur apud Deum. 1. Pet. 3, 14. & 4, 14. 15.

21 Ad hoc enim vocati estis, siquidem Christus quoque pro nobis injuriam passus est, nobis præscriptum relinquens, ut ejus vestigia subsequamini: Matth. 16, 24. Phil. 2, 5.

22 Qui peccatum nullum commisit, nec extitit in ejus ore dolus: Es. 53, 9. 1. Ioh. 3, 5.

23 Qui conviciantibus convicia non regerebat, injuriam patiens non minabatur, sed rem juste judicaturo committebat: Matth. 27, 39.

24 Qui peccata nostra ipse suo corpore sustulit in patibulum, ut

ut peccatis defuncti justitiæ vivamus, cujus vibice vos estis sanati. Es. 53, 4. 5. Matth. 8, 17.

25 Eratis enim quasi palantes oves; sed nunc ad pastorem vos & animorum vestrorum curatorem convertistis, Luc. 15, 4.

CAP. III.

Ne mulieres Christianæ viros suos licet Ethnicos contemnat, piarum mulierum exemplum proponit: Addit generales præceptiones, ut æquis animis sustineant perfectiones: & intrepide respondeant de sua fide. Idque auspiciis Christi.

SImiliter uxores, vestris parete viris, ut quibus oratione non persuadetur, ii per uxorum mores absque oratione lucrifiant, Gen. 3, 16. Eph. 5, 22.

2 Vestrorum morum castitatem cum religione conjunctam contemplati.

3 Esto autem vester ornatus non exterior ille in capillorum cincinnis, & auri circumpositu, aut palliorum amictu positus: Es. 3, 18.

4 Sed mentis occultus homo, cum mitis & quieti animi sinceritate, quæ res magni est in Dei conspectu pretii.

Ps. 45, 14. Rom. 2, 29. & 7, 22.

5 Sic enim olim sanctæ illæ fœminæ, in Deo spem habentes, sese comebant, obedientes suis viris,

6 Ut Sara obedivit Abrahamo, Dominum eum appellans: cujus factæ estis filiæ, dum bene facitis, & nullo pavore terremini. Gen. 18, 12.

7 Viri itidem habitate scienter cum uxoribus, muliebri vasi, ut infirmiori, tribuentes honorem, ut multiplicis beneficii, & vitæ cohæredes, ne vestræ preces impediantur.

Eph. 2, 25. &c. Col. 3, 19.

8 In summa, este omnes unanimes, eodem modo affecti fraterno amore, misericordes, affabiles, Rom. 12, 16. & 15, 5.

9 Non malum malo, aut convicium convicio rependentes: sed econtrario fausta precantes: scientes ad hoc vocatos esse vos, ut faustitatem obtineatis.

Lev. 19, 18. Rom. 12, 17.

10 Nam qui vitæ cupidus est, & felicia videre vult tempora, coerceat linguam suam a malitia, & labra sua a loquendo fraudulenter.

Ps. 34, 13. Iac. 1, 26.

11 Declinet malum, & faciat bene: studeat paci, eamque persequatur. Es. 1, 16. 3. Joh. v. 11.

12 Habet enim Dominus oculos intentos in justos, & aures ad eorum implorationem: Faciem autem habet Dominus intentam in maleficos.

13 Ecquis vero est qui vos lædat, si bonitatis imitatores sitis?

14 Quanquam etiam si propter justitiam feratis injuriam, felices estis. Quæ vero metuunt illi, vos ne metuite, neve turbamini.

Es. 8, 12. 13. Ier. 1, 8.

15 Sed Dominum Deum animis sancte colite. Ac semper parati este, quicunque ex vobis spei, qua præditi estis, rationem petierit, ei comiter ac religiose respondere, Iob. 1, 21. Ps. 119, 45. Act. 4, 8.

16 Vobis

16 Vobis bene conscii, ut cum nunc de vobis, ceu maleficis, maledicant, contra fiat, ut pudeat eos, , qui vestros bonos in Christianitate mores incessunt. Tit. 2, 8.

17 Præstat enim recte facientes, si ita ferat Dei voluntas, adversa pati, quam prave facientes:

18 Siquidem Christus quoque semel pro nobis passus est, justus pro injustis, quo nos ad Deum adduceret: carne necatus, spiritu in vitam revocatus:
Rom. 1, 4. & 5, 6. Heb. 9, 15. 28.

19 In quo etiam animis, qui erant in carcere, prædicatum ivit, Eph. 2, 17.

20 Quibus olim persuasum non fuerat, cum expectaret Dei clementia, temporibus Noæ cum extrueretur arca: in qua paucæ, hoc est octo animæ in aqua conservatæ sunt. Matth. 24, 38. Luc. 17, 26.

21 Consimili forma nunc quoque baptismus nos servat, qui non est corporis sordium detractio, sed bonæ conscientiæ testificatio ad Deum, per Iesu Christi resurrectionem, Eph. 5, 26.

22 Qui est ad Dei dexteram, profectus in cœlum, Angelis ei, & potestatibus potentatibusque subjectis.
Ps. 110, 1. Rom. 8, 38.

CAP. IV.

Longius profert Christi exemplum, nempe ad carnis mortificationem: Charitatem imprimis commendans. Redit inde ad patientiæ doctrinam. Necesse enim esse ut initium correctionis ab ecclesia fiat.

IGitur Christo pro nobis corpore supplicium passo, vos quoque eadem mente armamini: siquidem qui corpore supplicium tulit, is peccare desiit,
Rom. 6, 8. Heb. 12, 1.

2 Ne deinceps ad hominum cupiditates, sed ad Dei voluntatem reliquum in corpore tempus vivat. Rom. 14, 7. 2. Cor. 5, 15.

3 Satis est enim vobis præterito vitæ tempore extraneis morem gessisse, versantes in libidinibus, vinolentiis, comessationibus, potationibus, & nefariis deastrorum culturis. Eph. 4, 17.

4 Atque id sane mirantur illi, non concurrere vos ad eandem luxuriæ profusionem, & maledicunt:

5 Reddituri rationem ei qui & vivos est & mortuos judicaturus.
Act. 10, 42.

6 Nam ideo mortuis quoque nunciatus est, ut & secundum homines carne judicentur, & secundum Deum spiritu vivant.
Ioh. 5, 25. 1. Pet. 3, 19.

7 Omnium autem finis instat: Quocirca este frugi, & ad supplicationes sobrii,
Matth. 26, 41.

8 Ac ante omnia mutuam charitatem intentam habete: Nam charitas multa peccata tegit. Prov. 10, 12. Iac. 5, 20.

9 Este alii in alios hospitales, sine murmuribus.
Phil. 2, 14. Heb. 13, 2.

10 Prout quisque aliquo munere dotatus est, ita id alii in alios dispensate, ut boni variorum Dei beneficiorum dispensatores.
Prov. 3, 28. Matth. 25, 14.

11 Si quis loquitur, ut divina oracula: si quis subministrat, ut ex facultate quam Deus suppeditet, quo in cunctis celebretur Deus per Iesum Christum, cujus est gloria & imperium in perpetua secula. Amen. Ier. 23,22.

12 Charissimi, nolite istud incendium, quod vestri periclitandi gratia vobis accidit, quasi novum aliquid vobis usu veniat, admirari: Es. 48, 10. 1. Cor. 3, 13.

13 Sed quatenus Christi suppliciorum participes estis, gaudete, ut tum quoque, cum existet ejus gloria, lætitia exulteris. Phil. 3, 10.

14 Si ob Christi nomen probris incessimini, felices estis, quod gloriosus divinusque spiritus vos insidet Per illos quidem vituperatur, sed per vos collaudatur. Matth. 5, 10. 1. Petr. 2, 20.

15 Absit enim ut aliquis vestrûm supplicio afficiatur ut homicida, aut fur aut facinorosus, aut ut alieni appetens: 1. Pet. 2, 20.

16 At si ut Christianus, ne pudeat eum, quin Deum hac in parte condecoret.

17 Quandoquidem ejusmodi tempus est, ut pœna a divina domo incipiat. Quod si capitur a nobis initium, quis futurus est exitus eorum, qui divino non parent Evangelio? Es. 10, 12. Ierem. 25, 29. & 49, 12.

18 Et si justus ægre servatur, impius & improbus ubi comparebit?

19 Proinde qui Dei voluntate patiuntur adversa, ii recte faciendo conditori, ut fideli, suas commendent animas. Ps. 31, 6. Luc. 23, 46.

CAP. V.

Seniores admonet ne imperium usurpent in ecclesiam; juvenibus docilitatem & modestiam commendat: Sobrietatem quoque & excubias adversus hostem truculentum.

1 Igitur seniores vestrûm cohortor, ipse quoque senior, & Christi suppliciorum testis, & idem repræsentandæ gloriæ socius, Rom. 8, 17. 18.

2 Pascite istud ovile Christi: id non inviti, sed sponte curantes: non avare, sed alacriter: 1. Tim. 3, 3.

3 Neque ut gregibus imperantes, sed ut qui ovilis exempla sitis. Phil. 3, 17.

4 Ita fiet, ut cum advenerit pastorum magister, nunquam flacescentem gloriæ coronam accipiatis. Es. 40, 11. Ezech. 34 23.

5 Similiter juniores parete senioribus & omnes invicem obsequendo, modestiam complectimini: nam Deus & superbis adversatur, & modestorum fautor est. Prov. 3, 34. Rom. 12, 10. 16.

6 Quamobrem submittite vos potenti Dei manui, ut vos tempore curationis evehat, Iob. 22, 29. Prov. 29. 23.

7 Omni vestri cura in eum rejecta: quippe cui curæ sitis. Ps. 37, 5. & 55, 23. Matt. 6, 25. 26.

8 Sobrii este, vigilate: nam adversarius vester diabolus, ut leo rugiens circuit, quærens quem devoret. Iob. 1, 7. Luc. 21, 16. & 22, 31.

9 Cui

9 Cui resistite fide firmi, scientes eadem vestris, qui in orbe degunt, fratribus usu venire patienda. Eph. 4, 27. & 6, 11. 13.

10 Deus vero omnis favoris, qui nos ad æternam suam gloriam per Christum Iesum vocavit, is vos paulum passos componat, confirmet, corroboret, fundet. 2. Cor. 4, 17.

11 Ei gloria & imperium in perpetua secula. Amen.

12 Per Sylvanum vobis fidum, ut arbitror, fratrem, paucis scripsi: commonefaciens & testificans, istud esse verum Dei beneficium, in quo statis. Hebr. 13, 22.

13 Salutat vos ea quæ Babylone est, etiam electa, & Marcus filius meus. Act. 12, 12. 25.

14 Salutate inter vos charitatis osculo. Pax vobis quotquot estis in Christo Iesu. Amen. Rom. 16, 16. 1. Cor. 16, 20. 1. Thess. 5, 26.

PETRI APOSTOLI EPISTOLA II.

CAP. I.

Postquam Dei bonitatem, & fidei bona commemorabit, sanctitatem vitæ illis commendat, & quo plus ponderis habeat monitio, se jam morti vicinum indicat. Insuper etiam oculatum testem se esse asserit.

SImon Petrus, Iesu Christi servus & Apostolus, iis qui parem nostræ fidē per Dei nostri, & Servatoris Iesu Christi justitiam sortiti sunt,

2 Favorem & pacem plurimam dicit, in Dei & Iesu Domini nostri cognitione: Ioh. 17, 3. Rom. 1, 7.

3 Ut cujus divina potentia omnia nobis ad vitam & pietatem largita sit, per ejus cognitionem, qui nos sua gloria & virtute vocavit,

4 Propter quem ille nos eximiis maximisque promissis donavit, ut per ea fiatis divinæ participes naturæ, & mundanā cupiditatis corruptelam effugiatis. Esa. 56, 5.

5 Vos vero in hoc omni studio incumbite, acquirentes in fide vestra virtutem, in virtute scientiam,

6 In scientia temperantiam, in temperantia patientiam, in patientia pietatem,

7 In pietate fraternum amorem, in amore fraterno charitatem.

8 Hæc enim si in vobis inerunt, & abundabunt, non ociosos vos aut inertes efficient ad Domini nostri Iesu Christi cognitionem. Tit. 3, 4.

9 Cui vero non adsunt hæc, cæcus est, cæcutiens, oblivione captus expiationis veterum suorum peccatorum. Esa. 59, 10. Soph. 1, 17.

10 Proinde magis studete, fratres, recte factis ratum efficere vestri vocatum ac electionem. Hæc enim facientes, nunquam delinquetis: 1. Ioh. 3, 19.

11 Ita enim vobis large suppetet aditus ad æternum Domini nostri Servatorisq; Iesu Christi regnum.

12 Itaque non negligam vos semper de his commonefacere, quanquam gnaros, & in præsenti veritate fixos.

13 Veruntamen æquum esse judico, quamdiu sum in hoc domicilio, excitare vos admonitione:
2. Petr. 3, 1.

14 Sciens brevi fore, ut meum domicilium deponam, quemadmodum mihi Dominus noster Iesus Christus significavit.
Ioh. 21, 18. 19. 2. Tim. 4, 6.

15 Verum dabo operam, ut vos post meũ discessum assiduam horum mentionẽ facere valeatis.

16 Non enim sciolas secuti fabulas potentiam vobis, & adventum Domini nostri Iesu Christi declaravimus: sed ipsi ejus majestatem contemplati,
Matth. 17, 1. Ioh. 1, 14.

17 Quippe qui a Deo Patre honorem acceperit & gloriam, voce delata ad eum hujusmodi a magnifica gloria: Hic est meus charissimus filius, in quo me oblecto. Matth. 3, 17. & 17, 5.

18 Hanc nos vocem audivimus de cœlo delatam, cum una cum eo essemus in sacro monte.

19 Adde, quod habemus firmiorem fatidicum sermonem, in quem recte facitis quod estis intenti, tanquam in lucentem in obscuro loco lucernam, donec dies illucescat, & lucifer oriatur in vestris animis:
Ps. 119, 105. Ioh. 5, 35.

20 Dum tamen hoc primum intelligatis, nullum fatidicum scriptum privatæ explanationis esse. Rom. 12, 6.

21 Non enim hominis voluntate editum est unquam oraculum, sed sancti Spiritus instinctu locuti sunt homines divini.
2. Tim. 3, 16. 2. Petr. 1, 11.

CAP. II.

Exponit cur hæc monuerit superius, nimirum propter falsos doctores, quorum nefandas artes ac interitum describit. Brutis animalibus, & fontibus sine aqua eos comparat, quod homines Deo consecratos, ad pristinam immunditiem retrahant.

FUerunt autem & falsi vates in populo, ut etiam in vobis erunt falsi magistri, qui perniciosas sectas introducent, vindicemque suum herum abnegantes, celerem sibi perniciem conciliabunt. Deut. 13, 1. Matt. 24, 11.

2 Eorumque perniciem multi subsequentur, per quos veri institutio male audiet,

3 Quique vos per avaritiam fictitiis verbis nundinabuntur: quorum supplicium jamdiu non ociatur, neque pernicies dormitat. Deut. 32, 35. 1. Tim. 6, 5.

4 Nam si Deus Angelis, qui peccaverant, non pepercit, quin eos in tartarearum tenebrarum catenas præcipitatos conjecit ad judicium custodiendos:
Iob. 4, 18. Luc. 8, 31.

5 Et antiquo generi adeo non pepercit, ut octavo Noa justitiæ præcone conservato, impiorũ generi diluvium invexerit:
Gen. 7, 21. 1. Petr. 3, 19. 20.

6 Et Sodomorum Gomorræq; urbes in cinerem redactas, eversione punivit, documentum statuens eorum qui impii essent futuri: Gen. 19, 24. Num. 26, 10.

7 Et

7 Et justum Lotum, qui a libidinosis nefariorum moribus vexabatur, tutatus est.
Gen. 19, 7. 8. 15.

8 Nam justus ille inter eos habitans, justum animum noctes & dies, scelestorum operum & aspectu cruciabat & auditu.
Ps. 119, 158. Ezech. 9, 4.

9 Scit Dominus & pios ex periculis eripere, & injustos ad judicii diem cruciandos custodire. 1. Cor. 10, 13.

10 Maxime qui corpori obsequentes, in obscœnis cupiditatibus degunt, dominatumque contemnunt, audaces, insolentes, qui de dignitatibus maledicere non horrent:
Iud. v. 4. 7. 8. 10. 16.

11 Cum Angeli, viribus & potestate majores, non ferant contra eos apud Dominum maledicam sententiam. Iud. v. 9.

12 At isti similes animalibus rationis expertibus, naturaliter in prædam interitumque natis de eis, quæ ignorant, maledicunt, in sua corruptela perituri.
Ierem. 12, 3.

13 Et injustitiæ præmium laturi: qui voluptatem in quotidianis ponant deliciis, labes & maculæ, qui de vobis in suis erroribus convivantes jocantur,
Iud. v. 12.

14 Oculos habentes degeneris perpetuique peccati plenos: inescantes infirmas animas, animum rapinis exercitatum habentes: homines intestabiles,

15 Qui relicta recta via errant, Balaami Bosoris filii viam secuti, qui sceleris præmium amavit, suique criminis convictus est. Num. 22, 7. 21. Iud. v. 11.

16 Asina muta, humana voce locuta, inhibuit vatis amentiam.

17 Ii sunt fontes aridi, actæ procellæ nubes, quibus tenebrarum caligo sempiterna reservatur. Iud. v. 12.

18 Nam prætumida vanaque loquendo, inescant libidinosi corporis cupiditatibus eos, qui propemodum effugerant eos qui in errore versantur,
Act. 2, 40. Iud. v. 16.

19 Libertatem eis pollicentes, ipsi servi interitus. Siquidem quo quis victus est, ei mancipatus est. Ioh. 8, 34. Rom. 6, 16. Gal. 5, 13.

20 Si enim ex mundanis fœditatibus, Domini & Servatoris Iesu Christi cognitione elapsi, iisdem rursus implicati vincuntur, fit eorum posterior conditio priore deterior. Matt. 12, 43. &c. Hebr. 6, 4. & 10, 26.

21 Satius enim fuisset eis, justitiæ viam non cognovisse, quam ea cognita, a tradita sibi sancta disciplina retro recessisse:
Luc. 12, 47. seq.

22 Eisque accidit, quod est in illo vero proverbio: Canis ad suum vomitum regressus, & lota sus ad cœni volutabrum.
Prov. 26, 11.

CAP. III.

Ostendit non frustra hæc repeti, quia sæpius excitandi sint, ob periculum quod ab illusoribus illis impendet. Itaque pios monet, ne ex carnis sensu diem Domini metiantur, sed quasi præsentem sibi statuant. In qua doctrina Paulum facit sibi socium & suffragatorem.

HAs jam alteras vobis, charissimi, scribo literas, in quibus vestram sinceram mentem admonitione excito, 2. Petr. 1, 13.

2 Ut vetera dicta sanctorum vatum, & nostram, qui Domini Servatorisque legati sumus, disciplinam recordemini;

3 Hoc imprimis scientes, venturos esse postremis temporibus illusores, suis cupiditatibus obsequentes: 1. Tim. 4, 1. 2. Tim. 3, 1. Iud. v. 18.

4 Qui dicant: Ubi est ejus promissus adventus? Nam ex quo majores obdormiverunt, omnia eodem in statu manent ab orbe condito. Es. 5, 19. Ier. 17, 15.

5 Illud enim eos volentes præterit, cœlos olim terramque, & ex aqua & in aqua, Dei jussu, constitisse, Gen. 1, 6. 9. Ps. 24, 2. & 33, 6. & 136, 6.

6 Quibus rebus illius temporis mundus aqua inundatus perierit. Gen. 7, 10. 21.

7 Item qui nunc sunt cœli & terra, eodem ejus jussu condita reservantur igni, ad judicii & impiorum hominum exitii diem. Ps. 102, 27. Es. 51, 6.

8 Hoc autem unum ne lateat vos, charissimi, unum diem apud Dominum perinde esse ac mille annos, & mille annos perinde ac unum diem. Ps. 90, 4.

9 Non tardat Dominus promissum, ut nonnulli tarditatem interpretantur: sed lentus est erga nos, nolens quenquam perire, sed omnes ad sanitatem redire. Es. 30, 18. Ezech. 18, 23. 33. & 33, 11.

10 Veniet autem Domini dies ut fur nocte, in qua cœli perniciter interibunt, elementa ardentia dissolventur, & tellus, & quæ sunt in ea res, conflagrabunt. Ps. 102, 27. Es. 51, 6. Matth. 24, 35. 43. 44.

11 Quod cum sint hæc omnia dissipanda, quales decet esse vos in sanctis moribus ac pietatibus expectantes, properantesque diei adventum Dei? Ps. 50, 3. 2. Thess. 1, 8.

12 Per quam & cœli incendio peribunt, & elementa ardentia consumentur. Ps. 50, 3. 2. Thess. 1, 8.

13 Novos autem cœlos terramque novam ex ejus promisso expectamus, in quibus habitet justitia. Es. 65, 17. & 66, 22. Apoc. 21, 1.

14 Quapropter charissimi, his expectandis date operam, ut ei impolluti inculpatique cum pace reperiamini, 1. Cor. 1, 8. Phil. 1, 10.

15 Et Domini nostri lentitudinem pro salute ducite: quemadmodum noster charissimus frater Paulus, pro ea qua donatus est sapientia, vobis scripsit, Rom. 2, 4. Sup. v. 9.

16 Et in omnibus epistolis de hisce rebus in eis loquens: in quibus insunt obscura quædam, quæ indocti infirmique, ut & cætera scripta in suam perniciem detorquent. Rom. 8, 19. 1. Cor. 15, 24.

17 Vos igitur charissimi, id præcognoscentes, cavete ne in nefariorum errorem abdu-

abducti, excidatis ex vestra firmitate. Marc. 13, 3.

18 Et crescite in beneficio ac cognitione Domini nostri servatorisq; Iesu Christi, cui gloria & nunc & in diē sempiternum: Am.

IOANNIS APOSTOLI

EPISTOLA PRIMA.

CAP. I.

Sermonem illum æternum in quo est vita, & lux, annunciare se testatur, & propitium fidelibus Deum fore, si gementes sub vitiorum onere, confugere discant ad ipsius misericordiam.

Quod fuit a principio, quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod & spectavimus, & nostris ipsis manibus tetigimus, Luc. 24, 39. Ioh. 1, 1. 14. & 20, 27. 2. Petr. 1, 16.

2 (De sermone vitæ loquor, quæ vita patefacta est) id, inquam, & vidimus & testamur, & vobis vitam nunciamus æternam, quæ apud Patrem erat, & nobis patefacta est. Rom. 16, 26.

3 Quod & vidimus & audivimus, id vobis annunciamus, ut & vos nobiscū communitatem habeatis. Est autem nobis communitas cum Patre cumque ejus filio Iesu Christo. Ioh. 17, 21. 1. Cor. 1, 9.

4 Atque hæc vobis scribimus, ut plena afficiamini lætitia. 2. Ioh. v. 12.

5 Est autem hoc nuncium, quod & ab illo audivimus, & vobis nunciamus, Deum esse lumen, nec ullas in eo tenebras esse. Ioh. 1, 9. & 8, 12. & 9, 5. & 12, 35. 36.

6 Si nobis cum Deo communionem esse dicimus, & tamen in tenebris degimus, mentimur, nec verum facimus.

7 Si in luce versamur, ut ipse in luce est, nobis est inter nos communitas: nosque Iesu Christi sanguis ejus Filii expurgat ab omni peccato. Heb. 9, 28. 1. Petr. 1, 19.

8 Si nos peccati expertes esse dicimus, fallimus nos ipsos, nec est in nobis veritas. 1. Reg. 8, 46. 2. Par. 6, 36. Prov. 20, 9.

9 Si confitemur peccata nostra, ille ita fidelis & justus est, ut nobis peccatorum veniam det, nosque ab omni culpa expiet. Ps. 32, 5.

10 Si nos peccasse negamus, mendacem facimus eum, nec est in nobis ejus sermo.

CAP. II.

Proposito Christo mediatore, & advocato, docet in vitæ sanctimonia sitam esse Dei cognitionem, quam cujusvis ætatis & conditionis hominibus communem facit, modo uni Christo adhæreant. Tandem ubi ad contemptum mundi hortatus est, suadet, Antichristos fugiendos esse: inhærendum autem agnitæ veritati.

Filioli mei, hæc vobis scribo, ut non peccetis: quod si quis pecca-

peccaverit, Patronum habemus ad Patrem, Iesum Christum justum: Rom. 8, 34. 1. T[illegible] 2,

2 Qui idem piaculum [illegible]strorum peccatorum: nec [illegible]um nostrorum, sed etiam totius mundi. Joh. 4, 42.

3 Ac in eo nobis eum esse notum intelligimus, si ejus præceptis paremus.

4 Qui eum sibi notum esse dicit, & tamen ejus præceptis non paret, mendax est: nec est in eo veritas.

1. Ioh. 1, 6. & 4, 20.

5 Qui vero ejus dictis par[illegible], is vere Dei amore perfecto præditus est. Hac re nos in eo esse cognoscimus.

Ioh. 13, 35. & 14, 21. 23.

6 Quod qui se in eo manere dicit, debet, ut ille se gessit, ita ipse se gerere.

Ioh. 15, 4. 5.

7 Fratres, non novam præceptionem scribo vobis, sed veterem præceptionem, quam a principio habuistis. Præceptio vetus est sermo, quem audivistis principio. 1. Ioh. 3, 11.

8 Rursus novam præceptionem vobis scribo, quæ res & in se & in vobis vera est: videlicet tenebras præterire, jamque verum lumen apparere. 1. Ioh. 1, 9. & 8, 12. & 13, 34. & 15, 12.

9 Qui se in lumine esse dicit, & tamen fratrem suum odit, is adhuc in tenebris est.

1. Cor. 13, 2. 2. Pet. 1, 19.

10 Qui fratrem suum amat, is in luce manet, & is est qui non impingat.

Ioh. 12, 35. 2. Petr. 1, 10.

11 Qui vero fratrem suum odit, is in tenebris est, & in tenebris graditur, neque scit quo eat, quippe cum ejus oculos occæcaverint tenebræ. 1. Ioh. 3, 14.

12 Scribo vobis, Filioli, quod vobis ignoscuntur peccata per ejus nomen. Luc. 24, 47. Act. 4, 12. & 13, 38.

13 Scribo vobis, Patres, quod eum, qui a principio est, novistis. Scribo vobis, juvenes, quod malum vicistis.

14 Scribo vobis, nati, quia Patrem nostis. Scripsi vobis, patres, quia eum qui a principio est nostis. Scripsi vobis, adolescentes, quoniam fortes estis, in vobisque manet Dei sermo, & malum vicistis. Ephes. 6, 10.

15 Ne amate mundum, neque mundana. Si quis mundum amat, is non est Patris charitate præditus. Matth. 6, 24. Rom. 12, 2.

16 Nam quicquid in mundo est, videlicet carnis & oculorum cupiditas, & vitæ arrogantia, non a Patre, sed a mundo est.

17 Et mundus abit, & ejus cupiditates. Sed qui Dei voluntati paret, is manet in sempiternum. Ps. 90, 10.

18 Nati, ultimum tempus est, & quemadmodum venturum audivistis Antichristum, nunc quoque multi sunt Antichristi: unde ultimum tempus esse intelligimus. Matth. 24, 5. 24.

19 A nobis profecti sunt, sed non erant ex nobis. Si enim ex nobis fuissent, nobiscum mansissent: sed declarandum fuit, non omnes ex nobis esse.

Ps. 41, 10.

20 Et

20 Et vos a Sancto uncti, novistis omnia.

Ps. 45, 8. & 133, 2.

21 Non ideo vobis scripsi, quod verum nesciatis: sed quod verum scitis, & quod nihil falsum ex vero est.

22 Quis est mendax, nisi qui negat Iesum esse Christum? Is Antichristus est, qui & Patrem negat & Filium.

1. Ioh. 4, 3.

23 Quisquis Filium negat, ne Patrem quidem habet.

Luc. 12, 9. Ioh. 15, 23.

24 Quod ergo vos ab initio audivistis, id in vobis maneat. Si in vobis manserit quod initio audivistis, & vos in Filio ac Patre manebitis.

25 Ac quod nobis promisit, id vita æterna est.

26 Hæc vobis de vestris deceptoribus scripsi.

27 Et tamen ii estis, in quibus unctio, quam ab eo accepistis, maneat: neque vobis opus est, ut quisquam vos doceat, quippe cum eadem unctio vos de cunctis doceat, veraque sit, & falsitatis expers: ac quemadmodum ille vos docuit, sic maneatis in eo.

Ier. 31, 33. 34. Ioh. 14, 26. & 16, 13.

28 Et nunc, filioli, manete in eo, ut cum existet, confidentiam habeamus, nec eum in ejus adventu erubescamus,

Marc. 8, 38.

29 Si scitis eum esse justum, cognoscite, quicunque justa faciat, ex eo esse natum.

1. Ioh. 3, 7. 10.

CAP. III.

Inæstimabilem divinæ adoptionis honorem commendans, testandam esse bonis operibus vitæ novitatem docet, cujus certum symbolum est charitas. Deinde fiduciam, & Dei invocationem subnectit.

VIdete quanto nos prosecutus sit amore Pater, ut Dei filii vocemur. Ideo nos mundus non cognoscit, quod eum non cognoscit.

Ioh. 1, 12. & 16, 3. & 17, 25.

2 Charissimi, nos nunc Dei filii sumus, tametsi nondum patet quid simus futuri. Scimus autem cum id patefactum fuerit, nos ejus fore similes: utpote quem cernemus, ut est.

Es. 56, 5. Matth. 15, 12. Ioh. 1, 12.

3 Ac quisquis hanc in eo spem habet, is seipsum expurgat, quemadmodum ille purus est.

4 Quisquis peccatum committit, is crimen committit, & peccatum crimen est. 1. Ioh. 5, 17.

5 Et scitis illum ideo advenisse, ut peccata nostra auferret, nec ullum in eo esse peccatum:

Es. 53, 4. 9.

6 Quisquis in eo manet, non peccat: quisquis peccat, eum non didicit, neque novit.

1. Ioh. 2, 4. & 4, 8.

7 Filioli, nemo vos decipiat. Qui juste facit, justus est, quemadmodum ille justus est.

1. Ioh. 2, 29. & 3, 10.

8 Qui peccatum committit, ex Diabolo est: siquidem a principio Diabolus peccat. Ideo patefactus est Dei Filius, ut Diaboli opera aboleret. Gen. 3, 15. Io. 8, 44.

9 Quisquis ex Deo natus est, peccatum non committit, quod Dei semen in eo manet: ideoque peccare nequit, quod ex Deo natus est. 1.Pet.1, 23. 1.Ioh.5, 18.

10 In eo manifesti sunt Dei filii, & Diaboli filii, quod quisquis justa non facit, is Dei non est: itemque qui fratrem suum non amat. 1.Ioh. 4, 8.

11 Nam hæc est, quam principio audivistis, denunciatio, ut amemus inter nos: Ioh. 13, 34. & 15, 12. 1.Ioh. 1, 1.5. & 2, 7. & 3, 23.

12 Non ut Cainus, qui cum a malo esset, fratrem suum interemit. Cujus autem gratia eum interemit? quoniam ejus opera erant mala, cum fratris essent justa. Gen. 4, 8. Heb. 11, 4.

13 Nolite mirari, fratres mei, si vos odit Mundus.

Ioh. 15, 18. 19. & 17, 14.

14 Nos scimus, nos a morte ad vitam migrasse, quoniam fratres amamus. Qui fratrem non amat, manet in morte:

Lev. 19, 17. 1.Ioh. 2, 9. seqq.

15 Quisquis fratrem suum odit, homicida est. Scitis autem neminem esse homicidam, qui æternam vitam habeat in se manentem. Matth. 5, 21. sq. Gal. 5, 11.

16 Inde amorem cognoscimus, quod & ille pro nobis animam suam posuit, & nos debemus pro fratribus animas ponere.

Ioh. 3, 16. & 15, 13.

17 Iam qui cum hujus vitæ facultates habeat, & fratrem suum egere videat, tamen non ejus vicem miseratur, qui fieri potest, ut sit Dei charitate præditus?

Deut. 15, 7. Luc. 3, 11. Iac. 2, 15.

18 Filioli mei, non verbis aut lingva, sed re ac veritate amemus. Iac. 2, 15.

19 Ita fiet, ut nos a veritate esse intelligamus, & id in ejus conspectu animis persuasum habeamus.

20 Quod si nos damnat animus noster, major est Deus quam noster animus, & cuncta novit.

21 Charissimi, si noster animus nos non damnat, confidentiam habemus ad Deum:

22 Ac quicquid postulamus, id ab eo impetramus, quoniam ejus præceptis obtemperamus, eique morem gerimus. Ps. 10, 17. & 34, 16. & 145, 18.

23 Atque hæc est ejus præceptio, ut ejus Filii Iesu Christi nomini credamus, & inter nos amemus, quemadmodum præceptum dedit.

Lev. 19, 18. Matth. 22, 39.

24 Ac qui ejus præceptis obedit, & ipse in illo, & ille in ipso manet. Atque hinc eum in nobis manere cognoscimus, videlicet ex Spiritu, quo nos donavit. Ioh. 14, 23. & 15, 10.

CAP. IV.

Ubi quædam inseruit de probandis spiritibus, quia alii ex mundo, alii ex Deo loquantur, ad charitatem redit, & Dei exemplo ad fraternum amorem hortatur.

CHarissimi, ne cuivis spiritui credite, sed spiritus explorate, an ex Deo sint: nam multi falsi vates in Mundum prodierunt. Ier. 29, 8. Matt 7, 15. 16. & 24, 4. 5. 24.

2 Hinc cognoscite Dei Spiritum: Quisquis spiritus Iesum Christum

ſtum in carne veniſſe confitetur, is a Deo eſt. 1. Cor. 12, 3.
1. Ioh. 2, 22. & 5, 1.

3 Quiſquis autem ſpiritus Ieſum Chriſtum in carne veniſſe non confiterur, is a Deo non eſt. Atque hoc illud eſt de Antichriſto quod audiviſtis, venturum eſſe, qui jam nunc in mundo eſt.
2. Theſſ. 2, 7.

4 Vos a Deo eſtis, filioli, & eos viciſtis: quoniam major eſt qui in vobis quam qui in mundo eſt.

5 Illi a mundo ſunt, itaque a mundo loqvuntur, eosque mundus audit. Ioh. 3, 31. & 15, 19.

6 Nos a Deo ſumus: Deum qui novit, nos audit: qui a Deo non eſt, non audit nos. Inde quis veritatis, quis ſit erroris piritus, dignoſcimus.
Ioh. 8, 47. & 10, 27.

7 Chariſſimi, amemus nos inter nos: nam charitas a Deo eſt: ac quiſquis amat, ex Deo natus eſt, Deumque novit.

8 Qui non amat, non novit Deum: nam Deus amor eſt.
1. Ioh. 2, 4. & 3, 6. & 4, 16.

9 In eo patuit Dei erga nos amor, quod Filium ſuum unicum miſit Deus in mundum, ut per eum vivamus. Ioh. 3, 16.
Rom. 5, 8. & 8, 32,

10 In eo amor eſt, quod Deus, non quod nos eum amaverimus, ſed quod ipſe nos amaverit, miſit filium ſuum, pro peccatis noſtris piaculum.
Ioh. 15, 16. Rom. 3, 24. 25. & 5, 8. 10.

11 Chariſſimi, ſi ſic nos amavit Deus, nos viciſſim debemus amare nos mutuo. Matth. 18, 33.
Ioh. 15, 12. 13.

12 Deum nemo unquam vidit. Si alius alium amamus, manet in nobis Deus, ſumusque ejus perfecta charitate præditi.
Exod. 33, 20. Deut. 4, 12.
Ioh. 1, 18. 1. Tim. 6, 16.

13 Hinc & nos in eo, & in nobis eum manere intelligimus, quod nobis ſuum ſpiritum impertivit.
Ioh. 14, 20. & 17, 21. 1. Ioh. 3, 24.

14 Et nos vidimus & teſtamur a Patre legatum eſſe Filium, Servatorem mundi.
Ioh. 1, 14. 1. Ioh. 1, 1.

15 Quiſquis Ieſum Dei eſſe Filium confeſſus fuerit, & in eo Deus, & is in Deo manet.

16 Et nos amorem, quo nos Deus proſequitur, novimus, ac credimus. Deus amor eſt: & qui in amore manet, in DEO manet, & Deus in eo.
Sup. 8, 12.

17 In eo perfecta charitate præditi ſumus, ſi de judicii die confidimus, quod qualis ille eſt, tales nos ſimus in hoc mundo. Iac. 2, 13.

18 In charitate metus non eſt: quin perfecta charitas foras quatit metum, quoniam metus cruciatum habet: quique metuit, perfecta charitate non eſt.

19 Nos eum amamus, quoniam prior ipſe nos amavit.

20 Si quis a ſe Deum amari dicit, & tamen fratrem ſuum odit, mendax eſt. Qui enim fratrem ſuum, quem videt, non amat, Deum quem non vidit, quo pacto poteſt amare?
1. Ioh. 2, 4. & 3, 17.

21 Atque

21 Atque hoc ab eo præceptum habemus, ut Deum qui amat, suum quoque fratrem amet.
Lev. 19, 18. Matth. 22, 39. Ioh. 13, 34. & 15, 12.

CAP. V.

Ostendit fraternum amorē & fidem esse res conjunctas. Nullā autem haberi posse fidem Deo, nisi credendo in Christum. Hinc certa est invocatio: ut pro fratribus etiam valeant preces nostræ.

QVisquis IEsum credit esse Christum, ex Deo natus est: & quisquis genitorē amat, etiam ex eo natum amat. Ioh. 1, 12. 13.

2 Hinc intelligimus amari a nobis Dei filios, si Deum amamus, ejusque præceptis obtemperamus.

3 Is enim Dei amor est, si ejus præceptis obtemperamus, quæ sane ejus præcepta gravia non sunt. Matth. 11, 29. 30.

4 Nam quicquid ex Deo natum est, vincit mundum: & hæc victoria est, quæ vicit mundum, fides vestra. Ioh. 16, 33.

5 Quis est qui vincit mundum, nisi qui credit IEsum esse DEI Filium? 1. Cor. 15 57. 1. Ioh. 4, 4. 15.

6 Hic est qui venit per aquam & sangvinem Iesus Christus: non in aqua solum, sed in aqua & sanguine. Et spiritus est qui testatur, siquidem spiritus est veritas. Ioh. 19, 34.

7 Quoniam tres sunt qui testantur in cœlo, Pater, sermo, & Spiritus Sanctus, & hi tres unum sunt. Matt. 28, 19. Ioh. 1, 1. 1. Cor. 12, 4. 5. 6.

8 Item tres sunt qui testantur in terra, spiritus, & aqua, & sangvis, qui tres unum sunt.

9 Si hominum testimonium admittimus, Dei testimonium majus est. Atque hoc est quod Deus de Filio suo testimonium dixit. Ioh. 5, 37. & 8, 17. 18.

10 Qui Dei Filio fidem habet, is in se Dei testimonium habet. Qui Deo non credit, mendacem facit eum: quod testimonio fidem non habeat, quod dixit Deus de Filio suo. Ioh. 3, 16. 33. Rom. 8, 16. Gal. 4, 6.

11 Est autem hoc testimonium, quod æterna vita donavit nos Deus, quæ vita in ejus filio est. Ioh. 1, 4.

12 Qui Dei filium habet, vitam habet: qui Dei Filium non habet, vitam non habet. Ioh. 3, 36. & 5, 24.

13 Hæc vobis, nomini Filii Dei fidem habentibus, ideo scripsi, ut vos æternam habere vitam sciatis, utque nomini Filii DEI fidem adjungatis. Ioh. 20, 31.

14 Atque ea est, quam ad eum habemus, confidentia, quod si quid ex ejus voluntate postulamus, audit nos. Ier. 29, 12. Matth. 7, 8. & 21, 22.

15 Quod si nos ab eo audiri scimus, quicquid poscamus, scimus ea obtinuisse nos quæ ab eo poposcimus.

16 Si quis fratrem suum peccatum non lethale committere viderit, si is Deum poscat, Deus illi vitam dabit, videlicet peccantibus non lethaliter. Est lethale peccatum, pro quo orandum esse non dico. Num. 15, 30. 1. Sam. 2, 25. Matth. 12, 31.

17 Omnis injustitia est peccatum. Est & peccatū non lethale. 1. Ioh. 3, 4.

18 Scimus

18 Scimus quisquis ex Deo natus est, eum non peccare: nam ex Deo natus seipsum servat, nec eum Malus attingit. 1. Ioh. 3, 9.

19 Scimus nos a Deo esse, totumque mundum in Malo jacere.

20 Scimus item DEI Filium venisse, & nos eo ingenio donasse, ut verum cognoscamus Deum: sumusque in vero, in ejus Filio Iesu Christo. Is verus est Deus, æternaque vita.

Luc. 24, 45. Ioh. 17, 3.

21 Filioli, cavete de astros. Amen. 1. Cor. 10, 14.

IOANNIS APOSTOLI
EPISTOLA SECUNDA.

Inscribitur hæc epistola eximiæ ac præstanti dignitate fœminæ, quæ filios in Dei timore recte educatos habebat. Hanc orat, ut in charitate Christiana perseveret, ne in Antichristos incidat; quin potius eos omnino vitet.

SEnior electæ dominæ, ejusque liberis, quos ego vere amo: nec ego solus, sed etiam omnes, qui veritatem noverunt,

2 Propter veritatem, quæ & in nobis manet, & nobis aderit in sempiternum.

3 Adsit vobis favor, misericordia, pax a Deo Patre, & a Domino Iesu Christo Patris filio, cum veritate ac charitate.

4 Lætatus sum magnopere, quod liberos tuos ex veritate vivere comperi, sicuti præceptũ accepimus a Patre.

5 Et nunc rogo te, Domina, non quo tibi novum scribam præceptum, sed quod habuimus ab initio, ut amemus nos mutuo.

Ioh. 13, 34. & 15, 12.
Eph. 5, 2.

6 Est autem in eo situs amor, ut ex ejus præceptione nos geramus. Hæc est præceptio, quemadmodum audivistis ab initio, ut ex ea vivatis: Ioh. 15, 10.

7 Quoniam multi impostores in mundum introierunt, qui Iesum Christum in carne venisse non confitentur. Hic ille impostor, & Antichristus est.

Matth. 24, 5. 24.

8 Date operam ne perdamus quod elaboravimus, sed mercedem plenam accipiamus.

Gal. 3, 4.

9 Quisquis delinquit, neque manet in doctrina Christi, Deum non habet. Qui manet in doctrina Christi, is & Patrem habet & Filium. 1. Ioh. 2, 23.

10 Siquis venit ad vos, quĩ hanc doctrinam non ferat, eum domum ne accipite, neque salvere jubete. Rom. 16, 17.

1. Cor. 5, 11. & 16, 22.

11 Qui enim salvere jubet participat ejus prave facta.

12 Cum multa vobis haberem scribenda, nolui charta & atramento. Spero enim me venturum ad vos, & coram colloquturum, ut plenam percipiatis lætitiam. Ioh. 17, 13. 1. Ioh 1, 4.

13 Salutant te liberi tuæ sororis electæ. Amen.

IOAN-

IOANNIS APOSTOLI

EPISTOLA TERTIA.

Hospitalitatem Gaji laudat, & Diotrephis petulantiam accusans, Gajum monet, ut bene faciendo perseveret. Postremo Demetrium commendat.

SEnior Cajo charissimo, quem ego vere amo.

2 Charissime, cupio te ante omnia feliciter agere ac valere, quemadmodum animo feliciter agis.

3 Lætatus sum enim vehementer, cum venissent fratres, & tuam veritatem testati essent, uti ex veritate vivas.

2. Joh. v. 4.

4 Majorem lætitiam nullam habeo, quam ut audiam meos natos ex veritate vivere.

5 Charissime, feliciter agis, quicquid erga fratres & hospites facis,

6 Qui tuam charitatem in Ecclesiæ conspectu testati sunt: quos recte facies, si ut Deo dignum est, deduxeris.

7 Nam pro ejus nomine profecti sunt: nihilque ab extraneis acceperunt.

8 Nos vero tales accipere debemus, ut veritatis simus adjutores.

9 Scripsi Ecclesiæ: sed qui vult eorum esse primarius, Diotrephes, non admittit nos.

10 Itaque si venero, commemorabo qualia patret facinora, qui in nos verbis improbis garriat: nec his contentus, nec ipse fratres admittat, & volentes prohibeat, exque Ecclesia ejiciat.

11 Charissime, ne imitare malum, sed bonum. Qui bene facit, a Deo est: qui vero male facit, Deum non novit. Ps. 37, 27.

Es. 1, 16. 1. Pet. 3, 11.

12 Demetrius & omnium, & ipsius veritatis testimonio commendatus est; & nos idem testamur, & vos verum esse testimonium nostrum scitis.

13 Multa haberem scribenda tibi, sed nolo tibi charta, & atramento scribere. 2. Ioh. v. 12.

14 Brevi te, ut spero, videbo, & præsentes colloquemur. Vale.

15 Salutant te amici. Saluta amicos nominatim.

JUDÆ APOSTOLI EPISTOLA.

Admonet pios ut sibi caveant ab eo hominum genere, qui ex Christi gratia lascivendi prætextum captant, quos non impune laturos ejus gratiæ contemptum, tribus exemplis demonstrat, & vaticinium Enoch profert: Modum denique piis ostendit, quo omnis eorum machinas disjicere queant.

IUdas IESU Christi servus, Iacobi frater, sanctificatis in Deo Patre, & Iesu Christo reservatis, vocatis,

Luc. 6, 16. Ioh. 17, 11.

2 Mise-

2 Misericordiam, & pacem & charitatem plurimam dicit.

3 Charissimi, cum vobis de communi nostra salute scribere summo studio contenderem, necesse habui vos scribendo cohortari, ut fide, quæ semel sanctis est tradita, certetis.

Phil. 1, 27. 1. Tim. 1, 18. & 6, 12.

4 Irrepserunt enim homines quidam olim ad hoc ipsum supplicium designati, impii, Dei nostri beneficium transferentes in libidinem, & Deum, qui solus herus est, Dominumque nostrum Iesum Christum negantes.

Rom. 9, 21. 22.

5 Illud autem vobis, quod semel didicistis, commemorare volo, quod Dominus, cum populum ex Ægypto servasset, rursum eos, qui non confiderant, perdidit: Num. 14, 29. &c. & 26, 64. seqq.

6 Angelosque, qui suam originem non retinuissent, sed suum domicilium reliquissent ad magni diei judicium æternis vinculis sub tenebris servandos curavit. Ioh. 8, 44. 2. Pet. 2, 4.

7 Ut Sodoma & Gomorra, finitimæque urbes, quoniam consimili modo meretricatæ, impudici corporis libidinibus obsecutæ sunt, jacent ad exemplum, pœnas igne luentes sempiterno.

Gen. 19, 24. Deut. 29, 23.

8 Similiter hi quoque somniantes, & corpora habent polluta, & dominatum repudiant, dignitatibusque maledicunt.

2. Pet. 2, 10. 11.

9 Atqui Michael ille princeps Angelus, cum disceptans cum diabolo, de Mosis corpore disputaret, non ausus est sententiam ferre maledicam, sed dixit: Increpet te Dominus.

Dan. 10, 13. & 12, 1.

10 Isti vero & quæ ignorant, de iis maledicunt: & quæ naturaliter brutorum animalium more intelligunt, in iis corrupti sunt. 2. Pet. 2, 12.

11 Væ eis, quoniam Cainiana via grassantur, & erroris Balaamici mercede profligati sunt, Coranaque conjuratione pereunt. Gen. 4, 8. Num. 16, 1. & 22, 7. 21. 2. Pet. 2, 15. 17.

12 Hi sunt in vestris charitatibus labes, irreligiose convivantes, seipsos pascentes: Siccæ nubes ventis circumactæ, arbores autumnales infructuosæ, bis mortuæ, ac eradicatæ,

Prov. 25, 14. 2. Pet. 2, 13. 17.

13 Feri fluctus maris, spumantes suas fœditates, stellæ errantes quibus reservatur caligo sempiterna tenebrarum.

Es. 57, 10.

14 De his etiam vaticinatus est septimus ab Adamo Enochus, dicens: Gen. 5, 18.

15 Venturus est Dominus cum suis sanctis legionibus, ut in omnes judiciũ exerceat, omnesque eorum impios convincat omnium quæ patraverint impie factorum, omniumque quæ contra eum atrociter dixerint sontes, impii. Zach. 14, 5.

Matth. 12, 36. & 25, 31.

16 Hi sunt oblocutores, queruli, cupiditatibus suis obsequentes, & ore loquentes prætumida, per-

personas admirantes utilitatis gratia. Ps. 15, 1. seqq. 2.Pet. 2, 18.

17 Vos vero charissimi, recordamini ea quæ a Domini nostri Iesu Christi Apostolis prædicta sunt.

18 Qui vobis dixerunt, futuros postremo tempore illusores, ex suis impiis cupiditatibus viventes. Act. 20, 29. 1. Tim. 4, 1. 2. Tim. 3, 1. 2.Pet. 3, 3.

19 Hi sunt qui seipsos secernunt, animales, spiritum non habentes. Prov. 18, 1.

20 Vos vero, charissimi, in sanctissima vestra fide vos ipsos exædificantes, sacro afflatu Deo supplicantes,

21 Vos in Dei charitate conservate, expectantes Domini nostri Iesu Christi misericordiam ad æternam vitam,

22 Et alios miseramini, delectum habentes:

23 Alios religiose servate, ex igne rapientes, exosi etiam carne coinquinatam vestem. Apoc. 3, 4.

24 Ei vero, qui vos expertes delicti servare & in gloriæ suæ conspectu inculpatos cum lætitia sistere potest,

Rom. 16, 25. Eph. 3, 20.

25 Soli sapienti Deo Servatori nostro gloria & magnitudo, imperium, & potentia, nunc & in omnia secula. Amen.

Rom. 16, 27. 1. Tim. 2, 17.

EPISTOLA AD HEBRÆOS.

CAP. I.

Ut ostendat doctrinam a Christo allatam primas tenere, quia sit omnium prophetiarum clausula, nominatim illum supra angelos effert & variis scripturæ testimoniis longe omnibus præcellere probat.

MUltifariam, & multipliciter olim Deus majores per vates alloqvutus, Num. 12, 6. 8.

2 Postremis hisce temporibus allocutus est nos per Filium, quem omnium statuit hæredem, per quem etiam mundum fecit.

Ps. 2, 8. Matth. 21, 38.

3 Qui cum sit ejus gloriæ splendor, & forma expressa substantiæ, feratque cuncta suo potenti sermone, facta per semetipsum expiatione peccatorum nostrorũ, consedit ad dexteram majestatis in sublimi: Ps. 110, 1. Sap. 7, 26. Ioh. 1, 4. & 14, 9. 2.Cor. 4, 4. Col. 1, 15. 17.

4 Tanto Angelis factus præstantior, quanto excellentius quam illi nomen obtinuit.

Eph. 1, 21. Phil. 2, 9. 10.

5 Cui enim dixit unquam Angelorum: Filius meus es tu, ego hodie genui te? Et rursum: Ego ei Pater, & ipse mihi filius erit? 2. Sam. 7, 14. 1.Par. 22, 10. & 26, 6. Ps. 2, 7.

6 Item cum in orbem inducit Primogenitum, dicit: Eumque adorent omnes divini Angeli.

Ps. 97, 8. Rom. 8, 29. Col. 1, 18.

7 Et de Angelis quidem sic dicit: Qui Angelis utitur spiritibus, & ministris ignea flamma.

Ps. 104, 4.

8 Sed

8 Sed de Filio: Solium tuum, o Dive in omnem permanet æternitatem: sceptrum æquitatis, sceptrum regni tui est.
Psal. 45, 7.

9 Iustitiam amas, perosus improbitatem propterea Deus, tuus Deus, oleo te lætifico potius inunxit, quam tuos socios.
Act. 10, 38.

10 Et: Tu principio Domine terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt cœli:
Ps. 102, 26.

11 Et illi quidem peribunt, te permanente, omnesque tanquam indumentum inveterascent.
Es. 51, 6. 2. Pet. 3, 7. 10.

12 Et te tanquam amictum eos involvente, obsolescent. At tu is es, qui annorum sis infinitorum.

13 Item, cui unquam Angelorum dixit: Sede ad meam dexteram, donec ex tuis hostibus faciam pedum tuorum subsellium?
Ps. 110, 1. Matt. 22, 44. Marc. 12, 36. 1. Cor. 15, 25.

14 Nonne sunt omnes procuratores spiritus, qui ad ministerium legantur, propter eos qui salutem adepturi sunt?
Ps. 34, 9. & 91, 11.

CAP. II.

Inde infert, Christi doctrinæ solidam audientiam deberi, & eum nobis fratris loco in carne nostra proponit, ut libentius nos totos illi tradamus.

PRopterea eo magis nobis attendenda sunt audita, ne forte perfluamus.

2 Si enim habitus per Angelos sermo ratus fuit, & omne delictum ac contumacia dignas luit pœnas:
Deut. 27, 26. Act. 7, 38. 53. Gal. 3, 19.

3 Quomodo effugiemus nos tanta salute neglecta? Quæ sumpto a Domino ejus eloquendæ initio, ab iis qui audiverant apud nos est confirmata,
Matth. 4, 17.

4 Attestante Deo ostentis & miraculis variisque prodigiis, & Spiritus Sancti donationibus, suo arbitratu.
Marc. 16, 20.

5 Non enim Angelis subjecit orbem futurum, de quo loquimur.
Heb. 1, 2. 4. 8. & 6, 5. 2. Pet. 3, 13.

6 Sic autem testificatus est alicubi quidam: Quid est homo ut ejus memineris? Quid est homine natus, ut eum cures:
Ps. 8, 5. & 144, 13.

7 Eum paululo Angelis minorem fecisti: eum gloria & honore coronasti, & operibus præfecisti manuum tuarum.

8 Omnia ejus pedibus subjecisti. Nam omnia ei subjiciendo, nihil reliquit non ei subjectum. Nunc nondum vidimus ei omnia subjecta.
Ps. 8, 7. Matth. 28, 18. 1. Cor. 15, 27.

9 Sed paulo Angelis minorem factum videmus Iesum, propter necis supplicium gloria & honore coronatum, ut Dei beneficio pro cunctis pateretur mortem.
Phil. 2, 8. 9.

10 Decebat enim, ut is, propter quem & per quem fiunt omnia, tot filiis in gloriam ducendis, eorum salutis autorem suppliciis perficeret.
Luc. 24, 6. 46.

11 Nam & qui sanctos reddit, & qui sancti redduntur, omnes sunt ab uno. Quam ob causam eum non pudet, eos vocare fratres, Act.17,26. Heb.1,10.14.

12 Dum ait: Prædicabo nomen tuum meis fratribus, in medio te cœtu collaudans.

Ps. 22, 23. 26.

13 Item: Ego ei confidam. Item: En ego & pueri, quos mihi tradidit Deus. 1. Sam. 22, 3.

Ps. 18,3. Es. 8,18. Ioh. 10,29. & 17, 6. 9. 1. 12.

14 Jam cum pueri carnem & sanguinem habeant, ipse similiter iisdem præditus fuit, ut per mortem aboleret eum, qui mortis habebat imperium, hoc est Diabolum: Es.25,8. Os.13,14.

1. Cor. 15, 54.

15 Eosque liberaret, qui mortis metu per omnem vitam servituti erant obnoxii.

Luc. 1, 74. Rom. 8, 15.

16 Non enim Angelis, sed Abrahæ posteris opitulatur:

17 Et proinde debuit per omnia fratribus esse similis, ut misericors fieret, fidusque Pontifex in rebus divinis, quo populi peccata expiaret. Phil. 2, 7.

18 Quoniam enim passus est ipse periclitando, potest periclitantibus subvenire.

Heb. 4, 15. 16.

CAP. III.

Nunc ostendit, quanto inferior sit Moses Christo, nempe quantum distat servus a domino, inde exhortationes minasque admiscet ex Davidis testimonio, si quis vel contumaciter repugnet, vel ad obsequendum sit tardior.

PRoinde fratres sancti, cœlestis vocatus participes, considerate legatum & pontificem professionis nostræ Christum Iesum,

Rom. 15, 8. Phil. 3, 14.

2 Fidelem erga eum, a quo factus est, ut Moses in tota ejus domo fidelis erat.

Num. 12, 7.

3 Hic enim tanto majore quam Moses gloria affectus est, quanto majorem habet quam domus honorem is, qui eam condidit.

Zach. 6, 12. Matth. 16, 18.

4 Omnis enim domus ab aliquo conditur, qui autem omnia condidit, Deus est.

2. Cor. 5,17. Eph. 2,10.

5 Et Moses quidem fidelis erat in universa domo, ut famulus, ad ea testanda, quæ erant dicenda:

Deut. 18, 15. 18. Sup. v.2.

6 At Christus ut filius est ejus domui præpositus, cujus domus sumus nos, si modo confidentiam & spei gloriationem ad extremum firmam retinemus.

7 Quamobrem, ut ait Spiritus Sanctus: Hodie si ejus vocem audieritis, Ps. 95, 7.

Infr. v. 15. & 4, 7.

8 Nolite mentes obfirmare vestras, ut in jurgio, die tentationis in solitudine,

Exod.17,2. Num.20,13.

9 Ubi me tentavere majores vestri, cum me probaverunt & opera mea viderunt annos quadraginta.

10 Itaque pertæsus illius nationis, cogitans eos semper animis errare, meorumque institutorum ignaros esse,

11 Ira-

11 Iratus juravi, non esse in meam requietem ingressuros.
Num. 14, 21.

12 Videte fratres, ne forte sit in aliquo vestrum prava diffidentiæ mens, deficiendo a vivente Deo:

13 Quin vos inter vos quotidie cohortamini, quamdiu hodie dicitur, ne quis vestrûm peccati fraude occallescat.

14 Etenim Christi consortes facti sumus, si modo hoc argumentum ab initio ad finem firmum tenemus, Rom. 8, 17.

15 In quo dicitur: Hodie si ejus vocem audieritis, nolite mentes obfirmare vestras, ut in jurgio.
Supr. v. 7.

16 Nam pars eorum, qui audiverunt, jurgati sunt, non omnes ex Ægypto ductu Mosis egressi.

17 Quorum ergo pertæsus est annos quadraginta? nonne eorum qui peccarunt, quorum membra ceciderunt in solitudine? Num. 14, 36. Ps. 106, 26. 1. Cor. 10, 5. &c.

18 Quibus autem juravit, non esse in suam requietem ingressuros, nisi contumacibus?
Num. 14, 30. Deut. 1, 34.

19 Quos videmus ingredi non potuisse propter diffidentiam.

CAP. IV.

Adhortationem comminationi admiscet, ne quemadmodum patres requie sibi oblata priventur, sed in eam ingredi studeant. Inde initium facit retractandi de sacerdotio Christi.

QUamobrem metuamus, ne, si forte desinat ingrediendi in ejus requietem promissio, aliquis nostrûm tardasse videatur.

2 Etenim nobis denunciatum est, quemadmodum illis. Sed illis nihil auditus sermo profuit, non conjunctus cum eorum fide qui audiverant.

3 Ingredimur enim in requietem, qui fidem habemus, quemadmodum dixit: Iratus juravi, non esse in meam requietem ingressuros: cum tamen eæ res ab orbe condito fuissent.
Psal. 95, 11.

4 Nam quodam in loco de die septimo sic dictum est: Requievitque Deus die septimo ab omnibus suis operibus.
Gen. 2, 2. Exod. 20, 11. & 31, 17. Deut. 5, 14.

5 Atque hîc rursum: Non esse in meam requietem ingressuros.

6 Ergo cum supersit, ut aliqui in eam ingrediantur, & quibus ante denunciatum est, non ingressi sint propter contumaciam,

7 Rursum quandam statuit David diem, Hodie dicens, tanto post tempore, ut dictum est: Hodie si ejus vocem audieritis, nolite mentes obfirmare vestras.
Ps. 95, 7. Sup. 3, 7. 15.

8 Si enim eos Iosua quietos reddidisset, nunquam ille postea de alio loqueretur die.

9 Superest ergo Sabbatismus divino populo.

10 Qui enim Dei requietem ingressus est, is a suis requievit operibus, quemadmodum Deus a suis.

11 Quamobrem demus operã, ut in illam quietem ingrediamur,

ne quis eodem contumaciæ exemplo cadat.

12 Est enim divinus sermo vivus & efficax, & quovis ancipiti gladio acutior, & penetrans usque ad divisionem animæ & spiritus, compagumque & medullarum, & animi cogitationum, consiliorumque judex.

Eccl. 12, 11. Es. 49, 2.

13 Adeoque nulla res ei obscura est, ut omnia nuda ac resupina sint ejus oculis, de quo loquimur.

Ps. 33, 13. seqq. & 34, 16. & 90, 8. & 139, 11. seqq.

14 Habentes ergo summum Pontificē, qui cœlos penetravit, Iesum Dei Filium, teneamus professionem. Heb. 3, 1. & 6, 20. & 7, 26. & 8, 1. & 9, 11. 24. & 10, 23.

15 Non enim eum habemus Pontificem, qui nostris infirmitatibus affici non possit: sed qui sit in omnibus similiter periclitatus citra peccatum.

Es. 53, 9. Luc. 22, 28.

16 Accedamus ergo confidenter ad gratiæ solium, ut misericordiam adipiscamur, & gratiam inveniamus ad opportunum auxilium. Rom. 3, 25.

Eph. 2, 18. & 3, 12.

CAP. V.

Primo docet quodnam sit summi Pontificis officium. Secundo Christum a Deo nostrum Pontificem constitutum esse, & bene præstitisse quæ summi Pontificis erant.

OMnis enim Pontifex ex hominibus desumptus pro hominibus præest rebus divinis, ut munera victimasque libet pro peccatis: Heb. 2, 17. & 8, 3.

2 Porestque facilis esse ignorantibus & hallucinantibus: utpote cum ipse sit infirmitate circumdatus, Heb. 2, 18. & 4, 15. & 7, 28.

3 Et propter hanc debeat, ut pro populo, sic etiam pro seipso libare piacula.

Lev. 9, 7. & 16, 3. &c.

4 Neque sibi quisquam eum honorem arrogat, nisi qui vocatur a Deo, quemadmodum Aharon. Exod. 28, 1. 1. Par. 23, 13.

5 Sic Christus quoque non ipse sibi eum honorem vendicavit, ut fieret Pontifex: sed is qui eum allocutus est: Tu meus es Filius, ego te hodie genui.

Ps. 2, 7. Ioh. 8, 54. Sup. 1, 5.

6 Sicut alibi quoque dicit: Tu es sacerdos in perpetuum ad rationem Melchisedechi.

Ps. 110. 4. Infr. 7, 17.

7 Is Christus cum mortalis ageret, precibus ac supplicationibus ei, qui se a morte servare poterat, libatis cum vehementi questu, ac lachrymis, & pro sua pietate exauditus,

Matt. 26, 38. &c. & 27, 46. 50.

8 Quamvis Filius, didicit tamen ex iis quæ passus est, obedientiam: Phil. 2, 6.

9 Et perfectus omnibus sibi obedientibus salutis æternæ causa fuit, Heb. 2, 10.

10 Appellatus a Deo Pontifex ad rationem Melchisedechi.

11 De eo nobis multa dicenda sunt, eaque explicatu difficilia, quandoquidem vos auribus segnes estis.

12 Etenim cum per tempus magistri esse debeatis, rursum docendi estis, quæ prima divinorum

oraculorum

oraculorum elementa sint: & ii estis, quibus lacte sit opus, non solido cibo.

1. Cor. 3, 1. 2. 3.

13 Cuicunque enim cum lacte res est, is orationis justitiæ rudis est, quippe infans. 1. Cor. 3, 2. & 14, 20. Eph. 4, 14.

14 Adultorum autem est solidus cibus, qui propter habitum, sensus habent ad boni malique discretionem exercitatos.

CAP. VI.

Hebræorum puerilem ignaviam perstringens, severa denunciatione eos terret, & mature proficiendi studium excitat, meliora de ipsis sperans, Abrahæ exemplum citat, fidemque verbo Dei innixam, anchoræ comparat.

QUapropter omisso rudimentorum Christi sermone, ad perfectionem tendamus, non denuo fundamentum jacientes correctionis mortuorum operum, fidei Deo habendæ,

2 Doctrinæ baptismatum, impositionisque manuum, & resurrectionis mortuorum, supplicii-que sempiterni.

3 Atque id faciemus, si permiserit Deus. Act. 18, 21. 1. Cor. 4, 19.

4 Fieri enim non potest, ut qui semel collustrati cœleste donum gustarunt, & participes fuerunt Sancti Spiritus,

Matt. 12, 31. 45. 2. Petr. 2, 20. Infr. 10, 26.

5 Præclaraque Dei dicta & ævi futuri virtutes gustarunt,

6 Et tamen relabuntur, ii iterum vitæ correctione renoventur: qui sibi Dei Filium iterum crucifigant, & in eum exemplum edant.

7 Nam terra, quæ imbrem sæpius in se venientem combibit, & herbam parit illis accommodatam, propter quos colitur, ea Dei favore felicitatur.

8 At quæ spinas effert & tribulos, improba est & affinis execrationi, ad extremumque exurenda.

9 Quanquam de vobis, amici, meliora nobis, & saluti vicina persuasimus, licet ita loquamur.

10 Nec enim ita injustus Deus est, ut oblitus sit opus vestrum, laboremve charitatis, quam exeruistis in ejus nomen, dum sanctis & ministrastis, & ministratis: Prov. 14, 31. Matth. 10, 42. & 25, 40.

11 Verum optamus, ut vestrûm quisque idem studium ad fidei plenitudinem præstet ad extremum,

12 Ne sitis ignavi, sed eorum imitatores, qui per fidem & patientiam obtinent promissa.

13 Nam Abrahamo promittens Deus, cum per nullum majorem jurare posset, juravit per seipsum, Gen. 12, 3. & 17, 4. & 22, 16. Ps. 105, 9. Luc. 1, 73.

14 Dicens: Ni ego te fortunabo, & amplificabo.

15 Atque ita, cum ille patiens fuisset, promissum consecutus est.

16 Homines enim per majorem jurant, eisque omnium controversiarum finis est jusjurandum, ad rem confirmandam. Exod. 22, 11.

17 Itaque volens vehementius demonstrare Deus hæredibus promissi immutabilitatem sui consilii, jusjurandū interposuit,

18 Ut per duas immutabiles res (in quibus ut Deus mentiatur, fieri non potest) validam consolationem habeamus, qui ad tenēdam spem propositā confugimus,

19 Quam velut ancoram habemus animi tutam atque firmam, & intra siparium intrantem,

20 Quo præcursor pro nobis intravit Iesus ad Melchisedechi rationem Pontifex factus in sempiternum. Heb. 3, 1. & 4, 14. & 8, 1. & 9, 11.

CAP. VII.

Hactenus ipsos stimulavit, ut attente expenderent, quæ in Melchisedecho considerandæ sunt. In quibus similis sit Christus. In summa cur cedere Lex Evangelio debeat.

IS enim Melchisedechus Solymæ Rex, summi Dei sacerdos, qui Abrahamo a regum cæde redeunti occurrit, eumque faustis ominibus prosecutus est, Gen. 14, 18.

2 Cui etiam decumas omnium dedit Abrahamus: qui Melchisedechus primum justitiæ regem sonat: deinde Solymæ rex, hoc est pacis rex,

3 Sine patre, sine matre, sine majoribus, nec ævi principium, nec vitæ finem habens, ac Dei Filio consimilis, manet sacerdos in perpetuum.

4 Videtis autem quantus sit hic, cui etiam decumas dederit Abrahamus ex manubiis, summus ille pater. Gen. 14, 20. Num. 18, 21.

5 Et quidem qui a Levi genus ducentes sacerdotium ineunt, in mandatis habent, ut populum ex lege deciment: hoc est suos consanguineos, quamvis ex Abrahami lumbis egressos. Deut. 18, 1. Ios. 14, 4.

6 Is vero, qui ad idem cum eis genus non refertur, Abrahamum decimavit, & habentem promissa prosecutus est faustitate. Gen. 14, 20. Gal. 3, 16.

7 Iam vero sine ulla controversia, minori a præstantiore impertitur faustitas.

8 Et hic quidem decumas morituri homines accipiunt: at illic is quem vivere traditur.

9 Atque, ut ita dicam, in Abrahamo etiam Levis, qui decumas accipit, decimatus est.

10 Adhuc enim in patris lumbis erat, cum illi Melchisedechus occurrit. Gen. 14, 20.

11 Quod si in Levitico sacerdotio sita foret perfectio (nam sub eo sacerdotio lata lex est populo) quid jam opus esset ad rationem Melchisedechi alium existere sacerdotem dici, ac non ad Aaronis rationem? Gal. 2, 21. Infr. v. 18. 19.

12 Transferendo enim sacerdotio, etiam legis translatio fiat necesse est.

13 Nam de quo hæc dicuntur, is aliæ tribus est, ex qua nullus astat aræ.

14 Perspicuum est enim, a Iuda exortum esse Dominum nostrum: ad quam tribum quod pertineret, nihil de sacerdotio locutus est Moses. Es. 11, 1. Matth. 1, 2. &c.

15 Atque

15 Atque id eo etiam magis manifestum est, si ad Melchisedechi similitudinem existit sacerdos alius,

16 Qui non ex humani præcepti lege factus sit, sed ex vi indissolubilis vitæ.

17 Sic enim testatur: Tu es sacerdos in æternum ad rationem Melchisedechi.

Ps. 110, 4. Sup. 5, 6.

18 Fit enim præcepti superioris abrogatio, propter ejus infirmitatem & inutilitatem.

Gal. 4, 9.

19 Quandoquidem nihil perfecit lex, sed adjectio melioris spei, per quam ad Deum accedimus: Ioh. 1, 17. Act. 13, 39.

20 Melioris, inquam, quatenus non abest jusjurandum. Nam illi sine jusjurando facti sunt sacerdotes:

21 Hic vero cum jurejurando, per eum qui de eo sic dicit: Jurat Dominus, non mutaturus sententiam, Tu sacerdos es in æternum ad rationem Melchisedechi.

Ps. 110, 4.

22 Tanto præstantioris Testamenti sponsor fuit Iesus.

Hebr. 8, 6.

23 Et illi quidem plures fuere sacerdotes, quod morte prohiberentur permanere.

24 At hic, quia durat in sempiternum, nunquam transiturum habet sacerdotium:

25 Et idcirco plane servare potest eos, qui per ipsum Deum adeant, quippe qui semper vivat ad supplicandum pro eis.

Rom. 8, 34. 1. Tim. 2, 5.

26 Talis enim nobis convenibat Pontifex, pius, vitii expers, intemeratus, a sontibus alienus, cœlisque sublimior factus,

1. Ioh. 2, 2.

27 Qui non habet quotidie necesse, sicut Pontifices, prius pro suis peccatis victimas libare, deinde pro populi. Hoc enim semel fecit, dum seipsum libavit.

Lev. 9, 7. & 16, 6. 11.

28 Lex enim homines constituit Pontifices, imbecillitate præditos: at jurisjurandi legem secuti sermo, Filium in perpetuitatem perfectum.

Heb. 2, 10. & 5, 1. 2. 9.

CAP. VIII.

Quo certius probet abrogatas esse Legis ceremonias, ideo institutas esse commemorat, ut cœlesti prototypo servirent, Ieremia locum adducit, ut veteris Testamenti correctionem probet.

HUjus autem orationis summa est, quod ejusmodi habemus Pontificem, qui consedit ad dexteram solii majestatis in cœlis, Eph. 1, 20. Col. 3, 1.

2 Sanctuarii sacrificus, & veri tabernaculi, quod fixit Dominus, non homo.

3 Omnis enim Pontifex ob munera victimasq; libandas constituitur: ideoque necesse est, ut hic quoque aliquid habeat, quod libet.

Eph. 5, 2. Hebr. 5, 1.

4 Nam si foret in terris, ne sacerdos quidem esset, cum sint sacerdotes qui ex lege munera obmoveant,

5 Qui quidem cœlestium exemplo & umbra ceremoniis operantur, quemadmodum oraculo

monitus est Moses, absoluturus Tabernaculum. Vide, inquit, ut omnia facias ad exemplum tibi in monte demonstratum.

Exod. 25, 40. Act. 7, 44.

6 Nunc hic tanto præstantius sortitus est munus, quanto melioris est Testamenti sequester, quod melioribus adhibitis promissis compositum est.

2. Cor. 3, 6. Heb. 7, 22.

7 Si enim primum illud vitio careret, non quæreretur secundi locus.

8 Atqui ille eos accusans sic loquitur: Futurum est (inquit Dominus) ut faciam cum Israelis Judæque domo novum Testamentum, Ier. 31, 31. seqq.

Rom. 11, 27. Infr. 10, 16.

9 Non quale testamentum feci cum eorum majoribus, tum cum eos manu prehensos ex Ægypto eduxi. Nam illi in meo testamento non manserunt, & ego eos neglexi, inquit Dominus.

10 Sed hoc est testamentũ quod cum Israelis domo faciam post illud tempus, inquit Dominus: Indam meas leges in eorum mentes, inque eorum animos eas inscribam, & ego eis Deus, & ipsi mihi populus erunt.

Ier. 31, 33. &c. Zach. 8, 8.

11 Neque jam inter sese & alii alios Dominum cognoscere docebunt: nam omnes ab eorum minimo ad maximum me cognoscent:

Ioh. 6, 45. 65. Heb. 10, 16.

12 Quoniam eorum vitiis veniam dabo, nec eorum peccata & scelera deinceps recordabor.

Rom. 11, 27.

13 Dum novum dixit, prius antiquavit. Quod autem antiquatur ac senescit, id est prope interitum.

CAP. IX.

Tabernaculi dispositionem & ritus Legales ad veritatem in Christo exhibitam conferens, concludit non jam amplius alio sacerdote opus esse, quia ipse Christus sub novo Testamento has partes impleat.

HAbebat autem prius Testamentum instituta ceremoniarum, mundanumque sacrarium:

Exod. 25, 30. & 27, 1. & 36, 1.

2 Fuit enim conditum primum tabernaculum, in quo erat candelabrum, & mensa, & appositio panum, quæ sacra dicitur.

3 Post secundum velum erat Tabernaculum, quod sacrarium sanctius appellatur,

4 Aureum habens thuribulum, & arcam testamenti, undique tectam auro: in qua erat urna aurea, habens manna, & Aharonis virga quæ germinaverat, Testamentique tabulæ. Num. 17, 10.

1. Reg. 8, 9. 2. Par. 5, 10. Exod. 25, 16. 21.

5 Super eam erant splendidi Cherubi Propitiatorium inumbrantes, de quibus non est nunc dicendum singulatim.

6 His autem ita compositis, in primum tabernaculum semper ingrediuntur sacerdotes, ceremonias obeuntes:

Num. 28, 3.

7 At in secundum semel in anno solus Pontifex, non absque sanguine,

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt urn:nbn:de:gbv:3:1-648051-p0416-5 DFG

sangvine, quem & pro seipso, & pro populi imprudenter commissis libat: Exod. 30, 10. Lev. 16, 2. &c.

8 Hoc declarante Sancto Spiritu, nondum patefactam sacrarii viam, adhuc priore Tabernaculo statum habente: quæ ejusmodi res erat, ut præsens in tempus aliam rem indicaret, Ioh. 14, 6.

9 Quo tempore munera & hostiæ libarentur, quæ immolatorem, quod ad conscientiam attinet, perficere non possent, Act. 13, 39.

10 Posita tantum in cibis & potionibus, diversisque lotionibus & carnalibus institutis usque ad correctionis tempus. Lev. 11, 2, Num. 19, 7.

11 At Christus advenit futurorum bonorum Pontifex, qui per majus perfectiusque Tabernaculum non manu factum, hoc est non hujus structuræ, Heb. 3, 1. & 4, 14. & 6, 20. & 8, 1.

12 Neque per hircorum & vitulorum sangvinem, sed per suum ipsius sangvinem, ingressus est semel in Sacrarium, æternam liberationem adeptus. Act. 20, 28. Eph. 1, 7.

13 Si enim taurorum & hircorum sangvis, juvencæque cinis pollutos aspergens, lustrat ad corporis puritatem: Lev. 16, 14. Num. 19, 4.

14 Quanto magis Christi sanguis, qui per æternum Spiritum seipsum libavit innocentissimum Deo, purgavit nostram conscientiam a mortuis operibus, ut viventem colamus Deum? Luc. 1, 75. Rom. 6, 13.

15 Atqui ideo novi Testamenti sequester est, ut mortis interventu ad expiationem commissorum in primum Testamentum, vocati consequantur promissam hæreditatem sempiternam. Act. 13, 39. Rom. 3, 25.

16 Nam ubi est testamentum, testatoris mortem consequi necesse est.

17 Testamentum enim post mortem ratum est: siquidem nondum valet, dum vivit testator. Gal. 3, 15.

18 Itaque ne primum quidem sine sangvine sancitum est.

19 Effatus enim omnia mandata ex lege Moses universo populo, sumpto vitulorum & hircorum sangvine, cum aqua & lana coccina ac hyssopo, ipsum librum ac universum populum conspersit, Exod. 24, 5. 6.

20 Dicens: Hic est sangvis Testamenti, quod ad vos mandavit Deus. Matth. 26, 28.

21 Tabernaculum quoque, & omnem ceremoniarum supellectilem, sangvine similiter omnia conspersit. Exod. 29, 36. Lev. 18, 15. 19. & 16, 14.

22 Et fere sangvine omnia ex lege purgantur, nec absque sangvinis fusione datur venia. Lev. 17, 11.

23 Necesse est ergo, cœlestium exempla hisce purgari: ipsa autem cœlestia potioribus sacrificiis quam sunt hæc.

24 Non enim in manufactum sacrarium ingressus est IEsus, quod veri Sacrarii exēplar foret:

in ipsum cœlum, ut nunc Deo coram appareat pro nobis.

Rom. 8,34. Heb. 7, 25.

25 Neque ut sæpe seipsum libaret, quemadmodum Pontifex ingreditur Sacrarium quotanis adhibito sangvine alieno:

Exod. 30, 10. Lev. 16, 2. 34.

26 Alioquin fuisset ei sæpe patiendum supplicium ab orbe condito. Nunc semel sub seculorum exitu, ad obliterandum suo sacrificio peccatum, extitit.

1. Cor. 10, 11. Eph. 1, 10. Gal. 4, 4.

27 Ac quomodo hominibus semel moriendum est, deinde subeundum judicium:

28 Ita Christus semel ad multorum tollenda peccata libatus, iterum sine peccato conspicietur expectantibus se ad salutem.

Matth. 26, 28. Rom. 5, 6. 8. 15. & 6, 10. 1. Pet. 3, 18.

CAP. X.

Legis sacrificia inde colligit infirma fuisse, quia quotannis repetebantur; Christi vero hostiam unicam esse, & perpetuam, Davidis testimonio probat. Hinc exhortationem subjiciens severe iis minatur, qui Christi gratiam abjecerint. Postremo tolerantiam, quæ ex fide nascitur, commendat.

UMbram enim habens Lex futurorum bonorum, non ipsam rerum repræsentationem, anniversariis iisdem sacrificiis, quæ jugiter fiunt, nunquam potest accedentes perficere.

Col. 2, 17. Heb. 8, 5. & 9, 9.

2 Alioquin nonne fieri desiissent, quod semel purgati immolatores, nullius jam sibi peccati essent conscii?

3 Atqui per ea fit quotannis peccatorum commemoratio.

4 Fieri enim non potest, ut taurorum, caprorumque sangvis peccata tollat.

Lev. 16, 14. Num. 19, 4.

5 Itaque in mundum ingrediens dicit: Sacrificium & fertum tibi non placet, corpus autem perfecisti mihi:

Es. 1, 11. Ier. 6, 20. Amos, 5, 21. Ps. 40, 7. & 51, 18.

6 Victimis & piaculis non delectaris.

7 Tunc dixi: En adsum: in capite libri scriptum est de me, ut exequar, Deus, voluntatem tuam.

8 Cum superius dixisset sacrificium & fertum, & victimas & piacula ei non placere, nec accepta esse quæ ex lege fiunt, deinde dicit: En adsum, ut exequar, Deus, voluntatem tuam,

9 Tollit prius ut alterũ statuat:

10 In qua voluntate semel lustrati sumus per corporis Iesu Christi libationem.

Heb. 9, 12.

11 Cumque omnis sacerdos pergat quotidie ceremoniis fungi, & eadem sæpe sacrificia facere, quæ peccata adimere nunquam possunt,

12 Ille uno pro peccatis functus in perpetuum sacrificio, consedit ad Dei dexteram.

Ps. 110, 1. Act. 2, 34.

13 Deinceps expectans, donec ejus hostes fiant ejus pedum subsellium.

1. Cor. 15, 25. Sup. 1, 13.

14 Uno enim libamento perfecit in perpetuum lustrandos.

15 Id

15 Id quod nobis testatur etiam Spiritus Sanctus, qui ita prædixerit:
Ier. 13, 33. Rom. 11, 27. Sup. 8, 8.
16 Hoc est testamentum, quod cum eis faciam post illud tempus, inquit Dominus: Indam meas leges in eorum mentes, inque eorum animos inscribam,
17 Nec eorum peccata & scelera deinceps recordabor.
18 Ubi autem est peccatorum venia, nulla superest pro peccato libatio.
19 Quamobrem fratres, cum ad sacrarium aditum habeamus liberum, per Iesu sanguinem,
Rom. 5, 2. Heb. 9, 8. 12.
20 Quam viam nobis lustravit recentem atque vivam, per velum, hoc est per suum corpus,
21 Cumque Pontificem habeamus Dei domui præfectum,
Heb. 4, 14. 16.
22 Accedamus cum vero animo, plenaque fide, & animis a mala conscientia ablutis, & corporibus aqua pura lotis,
Ezech. 6, 25. Eph. 3, 12.
23 Teneamus spei professionem immobilem (fidelis enim est qui promisit) 1. Cor. 1, 9.
24 Et videamus ut alii alios ad charitatem & recte facta provocemus:
25 Neve nostram consociationem deseramus, ut solent nonnulli: sed cohortemur, idque eo magis quod videtis instare diem.
Rom. 13, 11.
26 Nam si postquam veri cognitionem assecuti sumus, data opera peccamus, non jam superest ullum pro peccatis sacrificium,
Num. 15, 30. Matth. 12, 31.
27 Sed horrenda quædam expectatio judicii, ignisque sævitia adversarios confecturi.
Ezech. 36, 5. Sophon. 1, 18. & 3, 8.
28 Si quis contra Mosaicam legem commisit, is citra ullam misericordiam, ex duorum triumve testimonio moritur:
Num. 35, 30. Deut. 17, 6. & 19, 15.
29 Quanto graviore putatis afficiendum pœna, qui Dei Filium proculcaverit, Testamentique sangvinem, per quem lustratus est, pro profano habuerit, & gratiæ spiritum affecerit contumelia? 1. Cor. 11, 29.
30 Scimus enim quis dixerit: Mea est ultio, ego rependam, inquit Dominus Item, Dominus vindicabit suum populum:
Deut. 32, 35. 36. Rom. 12, 19.
31 Horribile est in viventis Dei manus incidere.
32 Recordamini vero superiora tempora, in quibus colluſtrati magnum adversorum certamen sustinuistis, Gal. 3, 4.
33 Partim dum ipsi per contumelias & calamitates ostentui fuistis: partim dum socii fuistis eorum, cum quibus sic actum est. Phil. 1, 7. & 4, 14.
34 Nam & meorum vinculorum vicem doluistis, & facultatum vestrarum direptionem cum lætitia tulistis, intelligentes habere vos penes vosipsos meliores opes in cœlis & durabiles.
Matt. 5, 12. & 6, 20. & 19, 21.
35 Quapropter nolite vestram projicere confidentiam, quæ magnum est habitura præmium.
Matt. 10, 32.
36 Na n

36 Nam patientia vobis opus est, ut Dei voluntatem executi promissa reportetis. Luc. 21, 19.

37 Etenim perpaulo post qui venturus est, veniet, neque tardabit. Hab. 2, 3. 4.

38 Iustus autem fide vivet: quod si se subtraxerit, non est acceptus animo meo.

39 Nos vero non ii sumus, qui nos subtrahamus ad perniciem: sed qui fidamus ad vitam comparandam.

CAP. XI.

Tractat usque ad finem capitis, non aliunde salutem adeptos esse patres, quicunque ab initio mundi Deo probati fuerunt, quam ex fide: Ut sciant Iudæi, hac sola se colligari patribus in sanctam unitatem.

ESt autem fides speratorum substantia, rerum demonstratio quæ non cernuntur. Rom. 8, 24. 1. Cor. 2, 9.

2 Atque in ea explorati sunt antiqui.

3 Fide intelligimus mundum esse Dei jussu conditum, ita ut ex iis quæ non extabant, facta sint ea quæ cernuntur. Gen. 1, 1. Ps. 33, 6.

4 Fide præstantiorem rem divinam fecit Abel, quam Cainus, Deo: per quam eum justum esse testatum est, ejus muneribus testimonium dante Deo: & per eandem mortuus adhuc loquitur. Gen. 4, 4. 10. Matth. 23, 35.

5 Fide Enochus ita translatus est, ut mortem passus non sit: & a Deo translatus nusquam extitit. Nam ante ejus translationem, testatum est eum placuisse Deo: Gen. 5, 24. Eccl. 44, 16. & 49, 16.

6 Cui ut sine fide placeatur fieri non potest. Credendum est enim ei, qui ad Deum accedat, Deum esse, & sui studiosis præmia rependere.

7 Fide admonitus oraculo Noa de rebus, quæ nondum cernebantur, veritus Deum, extruxit arcam ad suæ familiæ salutem, per quam damnavit mundum, & positam in fide justitiam obtinuit. Gen. 6, 13. Eccl. 44, 17.

8 Fide vocatus Abrahamus obedivit, in locum proficiscendo, quem hæreditate obtenturus erat: & profectus est nesciens quo vaderet. Gen. 12, 1. 4. Act. 7, 2.

9 Fide migravit in promissam terram ut alienam, & in tabernaculis habitavit cum Isaaco, & Iacobo, ejusdem cum eo promissi cohæredibus.

10 Expectabat enim fundamenta habentem urbem, cujus artifex opifexque Deus est. Heb. 3, 4. & 12, 22. & 13, 14.

11 Fide ipsa quoque Sara vires ad jactum seminis accepit, præterque tempus ætatis peperit, quandoquidem fidum existimavit promissorem. Gen. 17, 19. & 21, 2.

12 Itaque ex uno eoque emortuo, tam multi nati sunt, quantus est cœlestium stellarum numerus, aut arenæ, marini littoris, quæ est innumerabilis. Gen. 15, 5. & 22, 17.

13 Fide præditi, mortui sunt omnes hi, non adepti promissa, sed ea procul conspicati crediderunt & amplexi sunt, seque in terra

terra hospites & peregrinos esse confessi. Gen. 23, 4.
& 47, 9. 1. Par. 29, 15.

14 Qui enim dicunt talia, patriam se requirere declarant.

15 Quod si eam recordarentur, ex qua profecti sunt, haberent revertendi tempus.

16 Nunc potiorem desiderant, hoc est cœlestem. Itaque Deum non pudet eorum, quo minus eorum Deus appelletur: quippe quibus urbem paraverit.
Exod. 3, 6. Matth. 22, 32.

17 Fide libavit Abrahamus Isaacum, cum tentaretur: unigenitum obtulit, is cui illa promissa fuerant.
Gen. 22, 2. Eccl. 44, 21.

18 Cui dictum fuerat, ejus progeniem ab Isaaco denomitum iri:
Gen. 21, 12. Rom. 9, 7.

19 Cogitans Deum vel ex mortuis excitare posse; unde eum videtur quodam modo recepisse.

20 Fide in futurum fausta precatus est Isaacus, Iacobo & Esao. Gen. 27, 27. 39.

21 Fide Iacobus moriens, utrique filio Iosephi bene precatus est, & in caput baculi sui sese venerabundus inclinavit.
Gen. 47, 31. & 48, 15.

22 Fide Iosephus decedens, Israelitarum exitum memoravit, deque suis ossibus mandata dedit. Gen. 50, 24.

23 Fide Moses natus tres menses a parentibus occultatus est, qui puerum elegantem videntes, regis edictum veriti non sint.
Exod. 1, 16. & 2, 2. 11.

24 Fide Moses postquam adolevit, filiæ Pharaonis filius dici recusavit,
Exod. 2, 10. 11. Ps. 84. 11.

25 Maluitque cum divino populo mala pati, quam brevem habere peccati fruitionem:

26 Majores divitias esse ratus Christi probrum, quam Ægypti thesauros, utpote qui præmium spectaret.

27 Fide reliquit Ægyptum, non veritus regis iram: tanquam enim inaspectabilem aspiceret, sic duravit. Exod. 10, 28.
& 12, 31. & 13, 17.

28 Fide Pascha sangvinisque fusionem fecit, ne primogenitorum interfector illos tangeret.
Exod. 12, 3. & 21, 22.

29 Fide item ille mare rubrum tanquam terra sicca trajecerunt: quod experti Ægyptii exhausti sunt. Exod. 14, 21.

30 Fide Hierichuntis mœnia collapsa sunt, per septem dies circundata.
Ios. 6, 20.

31 Fide Rachaba meretrix non periit una cum diffidentibus, quæ exploratores amice accepisset. Ios. 2, 1. & 6, 23.

32 Denique quid multis? Deficiet me tempus narrantem de Gedeone, Baraco, Sampsone, Iephtha, Davide, Samuele, & vatibus,
Iudic. 4, 6. & 6, 11. & 11, 1.
& 12, 7. & 13, 24.

33 Qui per fidem regna expugnarunt, justitia functi sunt, adepti sunt promissa, obturarunt fauces leonum,
Iud. 14, 6. 1. Sam. 17, 34.

34 Vim ignis extinxerunt, gladi-

gladiorum mucrones effugerunt, convaluerunt ex morbis, fortes in bellis fuerunt, agmina verterunt hostium,
Iud. 7, 21. & 15, 15.

35 Receperunt fœminæ revocatos in vitam suos mortuos. Alii autem cruciati sunt, neque se liberari siverunt, quo meliorem assequerentur resurrectionem. 1. Reg. 17, 23. 2. Reg. 4, 36. 2. Macc. 6, 19. & 7, 28.

36 Alii lubidria, & scuticas, itemque vincula & custodias experti sunt, Ier. 20, 2.

37 Lapidati, secti, tentati sunt, gladii cæde interierunt, ovinas, caprinasque pelles gestarunt, egentes, calamitosi, ærumnosi,
1. Reg. 2, 13, 2. Reg. 1, 8.

38 Quibus dignus non erat mundus, per deserta, & montes, antraque & terræ specus errantes.

39 Atque hi omnes fide explorati, non obtinuerunt promissum, Heb. 11, 2.

40 Deo de nobis quiddam melius providente, ne illi sine nobis perfecti redderentur.

CAP. XII.

Non modo ab eorum patrum, quos recitabit, exemplis hortatur ad patientiam & constantiam, sed etiam ab exemplo Christi. Non recte æstimatum iri castigationes Dei ex præsenti carnis nostra sensu.

PRoinde nos quoque tanto circumsepti nimbo testium, deposito omni fastu tenacique peccato, patienter decurramus propositum nobis certamen,
Rom. 6, 4. 1. Cor. 9, 24.

2 Spectantes in fidei ducem perfectoremque Iesum, qui pro lætitia sibi proposita, sustinuit contempto pudore, crucem, & ad dexteram solii Dei consedit.
Luc. 24, 26. 46.

3 Considerate vero eum, qui tantos pertulit improborum adversum se insultus, ne defatigati animos despondeatis.

4 Nondum usque ad sangvinem restitistis, adversus peccatū decertantes, 1. Cor. 10, 13.

5 Et obliti estis cohortationis, quæ vos ceu filios alloquitur: Fili mi, ne contemne Domini castigationem: neve desponde, eo te corrigente.
Iob. 5, 17. Prov. 3, 11. 21.

6 Quem enim amat Dominus, castigat: & verberat, quemcunque filium acceptum habet.

7 Si castigationem sustinetis, ut filiis vobis utitur Deus. Quis est enim filius, quem non castiget pater?

8 Quod si castigationis expertes estis, cujus participes fuerunt omnes, ergo spurii estis, non veri liberi.

9 Ergone cum corporum nostrorum patres haberemus castigatores, reverebamur? non multo magis parebimus spiritum Patri, ut vivamus, Num. 16, 22. & 27, 16. Eccl. 12, 1. 7.

10 Nam illi ad tempus exiguum prout eis videbatur, castigabant: hic vero ad utilitatem, quo ejus sanctitatem participemus.

11 Omnis quidem castigatio in præsentia non voluntatis, sed doloris esse cernitur: verum tandem salutarem justitiæ fructum reddit

reddit iis, qui per eam sunt exercitati.

12 Quocirca remissas manus, dissolutaque genua porrigite, Es. 31, 3.

13 Et rectas pedibus istis orbitas imprimite, ne claudum quod est, contorqueatur, sed potius sanetur.

14 Pacem cum omnibus persequimini, & sanctimoniam, sine qua nemo Dominum videbit: Matth. 5, 8 Rom. 12, 18.

15 Dispicientes, ne quis Dei favore careat, ne qua radix acerbitatis sursum pullulans, noceat, per eamque multi contaminentur: Deut. 29, 18. Act. 7, 13.

16 Ne quis sit impudicus aut profanus, ut Esaus, qui pro uno cibatu ætatis suæ prærogativam addixit: Gen. 25, 33. Eph. 5, 3.

17 Scitis enim cum postea faustitatem obtinere vellet, repudiatum fuisse, neque pœnitentiæ locum invenisse, tametsi faustitatem cum lachrymis requisierit. Gen. 27, 34.

18 Non enim accessistis ad palpandum montem, ardentemque ignem, & caliginem, & tenebras, & procellam, Exod. 19, 10. & 20, 19.

19 Tubæque sonitum, & illam verborum vocem, quam qui audiverant, orarunt ne sibi plura verba fierent. Exod. 20, 19.

20 Non ferebant enim præceptum illud: Etiam bestia, si montem tetigerit, lapidetur, aut missilibus configatur. Exod. 19, 13.

21 Cum adeo horribile foret illud spectaculum, ut se Moses ipse præ timore tremere dixerit.

22 Verum accessistis ad Sionem montem, & Dei viventis urbem, Hierosolymam cœlestem, & Angelorum legiones, Gal. 4, 26.

23 Conventum cœtumque primogenitorum in cœlis conscriptorum, & judicem Deum omnium, & ad spiritus justorum perfectorum, Luc. 10, 20.

24 Et novi fœderis sequestrum Iesum, & lustralem sangvinem, meliora loquentem quam sangvis Abelis. Gen. 4, 10.

25 Videte ne loquentem repudietis. Nam si illi non effugerunt, qui oracula dantem in terris detrectarunt: multo magis nos non effugiemus, si cœlestem aversamur, Heb. 2, 3. & 10, 28.

26 Qui & tum sua voce terram concussit, & nunc ita denunciavit: Adhuc semel ego commovebo non solum terram, verum etiam cœlum, Aggai 2, 7. Sup. v. 19.

27 Hoc verbum, Adhuc semel, concutiendorum mutationem declarat: quippe conditorum, quo maneant non concutienda, Ps. 102, 27.

28 Proinde regnum capessentes inconcussum, habeamus gratiam, per quam ita reverenter & religiose Deum colamus, ut ei simus accepti. 1. Pet. 2, 5.

29 Est enim Deus noster ignis edax. Deut. 4, 23. & 9, 3.

CAP. XIII.

Præceptiones addit non tantum quæ ad mores, sed etiam quæ ad doctrinam pertinent.

Dures

Duret fraternus amor. Rom. 12,10. Eph. 4,3. 1.Pet.1,22. & 2,17. & 3,8. & 4,8.

2 Hospitalitatem oblivioni ne mandate: per hanc enim nonnulli inscienter Angelos hospitio acceperunt.

Gen. 18,3. & 19,1.

3 Mementote vinctorum, perinde ac si essetis ipsi simul vincti: & calamitosorum, ut qui sitis ipsi quoque in corpore.

Matth. 25,36. Rom. 12,15.

4 Honestum esto matrimonium in omnibus intemeratusque lectus. Impudicos vero & adulteros puniet Deus.

5 Moribus este a pecuniæ studio alienis, contenti iis quæ adsunt. Dixit enim ille: Non deseram te, neque derelinquam:

Exod. 23,8. Deut. 16,19. & 31,6.8. 1.Chr.28,20.

6 Adeo ut nobis confidenter dicere liceat: Dominus mihi defensor est, non metuam, ne quid mihi faciant homines.

Ps. 56,5.12. & 118,6.

7 Mementote eorum qui vobis præsunt, qui vobis divinam exposuere doctrinam, quorum intuentes eventum morum, imitamini fidem. Inf. v. 17.

8 Iesus Christus & heri, & hodie, & idem est in sempiternum:

9 Variis peregrinisque doctrinis nolite ferri. Præclarum vero est gratiarum actione firmari animum, non cibis, quibus nihil adjuti sunt qui eis vixerunt:

Ier. 29,8. Matth. 24,4. Ioh. 6,27. Rom. 14,17. & 16,17.

10 Habemus aram, ex qua cibum capiendi potestatem non habent qui Tabernaculo serviunt.

11 Quorum enim piaculorum sangvis in sacrarium infertur a Pontifice, eorum corpora cremantur extra castra. Exod. 29,14. Lev. 4,12. Num. 19,3.

12 Itaque Iesus, ut suo sangvine populum lustraret, extra portam supplicium pertulit.

Ioh. 19,18.

13 Proinde exeamus ad eum extra castra, ejus dedecus ferentes.

14 Non enim habemus hic durabilem urbem, sed futuram requirimus.

Mich. 2,10. Phil. 3,20.

15 Per eum igitur libemus assiduum laudationis sacrificium Deo, hoc est labiorum fructum, ejus nomen celebrantium.

Lev. 7,12. Ps. 50,23. & 51,19.

16 Beneficentiam autem & liberalitatem oblivisci nolite: talibus enim sacrificiis propitiatur Deus. 2. Cor. 9,12.

17 Parete vero gubernatoribus vestris, & obsequimini (nam ii pro animis vestris vigilant, ut rationem reddituri) ut id cum lætitia faciant, non gementes, nam id e re vestra non esset.

Ezech. 3,18. & 33,2.8. Phil. 2,29. 1. Thess. 5,12.

18 Orate pro nobis, qui nos bene nobis esse conscios confidimus, præclare nos in omnibus gerere volentes.

19 Ad id autem faciendum eo vehementius exhortor, ut celerius vobis restituar.

20 Deus vero pacis, qui ex mortuis revocavit magnum illum ovium

ovium pastorem, per æterni Testamenti sanguinem, Dominum nostrum Iesum, Es. 40, 11. Ezech. 34, 23.

21 Vos rite componat in omnibus recte factis ad exequendam suam voluntatem, vobis, ut ei visum fuerit, faciens per Iesum Christum, cui gloria in omnem perennitatem, Amen.

2. Cor. 3, 5.

22 Quæso vos, fratres, boni consulite hunc exhortatorium sermonem: nam paucis scripsi vobis.

23 Scitote fratrem Timotheum solutum esse, cum quo, si quāprimum venerit, videbo vos.

24 Salutate omnes rectores vestros, omnesque sanctos. Salutant vos Italici.

25 Adsit vobis omnibus favor. Amen.

Missa ex Italia per Timotheum.

APOCALYPSIS
IOANNIS THEOLOGI,
Hoc est Patefactio.

CAP. I.

Indicat doctrinæ genus quod hic tractatur, nempe illius qui est principium & finis. Deinde septem candelabrorum & stellarum mysterium explicat.

IESU Christi patefactio, quam dedit ei Deus, ut servis suis ostenderet quæ brevi futura sunt, & misso Angelo suo, per eum significavit servo suo Ioanni,

2 Qui Dei sermonem, & Iesu Christi testimonium, ac quæcunque vidit, testatus est.

1. Ioh. 1, 1.

3 Felix qui legit, quique oraculi dicta audiunt, & quæ in eo scripta sunt, exequuntur: nam tempus instat.

Rom. 13, 11. Iac. 5, 8.

4 Ioannes septem Asianis Ecclesiis favorem & pacem, ab eo qui est, & qui fuit, & qui venturus est: & a septem spiritibus, qui sunt ante ejus solium. Ex. 3, 14.

5 Et a Iesu Christo, teste illo fideli, primogenito ex mortuis, & Regum terræ Principe.

Ps. 89, 38. Es. 55, 4. 1. Cor. 15, 20. Col. 1, 18.

6 Ei qui nos amavit, suoque sanguine a peccatis abluit, & reges ac sacerdotes Deo & Patri suo fecit, ei gloria & imperium in perpetua secula. Amen.

Rom. 12, 1. Hebr. 9, 14.

7 Venturus est cum nubibus, eumque cernet omnis oculus, & qui eum compunxerunt, deque eo plangent omnes terrarum nationes. Etiam profecto.

Es. 3, 13. 14. Dan. 7, 13. Zach. 12, 10.

8 Ego sum α & ω, principium & finis, inquit Dominus, qui est, qui fuit, & qui venturus est, omnipotens. Es. 41, 4. & 44, 6. & 48, 12. Apoc. 1, 4. & 21, 6. & 22, 13.

9 Ego Ioannes, qui & frater sum vester, & socio in calamitate, inque

inque regno & patientia Iesu Christi, cum in insula nomine Patmo, propter Dei sermonem, propterque Iesu Christi testimonium essem,

Rom. 8,17. Phil. 1,7. & 4,14.

10 Divinitus afflatus die Dominico, audivi post me magnam quasi tubæ vocem, Apoc. 4,2.

11 Dicentis: Ego sum α & ω, primus & ultimus. Tu quod cernis, scribe in libro, & mitte Asianis Ecclesiis Ephesum, & Smyrnam, & Pergamum, & Thyatira, & Sardes, & Philadelphiam, & Laodiceam. Apoc. 2,8. & 22,13.

12 Tum ego me converti, ut viderem quæ vox esset allocuta me, conversusque vidi septem aurea candelabra,

13 Et in medio septem candelabrorum similem homine nati, indutum veste talari, & ad mammas cinctum aureo cingulo.

14 Ejus autem caput & crines erant albi, ut alba lana aut nix: oculi ut ignis flamma,

Ezech. 1, 26. Dan. 7, 13.

15 Pedes chalcolibano similes, tanquam in fornace igniti. Vox ejus qualis est aquarum multarum vox. Apoc. 14,2.

16 Habebat in sua manu dextera septem stellas, exque ejus ore gladius anceps acutus prodibat. Ejus aspectus erat, qualis micat cum sua virtute sol.

Es. 49, 2. Eph. 6, 17.

17 Eum conspicatus ego, ad ejus pedes pene mortuus cecidi. At ille dextera sua manu mihi imposita dixit: Ne metue. Ego sum primus & ultimus qui vivo:

Es. 41,4. & 44, 6. & 48,12.

18 Et fui mortuus, & jam sum vivus in perpetua secula: Ita est: & habeo Orci claves atque mortis. Iob. 12,14. Ps. 82,21. Es. 22,22.

19 Scribe quæ videris, quæque sunt, & quæ sunt posthac futura.

20 Arcanum septem stellarum, quas in mea dextera vidisti, & septem aureorum candelabrorum est hoc: Septem stellæ Angeli sunt septem Ecclesiarum. Septem autem candelabra, quæ vidisti, septem Ecclesiæ sunt.

Mal. 2, 7.

CAP. II.

Iubetur Iohannes scribere quæ Dominus necessaria noverat Ecclesiis, Ephesiorum, Smyrnensium, Pergamenorum, Thyatirensium, ut quæ ab Apostolis acceperunt, teneant.

EPhesinæ Ecclesiæ Angelo sic scribito: Hæc dicit qui septem stellas sua dextera tenet, qui in medio septem aureorum candelabrorum ambulat:

Apoc. 1,13. 16. 20.

2 Novi tua facta, laborem, & patientiam, utque malos ferre nequeas: & eos exploraveris, qui se profitentur Apostolos, nec sunt, quos tu falsos deprehendisti,

1. Ioh. 4, 2. Inf. v. 9. 13. 19.

3 Et tolerasti, patientiaque uteris, & propter meum nomen laboras indefessus.

4 Sed habeo de te quod expostulem, quod charitatem tuam pristinam omisisti:

5 Quamobrem memento unde excideris, & ad sanitatem redi, ac priora opera facito. Alioquin adoriar

adoriar te brevi, tuumque candelabrum ex suo loco transmovebo, nisi ad sanitatem redieris.

6 Quanquam id habes, quod Nicolaitarum facta odisti, quæ ego quoque odi.

Matth. 11, 15. & 13, 19. Inf. v. 15.

7 Qui habet aurem, audiat quid spiritus dicat Ecclesiis: victori dabo vesci arbore vitali, quæ in medio est divini pomarii.

Gen. 2, 9.

8 Item Angelo Ecclesiæ Smyrnæorum scribito: Hæc dicit primus, & ultimus, qui fuit mortuus, & revixit: Es. 41, 4. & 44, 6. Apoc. 1, 8. 11. 17. 18.

9 Novi tua facta & calamitatem & pauperiem (cum tamen dives sis) eorumque impium dictum, qui se Iudæos esse dicunt, nec sunt, sed Satanæ caterva.

Sup. v. 2. Infr. v. 13. 19.

10 Noli metuere quæ passurus es. Daturus est quidem diabolus vestrûm nonnullos in custodiam ut exploremini: feretisque decem dierum afflictionem. Esto fidelis ad mortem usque, & tibi dabo vitæ coronam, 1. Cor. 9, 25. 2. Tim. 2, 5. & 4, 7. 8.

11 Qui habet aurem, audiat quid spiritus dicat Ecclesiis: Qui vicerit, non lædetur a secunda morte. Matt. 13, 9. Supr. v. 7. Apoc. 20, 14. & 21, 8.

12 Item Pergamensis Ecclesiæ Angelo scribito: Hæc dicit qui gladium habet ancipitem acutum: Apoc. 1, 16. & 2, 16.

13 Novi tua facta, & ubi habites, ubi Satanæ solium est: tenesque meum nomen, nec meam fidē negasti: meisque temporibus Antipas, fidus ille testis meus, apud vos interfectus est, ubi Satanas habitat.

14 Sed habeo contra te pauca, quod habes istic qui Balaami doctrinam teneant, qui propter Balaacum docebat Israelitis detrimentum afferre, quo immolata deastris vescerentur, ac scortarentur. Num. 22, 23. & 24, 14. & 25, 1. & 31, 16.

15 Item habes tu idem qui Nicolaitarum doctrinam teneant, id quod ego odi.

16 Corrige te: alioquin aggrediar te brevi, & cum istis oris mei gladio depugnabo.

Esa. 11, 4. & 49, 2.

17 Qui habet aurem, audiat quid spiritus dicat Ecclesiis: Victori dabo occulto Manna vesci: eique dabo calculum album, & in calculo novum nomen scriptum, quod nullus novit, nisi qui accipit.

Matt. 13, 9. Apoc. 3, 12.

18 Item Angelo Thyatirensis Ecclesiæ scribito: Hæc dicit Dei filius, qui oculos habet igneæ flammæ similes, cujusque pedes similes sunt chalcolibano:

Apoc. 1, 14. 15.

19 Novi tua facta, & charitatem, & administrationem, & fidem, & patientiam, & postrema plura prioribus.

20 Sed habeo contra te pauca, quod mulierem Iezabelem, quæ se vatem esse dicit, docere sinis, servosque meos decipi, & scortari, & deastris immolata vesci.

1. Reg. 16, 31. Act. 15, 20.

21 Cui cum ego tempus dederim, quo ab impudicitia sua recederet, non vult recedere.

22 Ego vero eam in lectum, & cum ea adulterantes in magnam calamitatem prosternam, nisi a suis operibus destiterint,

23 Ejusque liberos morte mulctabo, & efficiam, ut intelligant omnes Ecclesiæ, eum esse me qui renes & corda scruter, & vos pro suis quemque factis remunerabor. 1. Sam. 16, 7. Ps. 7, 10. Ier. 11, 20. & 17, 10. Matth. 16, 27.

24 Vobis autem dico, reliquisq; Thyatirensibus, quotquot hanc disciplinam non habent, & qui Satanæ calliditates non norunt, ut ajunt, non imponam vobis aliud onus.

25 Ac quod habetis, tenete, donec veniam. Apoc. 3, 11.

26 Qui vero vicerit, operaque mea ad extremum retinuerit, huic ego dabo in gentes eam potestatem, Ps. 2, 8. Matth. 19, 28.

27 Ut eos virga ferrea pascat, quomodo fictilia vasa conteruntur, ut & ego a Patre meo accepi: Ps. 2, 8. 9. & 49, 15.

28 Eique stellam dabo matutinam.

29 Qui habet aurem, audiat quid spiritus dicat Ecclesiis. Sup. v. 7. 11. 17.

CAP. III.

Sequitur epistola quinta ad pastores Ecclesiæ Sardensium, Philadelphiensium, & Laodicensium, ne tepidi sint, sed gloriæ Dei promovendæ operam dent.

ITem Angelo Sardensis Ecclesiæ scribito: Hæc dicit qui septem Dei spiritus, & septem stellas habet: Novi tua facta, qui cum viventis nomen habeas, mortuus es. Apoc. 1, 4. 16. 20. & 2, 1. & 4, 5. & 5, 6.

2 Præsta te vigilantem, & cætera moritura confirma. Non enim inveni tua opera erga Deum officiosa.

3 Reminiscere igitur, quomodo acceperis audiverisque, & serva, ad frugemque redi. Quod nisi vigilaveris, adoriar te ut fur, neque scies qua te adoriar hora. Luc. 12, 39. 40. Inf. 16, 15. 1. Thess. 5, 2. 2. Petr. 3, 10.

4 Sed habes pauca nomina etiam Sardis, quæ sua vestimenta non contaminarunt: ii mecum in albis vestibus ambulabunt, utpote digni. Apoc. 4, 4. & 6, 11. & 7, 9. 13.

5 Qui vicerit, is albis induetur vestibus, nec ejus nomen ex libro vitæ delebo: & ejus nomen coram meo Patre, coramque ejus Angelis confitebor. Exod. 31, 32. Ps. 69, 29. Matth. 10, 32.

6 Qui habet aurem, audiat quid spiritus dicat Ecclesiis.

7 Item Angelo Philadelphiensis Ecclesiæ scribito: Hæc dicit sanctus, verus, qui Davidis clavem habet, quo aperiente nullus claudit, claudente nullus aperit: Inf. v. 14. Iob. 12, 14. Es. 22, 22.

8 Novi tua facta. Ego tibi apertam proposui portam, quam claudere nullus queat: quoniam exiguas vires habens, meis dictis paruisti, neque meum nomen negasti,

9 Ego

9 Ego cogam nonnullos ex Satanæ caterva, qui se Iudæos esse dicunt, nec sunt, sed mentiuntur: eos inquam, eo adigam, ut te ante pedes tuos veneratum veniant, teque mihi charum esse intelligant, Apoc. 2, 9.

10 Quoniam meum patientiæ sermonem conservasti: eo quoque te adversus tentationis horã conservabo, eventuram toti orbi, quo tententur incolæ terrarum.

11 Ego brevi venturus sum, tene quod habes, ne quis tibi coronam præripiat.
Phil. 4, 5. Apoc. 1, 3. & 2, 25. & 22, 7. 12.

12 Qui vicerit, eum ego columnam faciam in templo Dei mei, quæ deinceps inde non exibit: eique Dei mei nomen inscribam, & nomen urbis Dei mei, novæ Hierosolymæ, de cœlo a Deo meo descendentis: itemque meum nomen novum.
1. Reg. 7, 21. Gal. 4, 26.

13 Qui habet aurem, audiat quid spiritus dicat Ecclesiis.

14 Item Angelo Laodicensis Ecclesiæ scribito: Hæc dicit Amen, testis fidus atque verus, opificii Dei caput: Col. 1, 15. Apoc. 1, 5. 6. & 3, 7.

15 Novi tua facta, quod neque frigidus sis, neque fervidus. Utinam aut frigidus esses, aut fervidus.

16 Ergo quia tepidus es, neque frigidus, neque fervidus, evomam te ex ore meo:

17 Quoniam te divitem, ditatumque esse dicis, nec ulla re indigere: neque scis te esse æruminosum, & miserum, & pauperem, & cœcum, & nudum.
1. Cor. 4, 8.

18 Suadeo tibi, ut a me aurum igne candens emas, quo ditescas; & vestimenta candida, quo induare, ne appareat tuæ nuditatis obscœnitas: & collyrio illine tuos oculos, ut cernas.
2. Cor. 5, 3. Apoc. 7, 13. & 16, 15. & 19, 8.

19 Ego quos amo, arguo, & castigo. Quamobrem vehementior esto, teque corrige.
Iob. 5, 17. Prov. 3, 11. 12. Heb. 12, 5. 6. Iac. 1, 12.

20 Equidem pro foribus asto, atque pulso. Si quis audita voce mea januam aperuerit, ingrediar ad eum, & cum eo cœnabo, & ipse mecum: Cant. 5, 2. Ioh. 14, 21. &c.

21 Qui vicerit, ei dabo mecum in meo sedere solio, ut ego quoque victor consedi cum meo Patre in ejus solio. Matt. 19, 28. Luc. 22, 30. 1. Cor. 6, 2.

22 Qui habet aurem, audiat quid spiritus dicat Ecclesiis.
Apoc. 2, 7. 11. 17. et 3, 6. 13.

CAP. IV.

Alia narratur visio, divinæ majestatis gloriam continens, quæ a quatuor animalibus, & viginti quatuor senioribus celebratur.

POstea animadverti apertam in cœlo portam, voxque illa prima (quam perinde ac si mecũ tuba loqueretur, audiveram) dixit: Ascende huc, & tibi ostendam quæ posthac futura sunt. Apoc. 1, 1. 10.

2 Hic ego continuo divinitus afflatus video positum in cœlo solium,

solium, & in solio sedentem quendam, Ezech. 1, 26. & 10, 1. Apoc. 1, 10.

3 Qui sedens aspectu similis erat lapidi gemmæ & sardio. Solium circumdabat iris aspectu smaragdum referens.

4 Idemque solium circumstabant viginti quatuor solia, in quibus soliis vidi sedentes viginti quatuor senatores, vestibus indutos candidis, qui in capitibus coronas habebant aureas.

5 Ex solio prodibant fulgura, & tonitrua, & fragores, & septem faces igneæ, & ante solium ardentes, quæ sunt septem Dei spiritus. Apoc. 1, 4. & 3, 1. & 5, 6.

6 Ante solium erat mare vitreum, chrystalli simile: & in medio solii circumq; solium, quatuor animalia, oculis & a fronte & a tergo referta: Apoc. 15, 2.

7 Primum animal erat leoni simile: alterum animal erat vitulo simile: tertium animal faciem habebat hominis: quartum animal simile erat aquilæ volanti.

8 Hæc quatuor animalia habebant singula senas alas per circuitum, & intus erant oculis referta. Ea sine ulla intermissione dies & noctes dicunt: Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus armipotens, qui fuit, qui est, & qui venturus est.

Es. 6, 2. 3. Apoc. 1, 4. 8. & 11, 17. & 16, 5.

9 Cum autem tribuunt animalia gloriam & honorem & gratiarum actionem sedenti in solio viventi in perennia secula:

10 Procumbunt viginti quatuor Senatores ante sedentem in solio, & adorant viventē in perennia secula, abjiciuntque suas coronas ante solium, dicentes:

11 Dignus es, Domine, qui gloriam & honorem, & potestatem accipias, quoniam tu omnia condidisti: eaque tua voluntate & sunt, & condita sunt.

Infr. 5, 12.

CAP. V.

Librum septem sigillis obsignatum, quem nemo aperire poterat, Agnus ille Dei, dignus qui aperiat, omnium cœlestium decantatur voce.

ITem vidi ad sedentis in solio dexteram librum intus & extra scriptum, septem sigillis obsignatum, Ezech. 2, 9. 10.

2 Vidique validum Angelum magna voce pronunciantem: Quis dignus est qui librum aperiat, & ejus sigilla resignet?

3 Sed nullus nec in cœlo, nec in terra, nec sub terra, librum aperire aut inspicere poterat.

Phil. 2, 10. Apoc. 5, 13.

4 Ego vero multum plorare, quod nullus inventus esset dignus qui librum aperiret, & legeret, aut inspiceret.

5 Tum senatorum quidam me alloquens: Ne plora, inquit: en vicit leo qui est ex tribu Iudæ, Davidica stirps, qui librum aperiat, ejusque septem sigilla reseret. Gen. 49, 9. 10. Es. 11, 1. 10. Rom. 15, 12.

6 Tum ego aspiciens, animadverti in medio solii, & quatuor animalium, inque medio Senatorum, astantem Agnum, tanquam mactatum, habentem septem cornua, septemque oculos, qui

qui sunt septem Dei spiritus in omnes dimissi terras.

Zach. 3, 9. & 4, 10. Ioh. 1, 29. 36. 1. Pet. 1, 19.

7 Is venit, accepitque librum de dextera sedentis in solio.

8 Postquam is librum accepit, quatuor animalia, & viginti quatuor senatores procidere ante Agnum, habentes singuli citharas, aureasque phialas suffimentorum plenas, quæ sunt sanctorum supplicationes,

Ps. 141, 2. Apoc. 8, 3. 4. & 14, 2.

9 Novumque carmen canere, dicentes: Dignus es qui librum accipias, ejusque sigilla resolvas, quoniam mactatus es, nosque Deo sanguine tuo comparasti ex omni natione, lingua, populo, gente, Act. 10, 28. 1. Cor. 6, 20. & 7, 23.

10 Nosque fecisti Deo nostro Reges & Sacerdotes regnaturos in terris. Exod. 19, 6. 1. Petr. 2, 5. 9.

11 Deinde aspiciens audivi multorum Angelorum vocem circum solium, & animalium ac Senatorum, quorum numerus erat distributus in millies centena millia, Dan. 7, 10.

12 Qui magna voce dicebant: Dignus est mactatus Agnus, qui potestatem accipiat, & divitias, & sapientiam, & vim, & honorem, & gloriam, & laudem.

Apoc. 4, 11.

13 Tum omnem rerum naturam, quæ & in cœlo est, & in terra, & sub terra, & in mari, hæc & quæ in eis sunt omnia audivi dicere: Sedenti in solio & Agno laus, & honos, & gloria, & imperium in sempiterna secula.

Phil. 2, 10.

14 At quatuor animalia dixerunt: Amen. Et viginti quatuor Senatores procubuerunt, & viventem in sempiterna secula venerati sunt.

CAP. VI.

Aperit Agnus primum libri sigillum, secundum, tertium, quartum, quintum & sextum: quibus apertis, cædes, fames, pestis, sanctorum querelæ, motus, & varia cœli prodigia oriuntur.

DEinde aspiciens, cum aperuisset Agnus unum de septem sigillis, audivi unum de quatuor animalibus dicens, quasi voce tonitrui: Veni spectatum.

2 Ego aspiciens animadverti equum album, cui qui insidebat, arcum habebat, eique data corona est: isque prodiit vincens, & ut vinceret.

Apoc. 10, 11.

3 Deinde ubi sigillum secundum aperuit, audivi secundum animal dicens: Veni spectatum.

4 Tum prodiit alius equus rufus, quem insidenti commissum est ut ex terris auferret pacem, ita ut alii alios necarent: eique datus est magnus gladius.

5 Postquam tertium aperuit sigillum, audivi tertium animal dicens: Veni spectatum. Hic ego aspicio nigrum equum, cui qui insidebat, libram habebat in manu.

6 Audivique vocem in medio quatuor animalium dicentem: Chœnix tritici denario, & tres chœnices hordei denario, & oleum & vinum ne læseris. Ap. 9, 4.

7 Ubi quartum aperuit sigillum, audivi vocem quarti animalis dicentem: Veni spectatum.

8 Animadvertique pallidum eqvum, cui qui insidebat nomen habet Mors, quam simul comitatur Orcus. His data potestas interficiendi ad quartam partem terræ, gladio, fame, letho ferisque terrestribus.

9 Deinde ubi quintum aperuit sigillum, vidi sub ara animas necatorum propter Dei sermonem, propterque testimonium quod habebant, Apoc. 1,9. & 8, 3. & 14,18. & 19,10. & 20,4.

10 Qui ingenti voce sic clamabant: Quousque tandem, o Domine sancte atque vere, non ulciscceris ac vindicas sanguinem nostrum de terræ incolis?

11 Sed eis singulis datæ sunt albæ stolæ, eisque dictum est, ut quiescerent adhuc paulisper, donec plenus esset numerus etiam conservorum eorum atque fratrum, qui interficiendi essent, ut & ipsi. Apoc. 3,5. & 7,9.14.

12 Deinde aspiciente me, ubi sextum sigillum aperuit, extitit magnus terræ motus: factusque est Sol tam ater quam est saccus cilicinus: & Luna facta est sanguinea, Ioel. 2,10. 31. & 3,15. Matth. 24, 29. Act. 20,20.

13 Et cœli stellæ ceciderunt ad terram, sicut ficus abjicit suas grossos, cum vehementi vento quatitur,

14 Et cœlum recessit, perinde ac si scheda convolvatur: omnesque & montes & insulæ ex suis locis motæ sunt. Ps. 102, 27. Es. 34, 4. Hebr. 1, 12.

15 Et terrarum Reges & summates, & divites, & tribuni, & potentes, & omnes tum servi, tum liberi, seipsos in specus rupesque montium abdere, Esa. 2, 19.

16 Et montibus rupibusque dicere: Obruite nos, & abdite ex conspectu sedentis in solio, & ab ira Agni: Es. 2,19. Os. 10,8. Luc. 23, 30.

17 Quoniam venit magna dies ejus iræ, quam quis possit subsistere?

CAP. VII.

Grassantes in orbe angeli, inhibentur donec electi Domini ex omnibus tribubus signentur. Deinde eorum, qui Christi causa persecutionem sustinuerunt, felicitas, & gaudium describitur.

POstea vidi quatuor Angelos stantes ad quatuor terræ angulos, tenentes quatuor terræ ventos, ne ventus terram, aut mare, aut ullam arborem afflaret. Apoc. 14, 1.

2 Item vidi alium Angelum ab ortu Solis ascendentem, habentem viventis Dei sigillum, qui ad quatuor Angelos (quibus ut terram & mare læderent, commissum erat) magna voce clamavit his verbis:

3 Ne læditote terram, nec mare, nec arbores, donec Dei nostri servos in eorum frontibus consignemus. Ezech. 9, 4. Apoc. 9, 4.

4 Audivi autem consignatorum numerum, qui consignati erant centũ quadraginta quatuor millia,

millia, ex omnibus Iſraelitarum tribubus. Apoc. 14, 1.

5 Ex tribu Iudæ conſignata erant duodecim millia. Ex Rubenis duodecim millia. Ex Gadi duodecim millia.

6 Ex Aſeris duodecim millia. Ex Nephthalis duodecim millia. Fx Manaſſis duodecim millia.

7 Ex Simeonis duodecim millia. Ex Levis duodecim millia. Ex Iſſacharis duodecim millia.

8 Ex Zabulonis duodecim millia. Ex Ioſephi duodecim millia. Ex Benjaminis duodecim millia.

9 Poſtea animadverti tantam turbam, ut eam numerare nullus poſſet, ex omnibus gentibus, nationibus, populis, & lingvis, qui ante ſolium & agnum ſtabant, ſtolis amicti candidis, palmas geſtantes in manibus,

Apoc. 3, 5, 18. & 6, 11. & 7, 14.

10 Et magna voce clamantes in hunc modum: Salus ſedenti in ſolio Dei noſtri & Agno.

Pſ. 3, 9. Eſ. 43, 11. Ier. 3, 23. Hoſ. 13, 4.

11 Omnes autem Angeli, ſolium ſenatoresqve & qvatuor animalia circumſtantes, procubuerunt ante ſolium proni, Deumqve venerati ſunt,

12 Dicentes: Amen. Fauſtitas & gloria, & ſapientia, & gratiarum actio, & honos, & potentia, & vires, Deo noſtro in perpetua ſecula: Amen.

13 Tum unus de Senatoribus ſic me affatus eſt: Hi ſtolis albis amicti quinam ſunt, & unde venerunt?

14 Cui ego: Domine, tute ſcis. Et ille: Hi ſunt, inquit, qui ex magna calamitate veniunt, ſtolasqve ſuas Agni ſangvine perluerunt ac dealbarunt.

Eſ. 1, 18. Heb. 9, 14. 1. Ioh. 1, 7.

15 Propterea ſunt ante DEI ſolium, eumque dies & noctes in ejus templo colunt, apud eosqve deget is qui ſedet in ſolio.

Eſ. 4, 5. 6.

16 Non amplius eſurient, nec amplius ſitient, nec eos Sol aut ullus æſtus feriet.

Pſ. 121, 6. Eſ. 49, 10.

17 Qvoniam Agnus, qui eſt inter ſolium, paſcet eos: & ad vivos aqvæ fontes ducet, abſtergetqve Deus ex eorum oculis omnem lacrymam.

Pſ. 23, 1. Eſa. 25, 8. Ioh. 10, 11. Apoc. 21, 4.

CAP. VIII.

Septimo ſigillo aperto, offeruntur ſanctorum preces per ſuffitus. Procedunt ſeptem angeli cum tubis, & quatuor primis clangentibus ignis decidit, mare turbatur, aquæ amareſcunt, & ſtella obtenebrantur.

UT autem ſeptimum aperuit ſigillum, extitit in cœlo ſilentium, fere dimidiam horam:

2 Vidique ſeptem Angelos, qui in Dei conſpectu aſtiterant, quibus ſeptem tubæ datæ ſunt.

3 Alius item Angelus venit, & ad aram conſtitit, thuribulum habens aureum, eique data ſunt multa ſuffimenta, ut ſanctorum omnium ſupplicationes ad auream aram ante ſolium poſitam obmoveret: Apoc. 5, 8. & 6, 9. & 9, 13. & 14, 18.

4 Aſcenditque fumus ſuffimentorum ſupplicationum ſancto-

rum, ex Angeli manu in Dei conspectum. Ps. 141, 2.

5 Deinde sumpsit Angelus thuribulum, & altaris igne replevit, ad terramque dejecit, & extiterunt fragores, & tonitrua, & fulgura, & terræ motus.

6 Itemque septem Angeli, qui septem tubas habebant, sese ad clangendum pararunt.

7 Cumque primus Angelus clanxisset, extitit grando & ignis permixta sangvini: quibus ad terram dejectis tertia pars arborum combusta est, & omnes virentes herbæ conflagrarunt.

8 Deinde ubi secundus clanxit Angelus, quidam quasi mons ingens igni flagrans in mare dejectus est, conversaque est pars tertia maris in sanguinem.

9 Et mortua est tertia pars rerum, quæ in mari animatæ sunt, tertiaque navium pars corrupta.

10 Ut tertius clanxit Angelus, cecidit de cœlo magna stella, facis in morem ardens, quæ in tertiam fluviorum partem, & in aquarum fontes delapsa est.

11 (Est autem stellæ nomen Absinthium) & conversa est tertia pars in absinthium, multique hominum ab aquis interierunt, quod amaræ factæ essent.

12 Ad quarti Angeli clangorem icta est Solis tertia pars, & Lunæ tertia pars, & stellarum tertia pars, adeo ut offuscata eorum parte tertia, dies tertia parte sui non luceret, itidemque nox.

13 Tum aspiciens audivi quendam Angelum volantem per medium cœli, magna voce dicentem: Væ, væ, væ terræ habitatoribus, a reliquis tubarum sonis trium Angelorum, qui jam clangent.

CAP. IX.

Quinto angelo clangente locustæ vastatrices prodeunt. Sextus autem clangens equites producit, humanum genus devastantes.

TUm ubi clanxit quartus Angelus, vidi stellam de cœlo delapsam ad terram, cui data clavis est putei Tartari.

Luc. 8, 31. Apoc. 17, 8.

2 Qua postquam Tartareum puteum aperuit, exhalavit ex puteo talis fumus, qualis est magnæ fornacis, quo putei fumo Sol est & aer obscuratus.

3 Ex eo fumo prodierunt in terram locustæ, quibus talis est data vis, qualem habent terrestres scorpii:

4 Eisque præceptum est, ne terrestres herbas læderent, neve ullam viriditatem, ullamve arborem, sed solos homines, qui Dei signum in frontibus suis non haberent:

Ezech. 9, 4. Apoc. 6, 6. & 7, 3.

5 Est autem mandatum eis, ne eos interficerent, sed ut quinque menses cruciarentur: ita ut essent eorum cruciatus, qualis scorpii cruciatus est, cum hominem punxit.

6 Atque illa tempestate quærent homines mortem, nec invenient: cupientque mori, & eos fugiet mors.

Esa. 2, 19. Ier. 8, 3. Os. 10, 8. Luc. 23, 30. Sup. 6, 16.

7 Erat

7 Erat autem locustarum ea species, ut similes essent equis ad prælium paratis: erantque in earum capitibus quædam quasi coronæ auri similes. Vultus erant ut vultus hominum.

Exod. 10, 4. Sap. 16, 9. Ioel. 2, 4.

8 Capillos habebant muliebrium similes, dentes erant quales sunt leonum. Ioel. 1, 6.

9 Habebant & loricas, cujusmodi sunt ferreæ loricæ: eratque earum alarum sonitus, qualis est curruum sonitus multorum equorum ad pugnam currentium.

10 Caudas habebant scorpiorum similes, & in caudis erant aculei. Earum potestas est, homines lædere per quinque menses:

11 Habentque sibi præfectum regem Angelum Tartari, cui nomen est Hebraice Abbadon, Græco autem sermone Apollyon.

Apoc. 9, 1.

12 Una miseria præteriit, venturæ sunt adhuc posthac duæ miseriæ. Apoc. 8, 13.

13 Deinde ubi sextus clanxit Angelus, audivi ex quatuor altaris aurei cornibus, ante Deum positi, vocem quandam,

14 Dicentem sexto Angelo, qui tubam habebat: Solve quatuor Angelos ad magnum flumen Euphratem colligatos.

Apoc. 7, 1.

15 Itaque soluti sunt quatuor Angeli, qui ad horam, & diem, & mensem, & annum parati erant ad hominum tertiam partem necandam.

16 Erat autem exercitus equitum numerus bis millies centena millia, eorumque numerum audivi.

Ps. 78, 18. Dan. 7, 10.

17 Atque ita visus sum videre equos, & in eis equitantes, qui loricas habebant igneas, & hyacinthinas ac sulphureas. Equorum capita erant leoninorum capitum similia, exque eorum oribus manabat ignis, & fumus, & sulphur.

18 Ab his tribus cladibus interfecta est hominum pars tertia, videlicet igne, & fumo, & sulphure, quæ prodibant ex eorum oribus.

19 Potestas enim eorum in ore eorum erat: siquidem eorum caudæ erant angvium similes, capita habentes quibus nocerent.

20 Reliqui hominum, qui his calamitatibus occisi non sunt, non destiterunt a suis actionibus, ne dæmonia venerarentur, & simulacra aurea, argentea, ærea, lapidea, lignea, quæ nec videre possunt, nec audire, nec ingredi. Lev. 17, 7.

Deut. 31, 17. Ps. 106, 37. & 115, 5. & 135, 5.

21 Nec sua homicidia, nec veneficia, nec stupra, nec furta omiserunt.

CAP. X.

Alius apparet Angelus amictus nube, libellum apertum tenens. Inclamat & Johanni oraculi jussu, devorandum tradit.

DEinde vidi alium Angelum validum, de cœlo descendentem, indutum nube, cujus capiti iris incumbebat. Facies erat soli similis; pedes ut igneæ colu-

columnæ. Habebat autem in manu libellum apertum, posuitque pedem suum dextrum in mari, sinistrum in terra,

Matth. 17, 2. Apoc. 1, 15.

2 Et magna voce clamavit, quomodo rugit leo. Postquam clamavit, locuta sunt septem tonitrua suas voces:

3 Quibus septem tonitruis suas voces locutis, cum ego scripturus essem, audivi vocem dicentem mihi: Consigna quæ locuta sunt septem tonitrua, & ea ne scripseris.

Dan. 8, 26. & 12, 4. 9.

4 Tum Angelus, quem in mari & in terra stantem videram, sublata in cœlum sua manu,

Dan. 12, 7.

5 Iuravit per viventem in perpetua secula, qui cœlum & cœlestia, terram & terrestria, mare & marina condidit, futurum esse ut tempus deinceps non sit,

6 Videlicet diebus vocis septimi Angeli, qvum clanxerint, peractumque fuerit arcanum Dei, ut suis servis vatibus nunciavit. Apoc. 11, 15.

7 Atque eadem vox, quam de cœlo audiveram, rursus mecum locuta est in hunc modum: I, sume libellum apertum, qui est in manu Angeli, in mari terraque stantis. Sup. v. 4.

8 Tum ego Angelum aggressus: Da mihi libellum, inquam. Et ille: Accipe, inquit, eumque degluti, & tibi ventrem amaritudine torquebit, quanquam in ore tuo erit tam dulcis quam est mel.

Ezech. 2, 9. & 3, 1. 2. 3.

9 Hic ego sumptum de Angeli manu libellum deglutivi, qui mihi in ore quidem tam dulcis fuit quam est mel. Sed ubi id comedi, amaruit mihi venter.

10 Et ille me alloquens: Vaticinandum tibi rursus est, inquit, super populis & gentibus, & linguis, regibusque multis.

CAP. XI.

Templum metiri jubetur. Dominus testes duos excitat, quos a bestia laniatos nemo terræ mandat. Deus autem in vitam revocatos ad cœlum evocat. Terrentur impii. Et septimi angeli tuba, resurrectionis & judicii nuncia describitur.

TUm datus est mihi calamus virgæ similis. Et Angelus astans: Surge, inquit, & Dei metire templum, aramque, & adorantes in eo. Ezech. 40, seqq.

2 Ac exterius atrium templi, foris exclude: neque id metire, quippe datum extraneis, qui sanctam urbem conculcabunt menses quadraginta duos.

Ezech. 4, 17. 19. 20. Apoc. 13, 5.

3 Mandaboque duobus meis testibus, ut vaticinentur dies mille ducentos sexaginta, centonibus amicti. Apoc. 12, 6.

4 Hi sunt olivæ duæ, duoque candelabra in conspectu DEI terræ stantia.

Zach. 4, 2. 3. 11. 14.

5 Quod si quis eos lædere vult, manat ex eorum ore ignis, qui eorum hostes conficit: & si quis eos lædere vult, sic interficiendus est.

6 Hi potestatem habent claudendi cœli, ne pluat imber tempore

pore suæ vaticinationis: habentque in aquas potestatem, eas in sanguinem convertendi, & terræ quamlibet cladem infligendi, quoties velint.

Exod. 7. & 8. & 9. & 10. & 12. 1. Reg. 17, 1.

7 Qvum autem suum testimonium peregerint, bestia ex Tarraro ascendet, quæ eos aggressa, bello vincet ac interficiet:

Dan. 7, 21. Apoc. 13, 1. 7. 11. & 17, 8.

8 Iacebuntque eorum corpora in urbis magnæ foro, quæ vocatur spiritualiter Sodoma & Ægyptus, ubi etiam Dominus noster crucifixus est.

Apoc. 17, 2. 5. & 18, 10.

9 Et aspicient homines de populis, & nationibus, lingvisque & gentibus eorum corpora tres dies & dimidium, nec sinent eorum corpora monumentis mandari.

10 Gaudebunt autem terræ incolæ super eis, lætique dona mittent inter sese, quod hi duo vates cruciaverint incolas terræ.

11 Verum post dies tres, & dimidium, vitali spiritu a Deo in eos ingresso, constiterunt in pedes suos, magno timore correptis iis qui eos spectabant.

12 Audivique vocem magnam de cœlo dicentem eis: Ascendite huc. Atque illi in cœlum in nube ascenderunt, spectantibus eos hostibus eorum.

13 Ac eadem hora tantus extitit tertæmotus, ut collapsa sit urbis pars decima, occisis in eo motu humanorum capitum septem millibus. Reliqui timore perculsi, tribuerunt cœlesti Deo gloriam.

14 Miseria secunda præteriit, ecce tertia miseria mox aderit.

Apoc. 8, 13. & 9, 12. & 15, 1.

15 Deinde septimus clanxit Angelus, extiteruntque magnæ voces in cœlo dicentes: Factæ sunt mundi regna Domini nostri, ejusque Christi, qui regnabit in omnem perpetuitatem.

Apoc. 10, 7.

16 Et viginti quatuor senatores, ante Deum suis in soliis sedentes, proni procubuerunt, Deumque venerati sunt,

Apoc. 4, 4. 10. & 3, 8.

17 Dicentes: Agimus tibi gratias, Domine Deus omnipotens, qui es, qui fuisti, quique futurus es: quod magnam tuam potestatem adeptus regnum inisti,

Apoc. 1, 4. 8. & 4, 8. & 16, 5. & 19, 6.

18 Et gentes iratæ sunt, & venit ira tua, tempusque quo mortui judicentur, & merces detur tuis servis vatibus & sanctis, tuumque nomen reverentibus, tum paruis tum magnis, & corrumpantur corruptores terræ.

19 Tum aperto Dei templo in cœlo, visa est arca fœderis ejus in ejus templo, extiteruntque fulgura, & sonitus & tonitrua, & terræmotus & magna grando.

Apoc. 15, 5.

CAP. XII.

Mulieris parturientis signum apparet, cujus filio insidiatur draco, qui a Michaele devictus, dejicitur. Et quo magis vincendus excluditur, eo acrius suas non desinit multiplicare versutias.

VIsumque est ostentum ingens in cœlo, mulier amicta sole, ejus

ejus predibus subjecta luna, capiti autem imposita duodecim stellarum corona.

2 Ea in alvo gestans vociferabatur, & parturiens pariendi doloribus cruciabatur.

3 Item conspectum est aliud ostentum in cœlo: Draco erat ingens, rufus, habens septem capita, & decem cornua, & in capitibus diademata septem,

4 Cujus cauda tertiam cœlestium siderum partem detraxit, ad terramque dejecit. Is draco stetit ante mulierem, quæ paritura erat, ut cum ea suum filium peperisset, ipse eum devoraret.

5 Peperit autem filium marem, qui gentes omnes ferreo sceptro recturus est: qui ejus filius raptus est ad Deum ejusque solium.

Ps. 2, 9. Apoc. 2, 27. & 19, 15.

6 Mulier autem fugit in solitudinem, ubi locum habet a Deo paratum, ut illic alatur dies mille ducentos sexaginta.

Apoc. 11, 3.

7 Factum est autem in cœlo prælium, Michael & ejus Angeli adversum draconem pugnabant: & draco ejusque Angeli pugnarunt, Dan. 10, 13. 21. & 12, 1.

8 Et victi sunt, nec ullus extitit jam eorum locus in cœlo.

Dan. 2, 35.

9 Itaque dejectus est draco ille magnus, serpens antiqvus, qui Diabolus & Satanas appellatur, qui totum orbem decipit. Dejectus est, inquam, ad terram, ejusque Angeli dejecti sunt.

Gen. 3, 1. 4. Luc. 10, 18. Ioh. 12, 31. 1. Cor. 11, 3. Apoc. 20, 2.

10 Deinde magnam vocem audivi dicentem: In cœlo nunc facta est salus & potestas, & regnum Dei nostri, & potentia Christi ejus: quoniam dejectus est fratrum nostrorum accusator, qui eos apud Deum nostrum dies ac noctes accusabat.

Iob. 1, 9. & 2, 5.

11 Eum illi Agni sangvine, suique testimonii sermone vicerunt: animamque suam usque adeo non amarunt, ut mortem oppetierint.

Rom. 8, 33. 34. 37. & 16, 20.

12 Propterea lætamini cœli, & cœlicolæ. Væ terræ, & maris incolis: quandoquidem descendit diabolus ad vos, magno furore percitus, sciens habere se breve tempus. Ps. 96, 11.

Es. 49, 13. Apoc. 8, 13.

13 Ubi draco se ad terram dejectum vidit, mulierem persecutus est, quæ marem pepererat.

14 Sed mulieri datæ sunt alæ duæ ingentis Aquilæ, ut in solitudinem in locum suum avolaret, illic alenda tempus, & tempora, & dimidium temporis, ad vitandum serpentem.

Dan. 7, 25. & 12, 7.

15 Iecit autem serpens post mulierem ex ore suo aquam fluminis instar, quo eam flumine summergeret.

16 Verum terra mulieri succurrit, apertisque suis faucibus, flumen hausit, quod draco ore suo ejaculatus erat.

17 Tum iratus mulieri draco, ivit illatum bellum reliquis ejus seminis, qui Dei præceptis obedirent, & Iesu Christi testimonium haberent. 1. Ioh. 5, 10.

CAP.

CAP. XIII.

Describitur Bestia illa multiceps, quæ maximam mundi partem in idololatriam seducit, quæ ab alia bestia ascendente confirmatur.

EGo in maris arena stans, vidi ascendentem ex mari bestiam, habentem capita septem, & cornua decem, & in cornibus diademata decem, & super capita nomen contumeliosum:

Dan. 7, 7. Apoc. 17, 3. 9. 12.

2 Erat autem bestia, quam vidi pardali similis, pedibus ursinis, ore leonino simili. Ei draco suas vires suumque solium, & magnam dedit potentiam.

Apoc. 12, 9.

3 Deinde vidi unum ejus capitum pene morte extinctum, sed cujus lethiferum vulnus sanatum est. Itaque tantæ fuit per totam terram admirationi bestia,

Apoc. 17, 8.

4 Ut draconem venerarentur, qui potentiam dedisset bestiæ, & bestiam item venerarentur, dicentes: Quis par est bestiæ? quis cum ea pugnare possit? Ap. 18, 18.

5 Ei autem datum est os magna & infanda loquens, & potestas agendi menses quadraginta duos,

Dan. 7, 8. 11. & 11, 36.

Apoc. 11, 2. 9.

6 Eaque os suum aperuit in contumeliam adversus Deum, in ejus nomen, inque tabernaculum, & cœlicolas, contumeliose loquens.

7 Item ei datum est bellum cum sanctis gerere, eosque vincere, eidemq; potestas est data in omnes nationes, & lingvas, atque gentes,

Dan. 7, 21. Apoc. 11, 7.

8 Ita ut eam adoraturi sint omnes terrarum incolæ, quorum nomina ab orbe condito scripta non sunt in vitæ libro Agni mactati.

Exod. 52, 33. Phil. 4, 3. Apoc. 3, 5. & 17, 8. & 20, 11. & 21, 27.

9 Si quis aurem habet, audiat.

Apoc. 2, 7.

10 Si quis captivos abigit, in captivitatem abit. Si quis gladio occiderit, eum gladio oportet occidi. Hic est patientia, fidesque sanctorum.

Gen. 9, 6. Es. 33 1. Matth. 26, 52.

11 Item vidi aliam bestiam ex terra ascendentem, quæ duo cornua habebat Agni similia, & loquebatur ut draco. Apoc. 11, 7.

12 Ea omnem prioris bestiæ potestatem exercebat in ejus conspectu: efficiebatque ut terra & ejus incolæ priorem bestiam, cujus mortiferum vulnus erat sanatum, venerarentur:

Apoc. 13, 3. & 19, 20.

13 Magnaque ostenta faciebat, adeo ut etiam ignem de cœlo ad terram devocaret in hominum conspectu,

Matth. 24, 24. 2. Thess. 2, 9.

14 Et terræ incolas ostentis, quæ ei in bestiæ conspectu facere datum erat, fallebat, jubens terræ incolis, ut simulacrum facerent bestiæ quæ gladio vulnerata revaluerat.

Deut. 13, 1. Matt. 24, 24. Apoc. 16, 14. & 19, 20.

15 Atque ei datum est, spiritu donare simulacrum bestiæ, adeo ut loqueretur simulacrum bestiæ, efficeretque, ut quicunque non venerarentur bestiæ simulacrum, occiderentur. Apoc. 19, 20.

16 Atque

16 Atque eo adigebat omnes, parvos juxta ac magnos, divites ac pauperes, liberos ac servos, ut eorum manui dexteræ aut frontibus notam inureret:

Apoc. 19, 20.

17 Neve cui emere liceret, aut vendere, nisi qui notam aut nomen haberet bestiæ, aut ejus nominis numerum.

Apoc. 14, 21.

18 Hic est acumen. Qui habet ingenium, computet bestiæ numerum. Numerus enim hominis est, estque ejus numerus sexcenti sexaginta sex.

Apoc. 15, 2. & 17, 9.

CAP. XIV.

Agno stante super montem Sion, una cum castis suis cultoribus, Angelus unus Evangelium nunciat. Alius Babylonis casum prædicit. Tertius Bestiam vitari monet, vox è cœlo beatos illos pronuntiat qui Domini causa moriuntur. Mittitur postea falx Domini in messem, & in vindemiam.

DEinde animadverti agnum stantem in Sione monte, & cum eo centum quadraginta quatuor millia, Patris ejus nomen in suis frontibus scriptum habentia: Apoc. 7, 4.

2 Audivique de cœlo sonitum, qualis multarum aquarum, ingentisque tonitrui sonitus est: itemque vocem audivi citharœdorum, citharis suis canentium,

Apoc. 1, 15. & 5, 8. & 19, 6.

3 Qui veluti novum carmen canebant ante solium, & ante quatuor animalia ac senatores, quod carmen nullus discere poterat, nisi illa centum quadraginta quatuor millia redempti a terra. Apoc. 5, 9.

4 Hi sunt qui cum fœminis non sunt polluti: sunt enim virgines. Hi sunt qui Agnum, quocunque vadat, seqvuntur. Hi ex hominibus redempti sunt, primitiæ Deo & Agno, 1. Cor. 6, 20.

2. Cor. 1, 2. Iac. 1, 18.

5 Quorum in ore nulla reperta fraus est; sunt enim inculpati coram Dei solio.

Ps. 32, 2. Soph. 3, 13.

6 Vidi item alium Angelum medio cœlo volantem, Evangelium æternum habentem, quod terræ incolas, gentesque, & nationes, & linguas, & populos omnes doceret,

7 Dicentem magna voce: Timete Deum, eique gloriam tribuite: nam venit hora ejus judicii: & adorate cœli, terræ, maris, & fontium aquarum conditorem. Gen. 1, 1. Ps. 33, 6. & 124, 8. & 146, 6.

8 Item alius Angelus secutus est, dicens: Cecidit, cecidit Babylon urbs illa magna, quoniam sævo impudicitiæ suæ vino gentes omnes potionavit.

Es. 21, 9. Ier. 51, 8. Inf. 18, 2. 3. 10. 21. & 16, 19. & 17, 2. 5.

9 Item tertius Angelus eos secutus est, magna voce dicens: Siquis bestiam, & ejus imaginem veneratur, notamque in frontem manumve suam admittit,

10 Is etiam sævum Dei vinum mixtum merumque potabit in ejus iræ poculo, & igne ac sulphure torquebitur in sanctorum

Ange-

Angelorum Agnique conspectu:
Ps. 75, 9. Es. 51, 17. Ier. 25, 15.
Apoc. 16, 19. & 19, 20.
& 20, 10.

11 Eorumque tormenti fumus exhalabit in omnem perpetuitatem, nec ullam die noctéve requietem habebunt, qui bestiam & ejus imaginem venerantur, aut si quis ejus nominis notam accipit. Es. 34, 10. Apoc. 19, 3.

12 Hic est sanctorum patientia: Hic sunt qui Dei præcepta Iesuque fidem tuentur.
Apoc. 13, 10.

13 Tum vocem audivi de cœlo dicentem mihi: Scribe: Beati mortui, qui in Domino moriuntur. Ii deinceps (affirmat spiritus) a suis requiescent laboribus, & sua eos comitantur opera.
1. Cor. 15, 18. 1. Thess. 4, 14.

14 Præterea animadverti nubem candidam & nubi insidentem quendam homine nati similem, habentem in capite coronam auream, & in manu falcem acutam.
Ezech. 1, 26. Dan. 7, 13.

15 Tum alius Angelus exiit ex fano, magna voce clamans ad eum qui nubi insidebat: Immitte falcem tuam, & mete. Nam tibi venit hora metendi, quandoquidem aruit terræ seges.
Ioel. 3, 13. Matth. 13, 39.

16 Itaque immisit, qui in nube sedebat, falcem suam in terram, messaque terra est.

17 Item alius prodiit ex fano, quod in cœlo erat, Angelus, habens & ipse falcem acutam.

18 Et alius prodiit Angelus ex ara, ignipotens, qui magna voce clamans, eum qui falcem habebat, sic allocutus est: Injice tuam istam falcem acutam, & terræ uvas vindemia, quoniam ejus maturuerunt racemi.

19 Ita Angelus ille, sua falce in terram injecta, terræ vineam vindemiavit, & uvas in ingens sævitiæ Dei torcular conjecit:
Apoc. 19, 15.

20 Quo torculari extra urbem calcato, manavit ex torculari sanguis usque ad frenos equorum, per mille sexcenta stadia.
Es. 63, 3. Lam. 1, 15.

CAP. XV.

Apparent septem Angeli habentes plagas septem ultimas. Victores bestiæ Deum laudant. Angelis septem septem dantur divini furoris phialæ.

VIdi & aliud in cœlo ostentum ingens, ac mirabile Angelos septem, habentes septem clades ultimas, in quas Dei sævitia absumatur. Apoc. 11, 14.

2 Itemque vidi quasi mare vitreum igne mixtum, & ex bestia ejusque simulacro, & nota, & nominis numero, victores, stantes super mare vitreum, divinas habentes citharas:
Apoc. 4, 6. & 5, 8. & 14, 2.

3 Et Mosis Dei servi carmen, Agnique carmen ita cantantes: Magna & mirabilia sunt opera tua, Domine Deus omnipotens: justa veraque sunt instituta tua, sanctorum Rex.
Exod. 15, 1. Ps. 111, 2. & 39, 14. & 145, 17.

4 Quis te non metuat, Domine, tuumque nomen celebret? nam tu solo sanctus: nā te gentes

omnes coram adoratum venient, quod tua jura patefacta sint.

Es. 66, 23. Ier. 10, 7.

5 Postea vidi fanum aperiri oracularis tabernaculi in cœlo,

Num. 1, 50. Apoc. 11, 19.

6 Et ex fano prodire septem Angelos, septem ultimas clades habentes, puro nitidoque vestitos lino & pectora cingulis aureis cinctos. Apoc. 1, 13.

7 His septem Angelis dedit unum quatuor animalium septē phialas aureas, plenas sævitia Dei viventis in omnem seculorum seriem,

8 Estque fanum tanto fumo, præ Dei splendore atque potentia, completum, ut nullus posset in fanum intrare, donec septem Angelorum septem clades peractæ forent. Exod. 40, 34.

1. Reg. 8, 10. Es. 6, 4.

CAP. XVI.

Effundunt Angeli septem commissas sibi furoris divini phialas, quibus effusis plagæ in orbe terrarum exoriuntur, ad terrendos improbos, & magna urbis incolas.

TUm magnam ex fano vocem audivi, dicentem septem Angelis: Ite effundite phialas Dei sævitiæ in terram.

2 Itaque primus abiit, & phialam suam in terram effudit, disoque & tetro vulnere affecti sunt homines, bestiæ notam habentes, & ejus simulachrum colentes. Exod. 9, 9. seqq.

Apoc. 13, 14. 16. 17.

3 Deinde secundus Angelus effudit suam phialam in mare: idque in cruorem, qualis mortuorum esse solet, mutatum est, omnesque animantes mortuæ sunt in mari.

Exod. 7, 17. 20.

4 Item tertius Angelus phialam suam in fluvios, & aquarum fontes effudit, iique mutati sunt in sanguinem.

5 Tum aquarum Angelum audivi dicentem: Iustus es Domine, qui es, quique fuisti, quique augustus es, qui hæc ita facienda judicaveris, Apoc. 1, 4. 8. & 4, 8. & 11, 17.

6 Ut qui sanctorum vatumque sanguinem effundebant, eis sanguinem potandum dederis, ut digni sunt.

Matt. 23, 34.

7 Deinde alium audivi ex ara dicentem: Etiam, Domine Deus omnipotens: vera justaque sunt tua judicia.

Apoc. 9, 13. & 15, 3.

8 Item quartus Angelus effudit phialam suam in solem, eique mandatum est, ut homines igne ureret.

9 Itaque magno ardore usti sunt homines, Deique nomini contumeliam dixerunt, qui haberet in eas clades potestatem: nec ad frugem redierunt, ut ei gloriam tribuerent.

Infr. v. 11. 21.

10 Deinde quintus Angelus phialam suam effudit in bestiæ solium: adeoque obscuratum est ejus regnum, ut ipsi suas præ dolore linguas manderent,

11 Cœlique Deo præ doloribus, vulneribusque suis conviciarentur, nec a suis actionibus desisterent.

12 Deinde sextus Angelus phialam

hialam suam effudit in magnum flumen Euphratem, & aruit ejus aqua, ut pararetur via regum, qui essent a solis ortu.

13 Item vidi ex ore draconis, & ex ore bestiæ, & ex ore falsi vatis, tres spiritus immundos, ranarum similes. Apoc. 12, 9. & 19, 20. & 20, 10.

14 Sunt autem dæmonum spiritus, qui spiritus efficiunt, ut edantur ostenta ad terrarum & totius orbis reges, quo eos congregent in prælium illius magnæ diei omnipotentis Dei.

Matth. 24, 42. seq. Luc. 12, 39. 1. Thess. 5, 2.

15 Venturus sum ut fur, felix qui vigilat, suaque vestimenta servat, ne nudus incedat, ejusque obscœna cernantur.

Matth. 24, 44. Luc. 12, 39.

16 Congregavit autem eos in locum, qui Hebraice vocatur Armageddon.

17 Deinde septimus Angelus phialam suam in aerem effudit, & prodiit magna vox ex cœli fano ex solio dicens: Factum est.

Apoc. 21, 6.

18 Extiteruntque sonitus & tonitrua, ac fulgura: tantusque terræ motus factus est, ut post homines in terris natos tantus, tam ingens terræ motus nullus extiterit: Apoc. 4, 5. & 8, 5.

19 Divisaque est urbs magna in tres partes, & gentium urbes corruerunt: Et Babylon magna Deo venit in mentem, ut ei poculum daret vini suæ sævæ iracundiæ:

Es. 51, 22. seq. Ier. 25, 15. seq. Apoc. 14, 8. 10. & 18, 5.

20 Et omnes insulæ fugerunt, & montes nusquam extiterunt,

Apoc. 6, 14.

21 Et ingens grando ad talenti magnitudinem de cœlo delata est in homines, feceruntque homines convicium Deo, ob grandinis cladem, tam gravis erat illa clades grandinis.

Apoc. 11, 19. & 16, 9. 11.

CAP. XVII.

Describitur meretrix illa magna, cum qua Reges terræ scortantur, ebria piorum sanguine, & bestia quæ portat illam, mysterium utriusque & exitium, postremo agni victoria.

VEnit autem unus septem Angelorum, septem phialas habentium, qui me sic allocutus est: Ades, ostendam tibi supplicium meretricis magnæ, sedentis in multis aquis,

Ier. 51, 13. Nah. 3, 4.

2 Cum qua scortati sunt Reges terræ cujusque impudicitiæ vino inebriati sunt incolæ terræ.

Ier. 51, 7. Apoc. 14 8. & 18, 3.

3 Deinde me divino afflatu abstulit in solitudinem, ubi mulierem vidi insidentem beluæ coccinæ, nefariis nominibus plenæ, habenti septem capita, & decem cornua.

Apoc. 13, 1. Inf. v. 7. 8.

4 Erat ea mulier induta purpura & coccino, auroque deaurata, & gemmis ac margaritis, habens aureum poculum in sua manu, flagitiis & turpitudine ejus stuprorum refertum:

Apoc. 18, 16.

5 Et inscriptum suæ fronti nomen, Mysterium Babylon magna, meretri-

meretricum, flagitiorumque terræ mater. 2. Thess. 2, 7.

6 Eam ego mulierem vidi sanguine sanctorum, testiumque Iesu ebriam: qua visa, cum vehementer admirarer, Angelus sic mecum loquitur:

Apoc. 18, 24.

7. Quid miraris? ego tibi mulieris mysterium eloquar, & portantis eam beluæ, habentis septē capita, & cornua decem.

8 Belua quam vidisti, fuit, & non est: & ascensura est ex Tartaro, & in perniciem abitura: mirabunturque terræ incolæ, quorum nomina in vitæ libro ab orbe condito scripta non sunt, videntes beluam fuisse, nec esse, tametsi est.

Exod. 32, 32. Phil. 4, 3.

9 Hic est sententia, quæ acumen habet. Septem capita, septem sunt montes, in quibus sedet mulier: septemque reges sunt, Apoc. 13, 1. 18.

10 Quorum quinque ceciderunt, & unus est: alius nondum venit, & cum venerit, paululum duraturus est.

11 Bestia autem quæ fuit, & non est, is est octavus, & ex septem est, inque perniciem abit.

12 Decem autem quæ vidisti cornua, decem Reges sunt, qui regnum nondum adepti sunt: sed potestatem ut Reges, eadem hora adipiscentur cum belua.

Dan. 7, 20. Apoc. 13, 1.

13 Ii eundem animum habebunt, suasque vires ac potestatem beluæ tradent.

14 Ii cum Agno bellum gerent eosque vincet Agnus, utpote dominorum Dominus, & regum Rex: nec non vocati cum eo, electique ac fidentes.

1. Tim. 6, 15. Inf. 19, 16.

15 Quas autem aquas vidisti (inquit me alloquens) ubi sedet meretrix, populi sunt, & plebes, & gentes, & linguæ. Es. 8, 7.

16 Item decem cornua, quæ super belua vidisti, ii meretricem oderint, eamque desertam ac nudam reddent, & ejus carnes comedent, et eam igne comburent. Apoc. 18, 8.

17 Eis enim Deus eam mentem injecit, ut ejus sententiam exequantur, eodemque animo agant & regnum suum beluæ tradant, donec Dei mandata peragantur.

18 Mulier autem, quam vidisti, est urbs magna, regnum in reges terræ obtinens.

Apoc. 16, 19.

CAP. XIIX.

Horrendum Babylonis excidium proponitur, lugent negotiatores terræ, qui ex pompa & luxu ipsius ditati sunt. Exultant vero omnes electi ex tam justa Dei ultione.

POstea vidi alium Angelum descendentem magna potestate præditum, cujus splendore collustrata terra est.

2 Is vehementer, magna voce clamans, dixit: Cecidit, cecidit magna Babylon, factaque est dæmonum domicilium, & omnium impurorum spirituum, omniumque obscœnarum & invisarum volucrum custodia:

Es. 13, 21. & 29, 9. et 34, 11. 14.

3 Quoniam retro stuprorum suorum

suorum vino gentes omnes potionavit, regesque terrarum cum ea scortati sunt, & terrarum mercatores ejus deliciarum copia locupletati.

Apoc. 14, 8. & 17, 2.

4 Item aliam vocem audivi de cœlo dicentem: Migrate ex ea, mi populus, ne sitis ejus peccatorum participes, neve ejus cladibus afficiamini:

Gen. 19, 12. Es. 48, 20. & 52, 11.

5 Quoniam ejus peccata ad cœlum usque pertigerunt, ejusq; scelera recordatur Deus.

Apoc. 16, 19.

6 Afficite eam, ut & ipsa vos affecit, eique duplicem pro ejus factis gratiam referte: eodem poculo quo miscuit, miscete ei duplum:

Ps. 137, 8. Ier. 50, 15.

7 Quantum ipsa se honoravit, & luxuriata est, tantum ei cruciatum luctumque date: quoniam ipsa sic cum animo suo cogitat: Sedeo regina, neque vidua futura sum, neque luctu afficiar.

Es. 47, 8.

8 Propterea uno die venient ejus clades, mors, luctus, fames, eaque igni cremabitur: quoniam potens est Dominus Deus, qui eam ulciscetur:

2. Thess. 2, 8. Apoc. 17, 16.

9 Eamque terrarum Reges, qui cum ea scortati, luxuriatique fuerint, deplorabunt, ac lamentabuntur, cum ejus incendii fumum videbunt,

Ezech. 26, 16. Apoc. 17, 2. & 18, 3. 18.

10 Procul, metu ejus cruciatus absistentes ac dicentes: Eheu urbs illa magna Babylon, urbs illa potens, cujus supplicium una venit hora.

Es. 21, 9. Ier. 51, 8. Apoc. 14, 8.

11 Item eam terrarum mercatores deflebunt ac lugebunt, quod eorum mercem nemo jam emet,

Ezech. 27, 36.

12 Mercem auri & argenti, & gemmarum, & margaritarum, & byssi, & purpuræ, & serici, & coccini, & omnis generis lignum, thyinum, eburneaque, & ex pretiosissimis lignis confecta vasa, & ære, & ferro, & marmore.

13 Et cinamomum, & odores, & unguentum, & thus, & vinum, & oleum, & similam, & triticum, & jumenta & oves, & equorum, & rhedarum & corporum, & animas hominum.

Ezech. 27, 13.

14 Discesserunt a te cupita animo tuo poma, omnia denique opima & præclara a te discesserunt, nec ea amplius invenies.

15 Horum mercatores ab ea locupletati procul, præ ejus cruciatus metu, astabunt, plorantes ac lugentes,

16 Et ita dicentes: Heu, heu, urbs illa magna, induta byssino, & purpureo, & coccino, & auro deaurata, gemmisque & margaritis. Una hora depopulatæ sunt opes.

Apoc. 17, 4.

17 Item omnes navicularii, omnisque copia navalis, & nautæ, & quicunque in mari negotiantur, procul astiterunt,

Es. 32, 14. Ezech. 27, 29.

18 Et ejus incendii fumum

ſpectantes, ita vociferare inſtiterunt. Et quæ par fuit urbi illi magnæ?

Eſ. 34, 10.

19 Tum ſparſo ſuper capita ſua pulvere, flentes ac lugentes ita quiritari: Heu, urbs magna, in qua omnes habentes in mari navigia, ditati ſunt ejus pretiis: ea una hora depopulata eſt.

Ioſ. 7, 6. Iob. 2, 12.

20 Lætare ſuper ea cœlum, ſanctique Apoſtoli atque vates, quoniam Deus veſtras injurias in eam ultus eſt. Eſ. 44, 23. & 49, 13. Ier. 51, 48. Apoc. 19, 2.

21 Deinde ſuſtulit robuſtus quidam Angelus ſaxum ingens, ut molam, & in mare dejecit, dicens: Tali impetu jacietur Babylon urbs illa magna, nec amplius extabit,

Ier. 51, 64.

22 Nec amplius in te citharœdorum, & muſicorum, & tibicinum, & tubicinum vox audietur: nec amplius in te ullius artis artifex extabit, nec amplius in te molæ ſonus audietur.

Eſ. 24, 8. Ier. 7, 34. & 16, 9. & 25, 10. Ezech. 26, 13.

23 Nec amplius in te lucernæ lumen lucebit, nec amplius in te ſponſi ſponſæve vox audietur. Tui mercatores erant hominum optimates: tuis veneficiis deceptæ ſunt gentes omnes,

Eſ. 23, 8. Ier. 7, 34. & 16, 9. & 25, 10.

24 Et in eadem te vatum ſanctorumque cruor inventus eſt, & omnium in terris occiſorum.

Apoc. 17, 6.

CAP. XIX.

Laudant cœleſtes Deum, quod vindicavit ſanguinem ſuorum e manu meretricis, beati deſcribuntur, qui ad cœnam nuptiarum agni vocati ſunt. Angelus adorari ſe prohibet. E cœlo ſummus ille Rex regum apparet, bellum oritur in quo apprehenditur beſtia, & in ſtagnum ardens dejicitur.

POſtea audivi magnam ingentis multitudinis vocem in cœlo, dicentis: Halleluja. Salus & gloria & honos, & poteſtas Domino Deo noſtro,

Apoc. 7, 10. & 12, 10.

2 Cujus vera juſtaque ſint judicia, qui magnam illam meretricem, quæ terram impudicitia ſua corrumpebat, damnaverit, & ab ea pœnas ſanguinis ſuorum repetiverit.

Deut. 32, 43. Apoc. 15, 3. & 16, 7. & 18, 20.

3 Iterumque dixerunt: Halleluja. Ejus autem fumus exhalat in omnia ſecula. Eſ. 34, 10. Apoc. 14, 11. & 18, 18.

4 Tum viginti quatuor ſenatores, & quatuor animalia procubuerunt, Deumque in ſolio ſedentem venerati ſunt, dicentes: Amen, Halleluja. Apoc. 4, 4. 6.

5 Et vox ex ſolio prodiit, dicens: Laudate Deum noſtrum omnes ejus ſervi, eumque metuentes, parvi juxta ac magni.

6 Item audivi quaſi ingentis multitudinis vocem, quaſique multarum aquarum, & vehementium tonitruorum ſonitum, qui dicebant: Halleluja. Regnũ enim adeptus eſt Dominus Deus omnipotens. Apoc. 11, 15. 17. & 12, 10.

7 Gau-

7 Gaudeamus & exultemus, eique gloriam tribuamus, quoniam Agni venerunt nuptiæ, ejusq; conjux sese paravit,

8 Eique mandatum est, ut byssino puro splendidoque induatur. Est autem byssinum, virtutes sanctorum. Ps. 45, 14. seq. Ezech. 16, 10.

9 Scribe (inquit me alloquens) Beati qui ad nuptiarum Agni cœnam vocati sunt. Hæc sunt (inquit mihi) vera dicta Dei.

Matth. 22, 2. Luc. 14, 16.

10 Hic ego ei ad pedes accidi, ejus venerandi gratia. Sed ille: Cave, inquit, ne facias: conservus tuus sum, tuorumque fratrū, Iesu testimonium habentium, Deum venerator: nam Iesu testimonium oraculi spiritus est.

Act. 10, 26. & 14, 14. 1. Ioh. 5, 10.

11 Deinde vidi apertum cœlum: & ecce albus equus, cui qui insidebat, vocatur, Fidelis & verus, justeque & judicat & belligerat. Apoc. 3, 14. & 6, 2.

12 Ejus oculi sunt igneæ flammæ similes: in capite insunt multa diademata: habet nomen scriptum, quod nullus novit, nisi ipse. Apoc. 1, 14. & 2, 18.

13 Indutus est pallio tincto sanguine, & nomine vocatur sermo Dei: Es. 63, 1. 2. 3. Ioh. 1, 1. 1. Ioh. 1, 1.

14 Eumque sequuntur in equis albis exercitus, candido mundoque byssino induti.

Matth. 28, 3. Apoc. 4, 4. et 7, 9.

15 Ex ejus ore prodit gladius acutus, quo gentes feriat, quos ipse ferreo baculo reget: idemque calcabit torcular vini, sævitiæ iræque Dei omnipotentis.

Ps. 2, 9. et 76, 13. Es. 11, 4. et 36, 3.

16 Habet autem in pallio, et femore suo scriptum nomen: Regum rex, et Dominorum Dominus.

Sup. 17, 14. 1. Tim. 6, 15.

17 Præterea vidi alium Angelum in sole stantem, qui magna voce clamans, omnes medio cœlo volantes aves sic allocutus est: Adeste et coite ad magni Dei cœnam,

Ier. 12, 9. Ezech. 39, 17.

18 Ut regum, ut tribunorum, ut potentum, ut equorum equitumque, ut omnium tum liberorum, tum servorum, tum parvorum, tum magnorum carnes comedatis.

19 Vidi et beluam terræque reges, et eorum exercitus congregatos, ad bellum gerendum cum equi equite, ac ejus exercitu.

20 Verum comprehensa est belua, et cum ea falsus vates, qui in ejus conspectu fecerat ostenta, quibus deceperat eos qui bestiæ notam acceperant, quique ejus venerabantur imaginem. Duo illi vivi conjecti sunt in stagnum ignis ardens sulphure.

Deut. 13, 1. Dan. 7, 11. Matth. 24, 24.

21 Reliqui gladio necati sunt sedentis in equo, qui gladius ex ejus ore prodibat, eorumque carnibus satiatæ sunt omnes alites.

CAP. XX.

Angelus Satanam vinculis constringit ad mille annos, quibus solu-

tus, Gog, & Magog, id est, occultos & apertos hostes, in Sanctos concitat. Sed Domini vindicta coercet illorum insolentiam. Aperiuntur libri, ex quibus judicantur mortui.

DEinde vidi Angelum de cœlo descendentem, clavem habentem Tartari, et ingentem catenam in manu sua.

Apoc. 1, 18.

2 Is cepit draconem, serpentem antiquum, qui est Diabolus et Satanas, eumque colligavit in mille annos:

2. Petr. 2, 4. Apoc. 12, 9.

3 Et in Tartarum conjecit, conclusitque, et insuper obsignavit, ne deinceps gentes deciperet donec peracti forent mille anni, post quos solvendus est ad exiguum tempus.

Apoc. 16, 14. 16. et 20, 8.

4 Tum sellas vidi, in quibus consessum est, illisque judicium datum est: itemque vidi animos decollatorum propter Dei sermonem: et qui neque bestiam, aut ejus imaginem venerati sunt, neque notam in suam frontem aut manum acceperunt. Ii revixerunt, et cum Christo mille annos regnarunt. Dan. 7, 9. 22. 27. Matth. 19, 28. Luc. 22, 30.

5 Reliqui mortuorum non revixerunt, donec transacti forent mille anni. Hæc est prima resurrectio.

6 Felices sanctique sunt, qui sunt primæ resurrectionis compotes. In eos secunda mors potestatem non habet, quia erunt Dei et Christi sacerdotes, & cum eo regnabunt mille annos. Esa. 61, 6. 1. Petr. 2, 9. Apoc. 1, 6. et 2, 11. et 5, 10.

7 Peractis iis mille annis, solvetur Satanas ex suo carcere,

8 Et proficiscetur ad decipiendas gentes, quæ quatuor Angulis continebuntur, Gogum et Magogum, ut eos ad bellum convocet, quorum tantus erit numerus, quantus est arenæ maris. Ezech. 38, 2. et 39, 1. Apoc. 16, 14.

9 Hi facta, quam late tellus patet, expeditione, sanctorum castra, et urbem amatam circumsederunt. Sed eos delapsus a Deo ignis de cœlo confecit:

10 Et diabolus, qui eos decipiebat, dejectus est in igneum sulphureumque stagnum, ubi erat belua, falsusque vates: cruciabunturque dies ac noctes in omnem perennitatem.

Dan. 7, 11. Apoc. 19, 20. et 14, 10. 11.

11 Item vidi solium album, ingens, et quendam in eo sedentem, cujus ex conspectu terra cœlumque fugit, nec ullo jam loco extiterunt.

2. Petr. 3, 10.

12 Vidi item mortuos, parvos juxta ac magnos, ante Deum astantes: apertique sunt libri, & alius liber apertus, qui est vitæ liber, et judicati sunt mortui ex librorum scriptis, pro suis factis:

Exod. 32, 32. Ps. 62, 13. et 69. 29. Ier. 17, 10. et 32, 19. Dan. 7, 10. Matth. 16, 17.

13 Reddi-

13 Reddiditque mare suos mortuos, & mors & Orcus mortuos reddidere suos: de quibus, ut erant cujusque facta, ita judicatum est.

14 Mors autem & Orcus conjecti sunt in stagnum igneum. Hæc est secunda mors.

1. Cor. 15, 26. 54. 55. Inf. 21, 8.

15 Quod si quis in vitæ libro scriptus inventus non est, is in igneum stagnum conjectus est.

CAP. XXI.

Novam Ierusalem descendentem e cœlo sponsam uxorem agni, ac illius structuram describit preciosis lapidibus ornatam, cujus templum est agnus.

VIdi autem novum cœlum novamque terram, nam prius cœlum, priorque terra perierat, nec usquam jam erat mare.

Es. 65, 17. & 66, 22. 2. Pet. 3, 13.

2 Ego Iohannes vidi urbem sanctam, Hierosolymam novam, a Deo de cœlo descendentem, paratam ut sponsam viro suo ornatam.

2. Cor. 11, 2. Gal. 4, 26. Heb. 11, 10. & 12, 22. & 13, 14.

3 Audivique magnam vocem de cœlo dicentem: Ecce Dei apud homines tabernaculum, qui apud eos habitabit, & ipsi ejus populus erunt: & ipse Deus erit apud eos Deus eorum:

Ezech. 43, 7.

4 Abstergetque Deus omnem lacrymam ex eorum oculis, nec amplius mors erit, neque luctus, neque quiritatus, neque labor erit amplius, quod priora abierint.

Sup. 7, 17. Es. 25, 8. & 35, 10. 1. Cor. 15, 26. 52.

5 Ego (inquit is qui in solio sedebat) facturus sum omnia nova. Tum me alloquens: Scribe, inquit, hæc dicta vera fidaque esse:

Es. 43, 19. 2. Cor. 5, 17. Apoc. 4, 2. & 19, 9. & 20, 11.

6 Tum mihi dixit: Factum est. Ego sum α & ω, principium & finis: ego sitienti dabo de fonte aquæ vitæ gratis.

Esa. 12, 3. & 41, 4. & 44, 6. & 55, 1.

7 Victor possidebit omnia, eique ego Deus ero, & ipse mihi Filius erit.

Zach. 8, 8. Heb. 8, 10.

8 Sed ignavos, & infideles, & execrabiles, & homicidas, & impudicos & veneficos, & divicolas, & omnes mendaces, hos, inquam, sua sors manet in stagno, quod igni ardet, & sulphure, quæ secunda mors est:

1. Cor. 6, 9. Gal. 5, 21. Eph. 5, 5. Apoc. 20, 14.

9 Tum venit ad me unus septem Angelorum, qui septem phialas habebant, septem postremarum cladium plenas, qui me sic allocutus est: Ades, monstrabo tibi sponsam Agni uxorem.

Apoc. 15, 1. 6. 7. & 19, 7.

10 Deinde me divino afflatu in magnum arduumque montem sustulit, & mihi monstravit urbem magnam, sanctam Hierosolymam, de cœlo a Deo descendentem,

Gal. 4, 26. Heb. 12, 22. Apoc. 1, 10. & 3, 12. & 21, 2.

11 Divina gloria præditam. Ejus luminare simile erat lapidi preciosissimo, velut Iaspidi crystallum imitanti.

12 Habebatque murum ingentem & altum, & portas duodecim, superque portis angelos totidem, & inscripta nomina, videlicet duodecim Israeliticarum tribuum.

Ezech. 48, 31.

13 Ab oriente tres erant portæ: a Borea tres: ab Austro tres: ab Occidente tres.

14 Urbis murus habebat fundamenta duodecim, & in eis nomina duodecim Apostolorum Agni.

Matth. 16, 18. Eph. 2, 19. 20.

15 Qui autem mecum loquebatur, calamum habebat aureum, quo urbem ejusque portas & murum metiretur:

Ezech. 40, 3. Zach. 2, 1.

16 Cujus urbis is situs erat, ut esset quadrata, tanta longitudine, quanta latitudine. Hanc urbem calamo dimensus est ad stadiorum duodecim millia, pari longitudine, & latitudine, ac altitudine.

Eph. 3, 18.

17 Ejus murum centum quadraginta quatuor cubitus dimensus est, hominis, hoc est Angeli, mensura.

18 Ejus muri structura erat ex Iaspide: urbs ipsa ex auro puro, puri vitri similis.

19 Muri urbis fundamenta omnibus ornata gemmis. Primum fundamentum erat Iaspis, alterum Sapphyrus, tertium Calcedon, quartum Smaragdus,

20 Quintum Sardonix, sextum Sardius, septimum Chrysolithus, octavum Berillus, novum Topazium, decimum Chrysoprasus, undecimum Hyacinthus, duodecimum Amethystus.

21 Duodecim portæ duodecim erant uniones, ex singulis unionibus singulæ constantes. Urbis area erat aurum purum, pellucida ut vitrum.

22 In ea fanum non vidi: nam Dominus Deus omnipotens ejus fanum est, & Agnus.

Es. 60, 19.

23 Urbs Sole non eget, neque Luna, qui in ea luceant: nam Dei splendor eam collustrat, ejusque lucerna Agnus est.

Es. 60, 19. Zach. 14, 7.

24 Atque in ejus urbis lumine gentes servatorum ingredientur, in eamque conferent terrarum Reges suam gloriam ac honorem.

Es. 60, 3. 5. & 66, 12.

25 Nec ejus portæ claudentur interdiu (nam nox quidem ibi nulla erit)

Es. 60, 11. 20. Zach. 14, 7.
Apoc. 3, 8. & 22, 5.

26 Et in eam conferetur gentium gloria & honos:

27 Nec in eam intrabit quicquam profanum, quodve scelus committat, aut mendacium, sed duntaxat scripti in Agni libro vitæ.

Exod. 32, 32. Psal. 69, 29.
Es. 35, 8. Ioel. 3, 17. Phil. 4, 3.
Sup. 3, 5. & 13, 8. & 20, 12.
& 22, 14. 15.

Cap.

CAP. XXII.

Ostenditur aquæ vitæ fluvius, & arbor vitæ. Sequitur Prophetiæ hujus conclusio, in qua Ioannes ostendit verissima esse quæ hic continentur. Et jam tertio repetit dictata hæc omnia ab eo esse, qui est A & O.

DEinde mihi monstravit vitalis aquæ purum fluvium, limpidum ut crystallum, ex Dei & Agni solio manantem:

Ezech. 47, 1. Zach. 14, 8.

2 Et in medio ejus areæ & fluvii hinc atque hinc vitæ arborem, fructus duodecim parientem, singulis mensibus suum fructum edentem. Arboris folia ad gentium curationem pertinent. Gen. 2, 9. Ezech. 47, 12. Apoc. 2, 7. & 21, 21.

3 In ea nec ulla deinceps erit devotio: & Dei Agnique solium erit, eumque sui servi colent, Zach. 14, 11.

4 Et ejus faciem videbunt, & ejus nomen gestabunt in suis frontibus. Matth. 5, 8. 1. Cor. 13, 12. 1. Ioh. 3, 2. Apoc. 3, 12.

5 Nec erit ibi nox, nec Lucerna, Solisve lumine indigebunt, quippe quos collustrabit Dominus Deus, & regnabunt in omnia secula. Ps. 36, 10. Es. 60, 19. 20. Zach. 14, 6. 7. Apoc. 21, 23.

6 Hæc sunt (inquit me alloquens) certa veraque dicta: & Dominus sanctorum vatum Deus, Angelum suum misit ad monstrandum suis servis quæ brevi futura sunt. Apoc. 1, 1. & 19, 9. & 21, 5.

7 Ego brevi venturus sum, Felix qui verbis pareat oraculi hujus libri. Apoc. 1, 3. & 3, 11.

8 Ego vero Ioannes, qui hæc & aspexi & audivi, cum audivissem aspexissemq;, Angelo qui hæc mihi monstrabat, ad pedes accidi, ut eum venerarer. Sup. 10, 26. & 14, 14. & 19, 20.

9 Sed ille: Cave ne facias, inqvit: tuus enim conservus sum, tuorumque fratrum vatum, & eorum qui istius libri dictis parent. Deum venerator.

10 Tum illud addidit: Oraculi istius libri dicta ne obsignato: nam tempus in propinquo est. Dan. 8, 26. & 12, 4.

11 Qui nocet, nocere pergat, & qui sordet, sordere pergat: & justus, justus esse pergat: & sanctus, sanctus esse pergat. 2. Tim. 3, 13.

12 Equidem brevi venturus sum, meam mecum mercedem ferens, ut pro suo quemque facto remunerer. Esa. 40, 10. & 62, 11. Apoc. 20, 12.

13 Ego sum α & ω, principium & finis, primus & ultimus. Es. 41, 4. & 44, 6. & 48, 12.

14 Beati qui ejus præcepta obeunt, ut potestatem habeant in arborem vitæ, & per portas intrent in urbem. 1. Ioh. 3, 23.

15 Foris quidem erunt canes, & venefici, & impudici, & homicidæ, & divicolæ, & quisquis falsa amat atque facit. 1. Cor. 6, 10. Eph. 5, 5. Phil. 3, 2.

16 Ego Iesus meum Angelum misi, qui vobis hæc super Ecclesiis testaretur. Ego sum Davidis stirps

ſtirps atque genus, ſtella clara & matutina.

Num. 24, 17. Eſa. 11, 16. Rom. 15, 12.

17 Et Spiritus & Sponſa dicunt, Veni: & qui audit, dicat, Veni: & qui ſitit, veniat: & qui vult, ſumat aquam vitæ gratis.

Eſ. 55, 1. Ioh. 7, 37.

18 Teſtificor autem omnibus oraculi hujus libri dicta audientibus, ſi quis ad hæc addiderit, addet ei Deus clades in hoc libro ſcriptas.

19 Et ſi quis de verbis libri hujus oraculi ademerit, adimet Deus ſortem ejus de libro vitæ, deque ſacra urbe, & ſcriptis in hoc libro.

Exod. 32, 33. Deut. 4, 2. & 12, 32. Pſ. 69, 29. Prov. 30, 6. Apoc. 3, 5. & 13, 8. & 17, 8. & 20, 12. & 21, 17.

20 Dicit qui hæc teſtatur: Etiam, veniam brevi: Amen. Etiam, veni Domine Ieſu.

21 Domini noſtri Ieſu Chriſti favor adſit vobis omnibus, Amen.

Novi Teſtamenti Finis.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt urn:nbn:de:gbv:3:1-648051-p0452-4 DFG

Universitäts- und Landesbibliothek
Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-648051-p0453-0

Universitäts- und Landesbibliothek
Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-648051-p0454-5
DFG

AB: K 1129

ULB Halle
003 879 798
3

Universitäts- und Landesbibliothek
Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-648051-p0455-1
DFG

Universitäts- und Landesbibliothek
Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-648051-p0456-6
DFG